12 - II - 24.

9
12 e
28

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
17M B
34

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

9-12-e.28

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA



JOANNIS
LA PLACETE
BENEARNI
OBSERVATIONES
HISTORICO-ECCLESIASTICÆ,

QUIBUS ERUITUR VETERIS Eccleſiæ ſenſus circa Pontificis Romani poteſtatem in definiendis fidei rebus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



AMSTELODAMI,
Apud GEORGIUM GALLET.

M. DC. XCV.

PRÆFATIO.

QUàm multa & magnifica in Romanum Pontificem ipſius mancipia congerant, vix quemquam latet. Omnia illi ſubjiciunt, ſupera, media, infima. Sed inter innumeras illas, quas ipſi tam effusè deferunt, prærogativas, vix ulla eſt humanam infirmitatem longiùs prætergreſſa, vix rurſus ulla, cujus falſitatem noſci pluris interſit, ſummâ illâ, atque errare prorſus neſciâ, de rebus fidei decernendi poteſtate, qua præditum illum eſſe contendunt. Quemadmodum enim ſi hoc ille privilegio verè gauderet, eſſet nobis ab ejus nutu neceſſariò pendendum, & vix quicquam hyperbolicum haberet impium iſtud diſtychum,

Oraclo vocis mundi moderaris habenas,
Et meritò in terris diceris eſſe Deus.

Sic ſi falsò hæc illi prærogativa tribuitur,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nemo non videt quàm lata hac ratione erroribus & ſuperſtitionibus omne genus janua pandatur. Quare vix quicquam diligenti & accurato examine dignius occurrit iſtâ, quam nunc aggredimur, diſquiſitione, qua diſpiciendum ſuſcipimus, num hæc tanta poteſtas Romano Præſuli verè competat.

Quamvis autem hæc quæſtio determinari multipliciter poſſit, Scripturæ teſtimoniis, analogiâ fidei, variis exemplis, ac denique veteris Eccleſiæ ſenſu, ego certis de cauſis ſolam iſtam viam inire conſtitui, & demonſtrare ignotam prorſus veteri Eccleſiæ ſupremam hanc poteſtatem fuiſſe. Inde verò proclivè erit inferre falſam prorſus illam, & commentitiam eſſe, idque partim ex Adverſariorum conſenſu, qui ſi ignotum veteri Eccleſiæ fuiſſe hoc dogma perſuaderi ſemel poſſent, quin ſit falſum nullâ ratione dubitarent, partim ex ipsâ rei naturâ, cum qua multipliciter pugnàt tamdiu latuiſſe.

Sufficere quidem videri poſſent quæ ut hoc ipſum evincerent ſcriptis conſignarunt, nec pauci, nec incelebres Romanarum partium Theologi; nominatim Joannes Launoius, Lud. Mamburgius, & Lud. Du Pin, qui quæſtionem iſtam doctiſſimis lucubrationibus illuſtrarunt. Sed quominus iis eſſem contentus hoc præſer-

tim

tim obſtitit, quod graviſſimam quæſtionem, etſi cum aliquâ curâ, certè non tantâ, quantam & rei momentum, & Adverſariorum verſutia flagitabat, illi tractarunt. Nam & argumentis, quibus utuntur, firmis atque validis non pauca admiſcent imbellia & inutilia, in quibus confutandis Adverſarii triumphant, & quæ efficaciora adhibent adverſus contranitentium exceptiones non ſatis muniunt, & multa denique, non ſinguli duntaxat, ſed omnes etiam, omittunt meâ ſententiâ palmaria, atque iis quæ proferunt nullâ ex parte leviora. Quare non fruſtra laboraturum me exiſtimavi ſi accuratius aliquod nobiliſſimæ quæſtionis examen in me reciperem, & quæ videbantur inutilia reſecarem, firma vindicarem, atque omiſſa ſupplerem.

Quoniam verò argumenta noſtra quamplurima ſunt, nec ſe numero minùs quàm robore commendant, vitandæ confuſionis ergo placuit ad certas quaſdam obſervationes revocare, has rurſus in duas claſſes diſtribuere, quarum una generales obſervationes complectatur, ſpeciales altera. Illæ ex communi totius antiquitatis inſpectione petùntur, hæ ex ſingularibus quibuſdam, partim eventis, partim concertationibus, quæ in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ occurrunt. Hinc ortus libri titulus.

Quæ autem obſervavi malui plerumque aliorum, Adverſariorum præſertim, verbis, quàm meis exponere, tum ut diſputationes reſecarem, & contradictionibus obviam irem, tum ut argumentis meis robur adderem, oſtenderemque me nonniſi certa & confeſſa proferre.

Quæ ex Græcis ſcriptoribus teſtimonia protuli, raròGræcè exhibui, hac unicè de causâ quòd procul abſim à loco in quo iſthanc opellam typis deſcribi oportuit. Metui ne in Græcis, quibus excudendis Typothetæ non ſunt ita aſſueti, ſubinde & identidem erraretur, quare malui Latinis verſionibus eſſe contentus. Nec aliter ſanè facere illi ſolent, adverſus quos hac in parte diſputo, apud quos rarum eſt Græca laudari. Feci tamen quoties id neceſſarium videbatur.

Edideram jam ante aliquot annos rude aliquod, & nondum ſatis elaboratum hujuſce lucubrationis tentamen. Sed quominus illo eſſem contentus multa obſtiterunt. Hoc cumprimis quòd ab eo tempore non pauca obſervare mihi contigit, quæ nobiliſſimæ quæſtioni lucem aliquam dare poſſe videbantur, nec ſilentio premi illa debere exiſtimavi, hoc præſertim tempore, quo Gallia, à qua ſemper ſperaveram eximium aliquid, & doctiſſimis, quibus abundat, viris dignum circa iſtud argumentum pro-

ditu-

diturum, revocatis iis quæ ante aliquot annos molita erat, jugum, quod excuſſiſſe videbatur, denuo ſubiit.

Cum nullum inde veritati ſubſidium expectandum eſſe viderem, rem ego ſuſcepi, & quam ſemel eram exorſus telam in manus ita reſumpſi, ut partim expunctis, partim emendatis, quæ minùs rectè habebant, additis inſuper quàm multis, quæ tunc latebant, pro tredecim obſervationibus ſex & triginta nunc prodeant. Hanc ergo ſolam editionem pro meâ deinceps agnoſcam, eamque ſolam ſi quis inſurgat, defendere Deo dante conabor.

Poterant non pauca apponi, & apponentur fortè nonnulla, ſi optari illud intellexero. Sed ſufficere hæc poſſunt verum amantibus, quorum præcipuè habenda ratio. Cerebroſis ac pervicacibus nihil omnino ſufficeret.

BIBLIOTECA ... IN ROMA

INDEX OBSERVATIONUM.

PARS PRIOR.

In qua Obſervationes generales.

OBSERVATIO I. *Ignota Veteribus fuerunt exceptiones illæ, quibus Pontificiam infallibilitatem definire & circumſcribere Adverſarii ſolent.* 1

OBSERV. II. *Nec dicuntur, nec dici poſſunt, Veteres in agnoſcendâ Pontificis poteſtate falli neſciâ conſenſiſſe.* 9

OBSERV. III. *Si qui ex Veteribus Pontificem errare neſcium putarunt, quod tamen non agnoſcimus, non exiſtimarunt id ad fidem pertinere.* 17

OBSERV. IV. *Pontifices non habebantur olim ſupremi librorum Theologicorum Cenſores.* 23

OBSERV. V. *Sacrorum librorum Canonem à Romanis Pontificibus fixum Veterum plurimi non admiſerunt.* 27

OBSERV. VI. *Veteres exiſtimarunt Concilia Oecumenica ad componendas, quæ circa fidem orirentur, lites neceſſaria.* 36

OBSERV. VII. *Concilia etiam poſt Pontificem judicarunt.* 46

OBSERV. VIII. *Veteres à judicio Pontificis ad Concilium provocari paſſi ſunt.* 49

OB-

OBSERV. IX. *Ipſa Pontificum judicia fuere non ſimel in Conciliis expenſa, & examini ſubjecta.* 55

OBSERV. X. *Non expenſa tantùm, ſed reſciſſa etiam in Conciliis quandoque ſunt Pontificum judicia.* 59

OBSERV. XI. *Ipſi Pontifices propter judicia ſua partim excommunicati, partim anathemate percuſſi quandoque ſunt, & in Conciliis, & extra Concilia.* 62

OBSERV. XII. *Etiam approbata à Romano Pontifice Concilia Veteres abjecerunt.* 66

OBSERV. XIII. *Non tantùm Veteres hac libertate uſi ſunt, ſed non poſſe illam cuiquam negari exiſtimarunt.* 72

OBSERV. XIV. *Veteres cœcam obedientiam Romanorum Pontificum decretis deberi non putarunt.* 76

OBSERV. XV. *Qualis Pontifex eligeretur parum Veteres curarunt.* 81

PARS POSTERIOR.

In qua Obſervationes ſpeciales.

OBSERVATIO I. *Controverſia circa celebrationem Paſchatis ſecundo ac tertio ſeculis agitata manifeſtè oſtendit ignotam tunc temporis Romani Præſulis infallibilitatem fuiſſe.* 83

ARTICULUS I. *Exponitur quid Polycarpum inter & Anicetum geſtum ſit.* 84

ART. II. *Exponitur Victoris & Polycratis circa hoc idem argumentum concertatio.* 86

Art. III. *Expenditur eorum reſponſum, qui controverſiam iſtam, non ad fidem, ſed ad ritus ſpectaſſe dicunt.* 90
Art. IV. *Confutatur id quod ait Baronius Aſiaticos eo ipſo quòd Victori reſtiterunt ab Eccleſiâ ſeparatos, & in ſchiſma prolapſos fuiſſe.* 93
Art. V. *Expenditur reſponſum Petri de Marcâ, & aliorum quorundam.* 96
Art. VI. *Alia quædam obſervatione digna indicantur, quibus argumentum noſtrum firmatur.* 99
Observ. II. *Id ipſum arguit diſputatio de baptiſmo hæreticorum tertio ſeculo exorta.* 102
Art. I. *Exhibetur Stephani Romani Pontificis de non baptizandis hæreticis decretum.* 102
Art. II. *Stephani de non baptizandis hæreticis decretum plurimæ Eccleſiæ non admiſerunt.* 104
Art. III. *Exploditur eorum reſponſum qui volunt Veteres illos exiſtimaſſe quæſtionem iſtam non ad fidem, ſed ad diſciplinam pertinere.* 110
Art. IV. *Quæ Auguſtinus circa hanc diſputationem dixit clarè oſtendunt ignotam illi Pontificis infallibilitatem fuiſſe.* 114
Art. V. *Ne illi quidem qui baptizari hæreticos nolebant Stephani judicium omni ex parte ſecuti ſunt.* 118
Art. VI. *Solvuntur argumenta Natalis Alexandri.* 126
Observ. III. *Ne ipſius quidem Nicænæ I. Synodi decretis omnes olim acquieverunt.* 131
Art. I. *Concilii Nicænæ decreta de baptiſmo atque ordinationibus hæreticorum, necnon de celebratione Paſchatis, multi abjecere.*
Art. II. *Ipſum Nicænæ Synodi de fide decretum, ipſum ὁμοούσιον, multi non admiſerunt.* 133
Art. III. *Convocata fuit Sardicenſis Synodus ad*

hoc ut Nicænum de fide judicium novo examini ſubjiceret. 136

OBSERV. IV. *Quæ Veteres de Liberii lapſu dixerunt clarè oſtendunt non dubitaſſe illos quin errare Pontifex poſſit.* 137

ART. I. *Exhibentur quæ de Liberii lapſu Veteres dicunt.* 137

ART. II. *Præcluduntur duo effugia quibus deſcripta præcedenti articulo teſtimonia eludere Adverſarii conantur.* 142

ART. III. *Quænam fuerit ea formula cui Liberius ſubſcripſit.* 145

OBSERV. V. *Exorta IV. ſeculo circa unam vel trinam hypoſtaſim lites, manifeſtum faciunt exiſtimatum Pontificem errori obnoxium.* 151

OBSERV. VI. *Zoſimi pro Celeſtio judicium & Afri Epiſcopi, ſpreverunt, & ipſe aliquanto poſt revocavit.* 156

OBSERV. VII. *Quæ in Neſtorii causâ geſta ſunt apertiſſimè oſtendunt Romani Pontificis judicio parum tunc temporis delatum.* 165

ART. I. *Celeſtini de Neſtorio judicium multi ſprevere.* 165

ART. II. *Duodecim Cyrilli anathematiſmos, & Epheſina Synodus, & Celeſtinus probarunt.* 167

ART. III. *Cyrilli anathematiſmos, etſi à Synodo & à Celeſtino probatos, multi damnarunt.* 171

ART. IV. *Tota Orientis Diœceſis Epheſinum Concilium diu abjecit.* 174

ART. V. *Expenditur reſponſum quo obſervatorum pleraque diluere tentavit Chriſt. Lupus.* 178

OBSERV. VIII. *Id ipſum Eutychianiſmi hiſtoria multipliciter oſtendit.* 179

OBSERV. IX. *Hoc ipſum rurſus evincit controverſia circa propoſitionem,* Unus de Trinitate crucifixus. 185

OB-

Observ. X. *Controverſia* de tribus capitulis *tantùm non clamat quo tempore illa fervebat, neminem fuiſſe qui Pontificem errare neſcium putaret.* 190

Art. I. *Exponuntur quæ ante Synodum Oecumenicam V. in hac causâ geſta ſunt.* 191

Art. II. *Vigilii Conſtituto nec V. Synodus, nec ipſe Vigilius ſtetit.* 194

Art. III. *Et Synodi V. decretum, & Pontificum illud approbantium judicium, innumeri ex Veteribus ſprevere.* 199

Art. IV. *Præcluditur effugium quo ſuperiora argumenta eludere Adverſarii conantur.* 204

Observ. XI. *Controverſia circa titulum Epiſcopi univerſalis id ipſum comprobat.* 212

Observ. XII. *Honorius à plurimis Conciliis ac Pontificibus damnatus locupletiſſimus eſt ignotæ apud Veteres Pontificiæ infallibilitatis teſtis.* 217

Art. I. *Exponuntur quæ partim ab Honorio, partim adverſus illum geſta ſunt.* 217

Art. II. *Expenditur primum Adverſariorum reſponſum, atque oſtenditur ſextæ Synodi acta adulterata non fuiſſe.* 222

Art. III. *Duo alia Bellarmini reſponſa perſtringuntur.* 225

Art. IV. *Excutitur reſponſum Petri de Marcâ, & aliorum quorundam.* 227

Art. V. *Extremum effugium præcluditur.* 233

Observ. XIII. *Diſputationes de imaginum cultu id ipſum multipliciter produnt.* 239

Art. I. *Gregorii II. de imaginibus judicium, & Græci, & Galli ſpreverunt.* 239

Art. II. *Stephani, Hadriani, & Nicænæ II. Synodi judicio plurimi acquieſcere noluerunt.* 242

Art. III. *Poteſtatem Pontificis falli neſciam Pariſienſis Synodi Patres prorſus neſcierunt.* 248

Art.

ART. IV. *Eadem fuit Principum, quæ Epiſcoporum ſententia.* 253

ART. V. *Concilii Oecumenici VIII. de imaginibus judicium, etſi ab Hadriano II. confirmatum, plurimi ſprevere.* 255

OBSERV. XIV. *Eugenii II. circa probationem aquæ frigidæ ſtatutum Ludovicus Pius improbavit.* 259

OBSERV. XV. *Immediati Formoſi ſucceſſores alii alios infallibiles non putabant.* 262

ART. I. *Exponuntur quæ in Formoſi causâ geſta ſunt, & primum inde argumentum eruitur, ac vindicatur.* 262

ART. II. *Secundum argumentum proponitur.* 266

ART. III. *Tertium argumentum exhibetur.* 268

ART. IV. *Quartum argumentum à quibuſdam Auxilii teſtimoniis petitum.* 271

OBSERV. XVI. *Concertationes circa ſupremam Pontificum in temporalia poteſtatem invictè probant exiſtimatos illos errori obnoxios.* 273

ART. I. *Hanc in temporalia poteſtatem Pontifices ſibi multipliciter vindicarunt.* 273

ART. II. *Iſtis non obſtantibus hanc Romanorum Pontificum poteſtatem innumeri non agnoverunt.* 277

OBSERV. XVII. *Duo privilegia Henrico IV. Imperatori conceſſa ita excepta ſunt ut pateat Pontifices non fuiſſe tunc exiſtimatos errare neſcios.* 280

ART. I. *De privilegio circa electionem Pontificis à Nicolao II. dato.* 280

ART. II. *De privilegio à Paſchale II. eidem conceſſo circa inveſtituras.* 284

OBSERV. XVIII. *Adverſus Celeſtini V. de abdicatione decretum multi reclamarunt.* 289

OBSERV. XIX. *Controverſia circa paupertatem Franciſcanorum dupliciter oſtendit Pontificem non fuiſſe exiſtimatum errare neſcium.* 292

ART. I. *Sex ex deceſſoribus ſuis infallibilitatem Joannes XXII. eique adhærentes neſciebant.* 292
ART. II. *Expenditur reſponſum Bellarmini.* 295
ART. III. *Oſtenditur id ipſum aliis argumentis.* 299
ART. IV. *Definitioni Joannis non omnes acquieverunt.* 301
OBSERV. XX. *Veteres multa dixerunt cum opinione eorum, qui Pontificem errare neſcium putant apertiſſime repugnantia.* 304
OBSERV. XXI. *In Veterum ſcriptis nihil occurrit, quod agnitam illis fuiſſe Romani Præſulis poteſtatem errare neſciam evincat.* 313
I. *Romani ante Siricium Pontifices.* 313
II. *Irenæus.* 314
III. *Cyprianus.* 321
IV. *Ambroſius.* 324
V. *Hieronymus.* 326
VI. *Innocentius I.* 329
VII. *Auguſtinus.* 330
VIII. *Proſper.* 334
IX. *Concilium Epheſinum I.* 336
X. *Cyrillus Alexandrinus.* 337
XI. *Theodoretus.* 338
XII. *Leo I.* 340
XIII. *Petrus Chryſologus.* 342
XIV. *Concilium Chalcedonenſe.* 342
XV. *Agatho.* 346

OB-

OBSERVATIONES

HISTORICO-ECCLESIASTICÆ,

Quibus eruitur Veteris Eccleſiæ ſenſus circa Pontificis Romani poteſtatem in definiendis fidei rebus.

PARS PRIOR.

In qua Obſervationes generales.

BIBLIOTHECA

OBSERVATIO I.

Ignotæ Veteribus fuerunt exceptiones illæ, quibus Pontificiam infallibilitatem definire & circumſcribere Adverſarii ſolent.

DUm quæritur num Veteribus nota fuerit Romani Præſulis poteſtas errare neſcia, is non eſt quæſtionis ſenſus, qui primâ ſtatim fronte eſſe videtur. Hoc, inquam, non inquiritur, an qualemcunque infallibitatem Pontifici Veteres attribuerint, ſed utrum eam præciſè & determinatè agnoverint, quam ejus mancipia ſolam defendunt, & univerſo orbi obtrudere conantur. Finge etenim aliquam Veteribus agnitam, ſed ab hac diſtinctam, atque diverſam. Quid inde colligere Adverſarii poterunt? Nihil aliud profectò, niſi & novam eſſe fidem ſuam, & vel errare ſe,

 vel

vel erraſſe priſcam Eccleſiam, quorum utrumque abhorrere ſe profitentur.

Non aliâ igitur lege gloriari de ſuo cum veteribus conſenſu poſſunt, quàm ſi oſtenderint eandem omnino, non aliam quamcunque, nunquam errandi prærogativam eſſe quam & Veteres in Pontifice agnoverunt, & ipſi agnoſcunt. Quare hoc ipſum inquiſituris nobis nihil prius incumbit, quàm ut accuratè & fideliter exponamus quæ ſit Adverſariorum circa iſtud argumentum ſententia, ſic enim deprehendi facillimè poterit num illi cum Veteribus conſentiant, num diverſa ſectentur.

Qui certum eſſe Pontificis judicium volunt, hoc præ cæteris admonent, non circa cujuſcunque generis quæſtiones ſeſe exerere hanc, quam illi tribuunt, poteſtatem errare neſciam. Multas agnoſcunt in quibus determinandis hallucinari ille facilè poſſit, quales ſunt verbi gratiâ Philoſophicæ, Mathematicæ, Hiſtoricæ, & uno verbo quæcunque ad fidem & Religionem non ſpectant, & in hoc omnes conſentiunt.

Quæ pertinent ad fidem & Religionem in duplici ſunt differentiâ. Quædam verſantur *in jure*, quædam *in facto*. Facta rurſus duplicia, *revelata*, & *non revelata*. Revelatorum, ut poſtmodum videbimus, eadem eſt quæ juris ratio. Circa non revelata poſſe Pontificem errare diu conſenſum eſt. Non ſic poſt exortas Janſenianorum lites. Contenderunt hac occaſione Jeſuitæ & nonnulli alii, etiam in factis non revelatis, quibuſdam ſaltem, certum eſſe Pontificis judicium. Reclamarunt alii, & novam hanc eſſe hæreſim dixerunt priſcis ſeculis inauditam. Sed quamvis multa occurrerent circa diſſidium iſtud obſervatione digniſſima, ego miſſa illa nunc faciam, & de ſolâ circa quæſtiones juris, & facta revelata, infallibilitate diſputabo.

In

In hiſce verò quæſtionibus determinandis tripliciter ſpectari Pontificem volunt. I. Ut hominem. II. Ut privatum Doctorem. III. Ut Pontificem; ratione ſcilicet eorum, quæ vel apud ſe exiſtimat, vel alios ſimpliciter docet, vel denique cum imperio atque auctoritate definit. Duplices rurſus in rebus Religionis errores ſtatuunt, meras ſcilicet hallucinationes ex inſcitiâ & inadvertentiâ ortas, & hæreſes cum pertinaciâ conjunctas.

His poſitis poſſe Pontificem ut hominem & ut Doctorem ſimpliciter errare omnes agnoſcunt, nec ullus occurrit cui aliter videatur. Labi verò in hæreſim, etiam privatim, poſſe negarunt Pighius, Bellarminus, & pauciſſimi alii. Sed quoniam refragantur plerique ferè omnes, & ii ipſi qui affirmant rem eſſe, probabilem duntaxat volunt, certam haudquaquam, quoniam rurſus non multum ex illâ diſquiſitione lucis huic noſtræ Diatribæ accederet, ego miſſam illam nunc faciam, & ſoli Pontificis, ut Pontificis, & *ex cathedrâ* definientis, infallibilitati inſiſtam.

Hanc ipſam vehementer impugnant jam ab aliquot ſeculis nec pauci, nec obſcuri nominis Theologi, præſertim Galli. Sed defendunt longè plures, ita ut ſi non totius Eccleſiæ Romanæ, certè ferè totius cenſenda ſit iſta ſententia. Qui verò illam propugnant in hoc quidem conſentiunt, quòd Pontificem, *ut Pontificem*, & *ex cathedrâ* definientem errare poſſe negent. Sed ubi exponendum venit quid ſit definire *ut Pontificem*, & *ex cathedrâ*, tunc in diverſa abeunt. Plerique rem ſic exponunt, ut tunc *ex cathedrâ* definire Pontifex cenſeatur, cum univerſam Eccleſiam docet, nec docet tantùm, ſed ad credendum ut ipſe docet, obſtringit, idque ſignificat ſolemni aliquâ formulâ, quales ſunt ſi dicat definire ſe *de conſilio fratrum ſuorum*,

 ſi rem

ſi rem moneat eſſe de fide, ſi oppoſitam ſententiam hæreticam pronunciet, ſi in ſecus ſentientes anathemata ſtringat.

Sunt qui aliquid ampliùs flagitant. Sunt qui conſuli à Pontifice Concilium aliquod majus, vel minus, pro quæſtionis difficultate atque momento volunt. Sunt qui quæſtionem diligenter excuti, & reliqua ad inveniendum verum idonea media adhiberi, & conſtare quòd fuerint adhibita flagitant. Sunt qui in locis conſuetis per Curſores promulgari decretum, & valvis Cancellariæ Apoſtolicæ, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum affigi, & affixum per aliquod tempus detineri, nec priùs refigi poſcunt. Sed primum illud alii neceſſarium eſſe pernegant. Diligentiam requiri omnes fatentur, ſed nunquam deeſſe plerique volunt. Solemnia verò in decreto promulgando adhiberi ſolita multi flagitant, nec ullus occurrit qui requiri expertè neget.

Hæc eſt Adverſariorum ſententia. Veteres contrà omnem iſtam certa Pontificum decreta ab incertis & errori obnoxiis diſtinguendi artem prorſus neſcierunt. Neſcierunt illi certiora eſſe Pontificis ut Pontificis, & ex cathedrâ pronunciantis, quàm ut Doctoris, judicia. Neſcierunt quid eſſet pronnnciare *ex cathedrâ*, & quid ad hoc vel requireretur, vel ſufficeret. Omnia cujuſcunque generis Pontificia decreta eodem ordine ac loco habuerunt. Omnia igitur vel certa, vel incerta putarunt. Si incerta, nobis cum ſentiebant. Si certa, vel errabant ipſi, ac proinde quid ſentirent parum refert; vel errat hodie Romana Eccleſia, quæ tam multa Pontificum ſtatuta eorum numero expungit, quibus inniti fides poteſt.

Verum autem eſſe quod dixi, & ignotam prorſus univerſam hanc diſciplinam Veteribus fuiſſe,

multi-

multipliciter oſtendi poteſt. Primùm eo quòd in eorum ſcriptis non apparet. Oſtendant Adverſarii, ſi poſſunt, in Veterum monumentis exceptiones illas, quibus hanc Pontificis ἀναμαρτησίαν tanquam finibus ac limitibus circumſcribere ſolent. Cur enim notas illas fuiſſe ſuſpicemur, ſi nullibi in eorum libris comparent? Præſertim ſi attendas non defuiſſe illis occaſiones de hiſce exceptionibus diſſerendi. Cum enim varios Pontifices, Liberium, Vigilium, Honorium, hæreſeos non ſemel accuſaverint, ut poſtmodum patebit, ne lectoribus errandi anſam præberent, monere proculdubio debuerunt, Pontifices iſtos, non quà Pontifices, ſed quà privatos impegiſſe. Hoc autem cum nuſquam fecerint, vel eo ipſo oſtenderunt ignotas ſibi haſce exceptiones eſſe.

Sanè tantum abeſt ut notarum iſtarum vim & efficaciam Veteres perſpectam habuerint, ut earum nonnullas nunquam adhibuiſſe comperiantur. Quis v. g. vetuſtorum Pontificum monuit decernere ſe de conſilio fratrum ſuorum R. E. Cardinalium? Quis Curſores habuit, qui in acie Campi Floræ decreta promulgarent? Quis Cancellariam Apoſtolicam, ad cujus valvas Bullæ affigerentur? Quare extremæ iſtius conditionis, cujus hodie tanta neceſſitas putatur, ante Vaſquezium nemo meminit, non Bellarminus ipſe, non Greg. à Valentiâ, non Canus, ne vetuſtiores nunc dicam. Nec veriſimile eſt illam in mentem cuiquam venturam, ſi dilui abſque illius ope potuiſſet graviſſima objectio quam ſuppeditat Sixtinorum Bibliorum per clementem ſuppreſſio & emendatio. Ex illo tempore conditionis iſtius neceſſitas patuit, quare pauci hodie illam omittunt, cum contrà nemo illius antea meminiſſet.

Philoſophica ſui fori non eſſe, vel illius generis

eſſe quæſtionem, quam adverſus Virgilium Saliſburgenſem perperam Zacharias Papa definivit, an ſcilicet dentur Antipodes, ille proculdubio neſcivit. Si enim utrumque illud compertum habuiſſet, ab eâ definitione procul omni dubio abſtinuiſſet.

Illius rurſus conditionis quâ requiritur ut firmæ fidei decretum univerſæ Eccleſiæ proponatur, neceſſitatem nec ipſi vetuſti Pontifices noverant, nec reliqui fideles. Certè ſi perſpecta hæc illis fuiſſet, nunquam omiſiſſet Celeſtinus, nunquam Leo, ſuas Neſtorii & Eutychetis damnatorias Epiſtolas, quas omnimodam vim obtinere, plenumque effectum ſortiri, tantopere optabant, ad totam Eccleſiam dirigere. Non ſolum Neſtorium Celeſtinus compellaſſet, non ſolum Flavianum Leo. Nec hoc illis vitium vel Neſtorius, vel Eutyches, vel alii quicunque objecere.

Eadem eſt alterius illius conditionis ratio, quâ poſcitur ut vel judicium anathematiſmis muniatur, vel res ad fidem pertinere dicatur, vel oppoſitæ ſententiæ hæreſeos notâ inuratur. Neſciebant iſtud Veteres. Quare non dubitabant tunc quoque Apoſtolicæ ſedis auctoritatem venditare, cum ea Pontificum dicta proferrent, quæ nullis ejuſmodi formulis munita ac ſancita erant. Dixerat Innocentius I. (a) Milevitanæ Synodi Patribus reſpondens: *Illud verò quod eos* (Pelagianos) *veſtra fraternitas aſſerit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam ſine baptiſmatis gratiâ, poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemet ipſis.* Hæc ille, nudè ut vides, & ſimpliciter effatus erat. Non dixerat decernere ſe de conſilio fratrum ſuorum. Nullum anathema ſtrinxerat. Non dixerat à Pelagianis vel fidem lædi, vel hæreſim

(a) *Habetur inter Epiſt. Aug. n.* 97.

ſim adſtrui. Et tamen illa tanquam iſtius Pontificis definitionem Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſancitam Adverſariis ſuis Auguſtinus oppoſuit. Illis etenim deſcriptis addit: (b) *Ecce beatæ memoriæ Innocentius Papa ſine baptiſmo Chriſti, & ſine participatione corporis & ſanguinis Chriſti, vitam non habere parvulos dicit.* Et alio loco: (c) *Qui* (Innocentius) *parvulos definivit, niſi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorſus habere non poſſe.* Alibi (d) rurſus. *Contra ſententiam Domini dicentis,* Amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, *& contra Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, ubi, de hac ipſâ re cum ageretur, hoc teſtimonium adhibitum eſt Evangelicum, ne parvuli non baptizati vitam poſſe habere credantur.* Et paulo pòſt. *Si autem cedunt Sedi Apoſtolicæ, vel potiùs ipſi Magiſtro & Domino Apoſtolorum, qui dicit non habituros vitam in ſemet ipſis, niſi manducaverint carnem filii hominis, & biberint ſanguinem, quod niſi baptizati non utique poſſunt, nempe aliquando fatebuntur parvulos non baptizatos vitam habere non poſſe, ac per hoc æternâ morte mulctari.* Sanè ſi tunc temporis viguiſſet hodierna Adverſariorum Theologia his ſe nodis extricare Pelagiani facillimè potuiſſent. Hoc unum dicendum incumbebat, non eſſe iſtam Innocentii definitionem totâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate munitam, quemadmodum Auguſtinus contendebat, ſed meram privati Doctoris conjecturam, non pluris faciendam quàm cujuſcunque alterius Scriptoris opinationem.

(b) *Aug. cont. epiſt. Pel. lib. 2. cap. 4.*

(c) *Idem cont. Jul. lib. 1. cap. 2.*

(d) *Idem epiſt. 106.*

Eadem exceptione dilui poterat Leonis ad Flavianum Epiſtola, quæ cum in ſextâ Synodo legeretur, & ad hæc verba deventum eſſet. *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium eſt, Verbo operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod*

carnis eſt, exclamarunt Legati (c) *Ecce manifeſtè duas naturales operationes inconfuſe & indiviſe in Domino noſtro Jeſu Chriſto præſens ſanctiſſimus prædicat Pater, cujus præſentem ſermonem ſancta quarta Synodus firmamentum fidei inſcripſit, & damnationem univerſæ hæreſis, ut pote profeſſioni beati Principis Apoſtolorum Petri convenientem.* Cavillatus hîc eſt Macarius Antiochenus, & contra apertam veritatem negavit duplicem his verbis operationem adſtrui. Longè firmiùs repondiſſet, ſi dixiſſet hæc à Leone affirmari, non definiri, & habere rationem, non Pontificalis decreti, ſed privatæ ſententiæ. Tunç quod reponerent Agathonis Legati nihil habuiſſent.

(c) Concil. VI. Act. 2.

In univerſum omnis hæc doctrina Veteribus Canonum Collectoribus ignota fuit, ut vel ex eo manifeſtum eſt, quòd ſi nota illis fuiſſet, non alia illi ſuis collectionibus Pontificum decreta inſeruiſſent, quàm quæ aliquâ hujuſcemodi formulâ ſancita reperiſſent. Reliqua ut nullius ponderis, nullius auctoritatis miſſa feciſſent. Non ſic tamen fecerunt. Omnes cujuſcunque generis Pontificum deciſiones nullo delectu congeſſerunt, eoque ipſo oſtenderunt omnes ſe eodem loco & ordine habere.

Magno olim inter Gallicanos Præſules, & Nicolaum I. Pontificem lis exorta eſt, occaſione fictitiarum illarum Decretalium, quas vetuſtis ante Siricium Pontificibus nefario auſu Iſidorus Mercator, vel alius quiſpiam planus ſuppoſuit. Rejiciebant illas Galli, & ſi falſitatem non perciperent, hoc unum cauſati, quòd Epiſtolæ illæ non haberentur in codice Canonum quo utebantur. Pronunciavit contrà Nicolaus (f) omnes omnino deceſſorum ſuorum Epiſtolas, qualeſcunque demum eſſent, in auctoritatem admittendas, & legis loco habendas, idque ipſum apertiſſimis Leonis & Gelaſii teſtimoniis firmavit. *Nequid verò ſit* dixerat ille,

(f) Nic. Epiſt. ad Epiſc. Gall.

rat ille,

rat ille, *quod prætermiſſum à nobis fortè credatur, omnia decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quàm omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita à veſtrâ dilectione cuſtodiri mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari.* Hiſce deſcriptis ſequentia ſubjungit Nicolaus. *Dicendo verò*, Omnia decretalia conſtituta, *nullum de decretalibus conſtitutis prætermiſit, quod non mandaverit eſſe cuſtodiendum. Et rurſus aſſerendo* Omnium deceſſorum noſtrorum, *nullum Pontificum Romanorum, qui ante ſe fuerunt, excepit.*

Hæc ille, quibus ſimilia deinde ex Gelaſio profert. Alia pariter in eundem ſenſum ex Agathone & Stephano congerit Gratianus diſt. 19. unde præcedentia excerpſimus, quæ omnia ſatis oſtenduut univerſam hanc ſecernendorum decretorum diſciplinam ignotam Veteribus fuiſſe. Quare vel omnia illi certa putabant, vel nulla. Eligant Adverſarii quod volent. Nunquam effugient quin à Veterum ſententia diſceſſiſſe comperiantur.

OBSERVATIO II.

Nec dicuntur, nec dici poſſunt, Veteres in agnoſcendâ Pontificis poteſtate falli neſciâ conſenſiſſe.

SUperiori Obſervatione oſtendimus ſi quam Veteres Romani Præſulis infallibilitatem agnoverunt, fuiſſe illam admodum diverſam ab eâ quam illi Recentiores adſcribunt. Cedamus tamen juri noſtro. Demus non niſi unius generis infallibilitatem eſſe. Hoc poſito quærendum ſupererit num in eâ agnoſcendâ Veteres ad unum omnes conſen-

ſerint? an quibuſdam agnoſcentibus reliqui illam vel abjecerint, vel neſcierint?

Et conſenſiſſe omnes, nec Adverſarii dicunt, nec dicere cum aliquo pudore poſſunt. Primùm enim refragabantur proculdubio hæretici omnes. Quomodo enim errare neſcium illum putaſſent, à quo tam apertè diſſentiebant, & à quo damnari ſe, proſcribi, vexari, Eccleſiæ communione expelli non ignorabant? Parum hoc refert, inquies. Quidni enim in hoc errarent qui in aliis malè ſentiebant? Verùm ego longè aliter ſentio, & non eſſe ſpernendam hanc omnium hæreticorum in abjiciendâ Pontificis infallibilitate conſenſionem exiſtimo.

Primùm enim quî fieri potuit ut hæreticus quiſquam fieret, vel ut tam multi ſaltem fierent, ſi priuſquàm in hæreſim laberentur non dubitabant quin Romanus Præſul indeficientis judicii privilegio gauderet? Cæteris enim erroribus implicari ſat facilè potuerunt, eo quòd antequam in eos laberentur veritatem, quam deſerebant, nonniſi admodum confuſè & indiſtinctè tenerent. Iſtud contrà in Eccleſiæ fide obvium eſſe debebat, utpote perpetuo uſu firmatum. Quare longè facilius fuit reliquis erroribus implicari quàm iſto.

Ad hæc ſi communis iſte hæreticorum omnium error fuit, quî factum eſt ut eum nulli Pontifices. nulla Concilia damnarint? nulli Hæreſeologi notarint? nulli Scriptores confutarint? Res eſt ſanè mira, vel incredibilis potiùs, ut in graviſſimo iſthoc apice diſſenſerint Orthodoxi ab hæreticis, non quibuſdam, ſed omnibus omnino, & diſſenſionis iſtius nullum veſtigium remanſerit. Mirum præſertim quòd qui tam multa pro defendendis reliquis ſuis erroribus hæretici ſcripſerunt, pro iſto nihil ſcripſerint. Mirum quòd orthodoxi, qui tot in illos volumina, vel ut veriùs dicam, voluminum plau-

plauſtra effuderunt, ne unum quidem adverſus errorem iſtum ediderint. Mirum quod de reliquis ſubinde & identidem, quà voce, quà ſcriptis, diſputatum ſit, de iſto nunquam. Mirum denique quòd vel abſque diſputationibus toties mutata ſententia ſit, quoties vel à veritate ad hæreſim, vel ab hæreſi ad veritatem tranſitum eſt, vel ex tot diſputationibus ne una quidem ad nos pervenerit.

Sed erit iſtud in alio quodam opere, ſi Deus dederit, accuratiùs pertractandum. Nunc miſſis hæreticis ad orthodoxos me converto. Quæro igitur utrum iſti ſaltem in agnoſcendâ qualicunque Pontificis infallibilitate conſenſerint. Ne iſtud quidem Adverſarii dicent. Primùm enim Bellarminus ut oſtendat non eſſe de fide, quòd Concilia particularia à Summo Pontifice confirmata errare nequeant, ſic ait: (a) *Conſtat ex Euſebio Cornelium Papam cum Nationali Concilio omnium Epiſcoporum Italiæ, ſtatuiſſe non debere hæreticos rebaptizari, & eandem ſententiam poſtea approbaſſe etiam Stephanum Papam, & juſſiſſe ut hæretici non rebaptizarentur: Et ſimul conſtat ex eodem Euſebio ibidem Cyprianum contrarium ſenſiſſe, & mordicus defendiſſe, id quod etiam ipſe fatetur in Epiſtolâ ad Pompeium, ubi arguit Stephanum Papam erroris, & tamen Cyprianus ſemper eſt habitus in numero Catholicorum.* Eadem, & quidem totidem verbis, habent Walemburchii fratres Tom. 1. Tract. 1. Exam. 3. n. 111. Atqui nunquam magis Pontifex docet ut Pontifex, & ex cathedrâ, quàm ubi Concilia, ſive particularia, ſive Oecumenica confirmat. Quare cum tunc quoque errare illum poſſe ex Bellarmino & Walenburchiis Cyprianus exiſtimarit, dubium nullum eſt quin ignota prorſus illi fuerit Romani Præſulis poteſtas errare neſcia. Porrò in eadem cum Cypriano ſententiâ fuiſſe reliquos Afros

(a) *Bell. de Concil. lib. 2. cap. 5.*

Antiſtites, qui in Carthaginenſi Concilio, cui Cyprianus præfuit, non eſſe Stephano parendum tam unanimiter ſtatuerunt, dubitari non poteſt.

De eodem Cypriano Galliæ vindicatæ nuperus Auctor; (b) *Non credidit Pontificem infallibilem eſſe. Concedo, at aquè non credidit baptiſmum quem hæretici conferunt, validum eſſe. Si ideo non hæreticorum baptiſmus invalidus eſt, quia Cyprianus credidit invalidum eſſe, ita non ideo Papa fallibilis eſt, quia Cyprianus fallibilem eſſe credidit. Quòd ſi error Cypriani nihil nocet baptiſmo, ita error Cypriani nihil nocet Pontifici. Et ſi, teſte Auguſtino, ideo Cyprianus circa baptiſmum erravit, quia illo tempore quæſtionis iſtius veritas nondum eliquata & declarata per univerſale Concilium fuerat, cui & ipſe ſine dubio crederet: Idem ego de Pontificis auctoritate infallibili dicam: eo enim tempore, quo Cyprianus tanto eſtu, quantus Martyrem non decuit, in Pontificem ferebatur, quæſtionis iſtius veritas de Pontificis infallibilitate nondum eliquata, & declarata per Concilium univerſale fuit.*

(b) *Gall. vind. diſſert. 4. p. 287.*

De Firmiliano Baronius (c) *Dum eâ Epiſtolâ Firmilianus Romanam Eccleſiam calumniatus eſt, quòd non omnia obſervaret quæ ab origine fuiſſent ab Apoſtolis tradita, nempe quòd diverſâ die celebraret Paſcha ab eâ quæ inſtituta fuerat ab Apoſtolis: Quis non videat eum ſtetiſſe à parte Quartodecimanorum, jam antea ab Eccleſiâ proſcriptorum! apertè enim viſus eſt id ipſe profiteri: ut non ſit mirum obloqui in Stephanum, & in Romanam inſurgere Eccleſiam, quam negat ex Apoſtolorum traditione præſcriptâ Paſcha celebrare, atque ideo (dicam pace ſuâ) procaciter in Stephanum invehi Firmilianum, liberâ fronte judaïzantem cum Montaniſtis ac Quartodecimanis à Romanâ Eccleſiâ condemnatis.*

(c) *Bar. ad ann. 258.*

De Baſilio Magno Spondanus: (d) *Occidentales*

(d) *Spond ad ann. 372. n. 3.*

les ſupercilii & faſtûs accuſavit, nec non inſcitiæ atque erroris. Et paucis interjectis: *Occidentales qui nollent cum Orientalibus tres hypoſtaſes in Trinitate dicere, quòd ea vox apud eos ſubſtantiam ſignificaret, ab iiſdem Orientalibus hæreſis inſimulati ſunt.* Occidentalium autem nomine deſignari præcipuè Romanum Præſulem Damaſum certiſſimum eſt, & ſuo loco patebit.

Paulò pleniùs Chriſt. Lupus: (e) *An ſolus ſine generali Synodo Romanus Epiſcopus in decidendis fidei Chriſtianæ quæſtionibus ſit ex ſpeciali Spiritûs S. adſiſtentiâ judex infallibilis, eſt inter Latinos & Græcos contentio antiqua. Latinorum ſenſum lucidè apud Sylveſtrum Sguropulum exponit Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus:* Nobis Latini ab initio adſeverarunt, quicquid per ſe ſolus Papa decernit, ita firmum ab omnibus excipi, acſi ab ipſo Deo promulgatum humano generi promanaſſet. *Græcorum ſenſum ibidem exponit Joannes Palæologus ipſorum Imperator.* Definiant Latini inter ſe quicquid velint, at definitio Synodica non valebit, quam ego duntaxat ſic intelligo, ut ea ſola ſit Sinodica definitio, quando utraque pars, & Latina, & Græca Eccleſia in unum idemque conſenſerunt. *Eandem quæſtionem Florentiæ apud ſuos in oratione de complendâ Eccleſiarum pace tractavit in utramque partem, ac indeciſam reliquit, Venerabilis Beſſarion Metropolita Nicenus. Opinionem Græci hauſerunt à S. Firmiliano Cæſareenſium in Cappadociâ Archiepiſcopo clamante, per S. Stephanum Pontificem datum in hæreſi baptiſma ſtabilientem adverſus S. Cyprianum* lædi Chriſtianum dogma, & Petrum ac Paulum beatos Apoſtolos, quaſi hoc ipſi tradiderint, infamari. *Addidit de Romanâ Eccleſiâ,* Eos qui Romæ ſunt, non ea in omnibus obſervare, quæ ſunt ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætende-

(e) *Lup. Schol. in Concil. tom. 2. p. 1492.*

re, ſcire quis etiam inde poteſt, quod circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta, videat apud illos eſſe aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſerventur. *Romanam Eccleſiam, quòd cum judæis non celebraret Paſcha, garrit ab Apoſtolicâ traditione deviaſſe. Et Firmiliano nimium adhærens ſucceſſor S. Baſilius de Occidentalibus Epiſcopis Marſellum Ancyræ in primâ Galatiâ Metropolitam à Sardicenſi Synodo purgatum damnare nolentibus, ſcribit ad S. Gregorium Nazianzenum:* Veritatem neque norunt, neque dicere ſuſtinent, verùm falſis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ priùs in Marcello patrarunt, nempe cum iis, qui veritatem ipſis adnunciant, contendentes, hæreſim autem per ſemet ipſos ſtabilientes. *Eadem fieri addit ac eorum Anteſignano, ſeu Patriarchâ, utique Pontifice Romano. Et hinc Julianus Capuanus Epiſcopus Pelagianæ hæreſeos à ſolâ Romanâ Eccleſia damnatæ reſuſcitator, Goliath, ſignifer, & tympaniſta, uti ad generalem appellavit Synodum, ita & ad Græcos Eccleſiæ Patres, quòd nempe eorum quidam Romanam Eccleſiam non eſſe infallibilem Chriſtianarum quæſtionum judicem adfirmarent.*

Fatentibus igitur Adverſariis non conſenſit vetus Eccleſia in agnoſcendâ Romani Pontificis poteſtate falli neſciâ. Ego verò inde hoc maximi momenti confectarium deduco, quòd eâ confeſſione in nihilum abeat quicquid Adverſarii huc uſque librorum, diſputationum, atque argumentorum effuderunt, ut iſtam Romani Præſulis infallibilitatem Chriſtianæ Eccleſiæ obtruderent. Res eſt apertiſſima. Si diſſenſerunt circa iſtum apicem vetuſti Patres, ut diſſenſiſſe audimus, fruſtra ſunt, & littus arant quotquot alterutram partem firmare illorum teſtimoniis atque auctoritate allaborant. Conſentiunt etenim

nim in hoc Adverſarii, ut doceant Patrum, niſi conſentiant, auctoritatem firmam non eſſe. Sic Bannes: (f) *Argumentum deductum in rebus fidei ex auctoritate plurium Sanctorum, reliquis, licet paucioribus, in contrarium ſtantibus; & in rebus quæ ad fidem non pertinent concors omnium conſenſus, probabilitatem affert, non tamen firmitatem.* Idem docentes Alphonſum à Caſtro, Driedonem, Stapletonum, Gillium, Canum, Bellarminum, Gretſerum, Suarem, Filliutium, Martinonum, Alexandrum, jam ante aliquot annos protuli in diſſertatione *de inſanabili Romanæ Eccleſiæ Scepticiſmo* Anglicè edita, quibus addi poſſunt Greg. à Valentiâ, Baſſæus, Scobarus, Gibbon, aliique non pauci.

(f) *Bann. in 1. quæſt. 1. art. 8. dub. 5.*

Cum ergo Patres diſſentientes nihil probent, manifeſtum eſt otioſè admodum quædam eorum teſtimonia nobis opponi. Finge etenim & plura, & diſertiora eſſe quàm revera ſint. Finge Veterum pleroſque clarè, apertè, & totidem verbis teſtari Pontificem errori obnoxium non eſſe. Nihil inde colligi adverſum nos poterit, & licebit nobis ab iis ſalvâ fide diſſentire. Idem dico de teſtimoniis Scripturæ quæ nobis hac in parte opponuntur. Docent Adverſarii non licere Scripturam interpretari niſi juxta unanimem conſenſum Patrum. Sic enim Pius IV. in profeſſione fidei Romanæ Eccleſiæ communionem ambientibus præſcriptâ. *Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum admitto, nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.* Cum ergo Patres in interpretandis Scripturæ locis, qui nobis opponuntur, non conſentiant, manifeſtum eſt fruſtra illos opponi, & ex iis diſputari adverſus nos non poſſe. Sic uno verbo innumera volumina confutan-

ſutantur. Sic ſcripta jam difflantur, & ſcribendis occurritur.

Sed, ut verum fatear, ego perſuaderi non poſſum ita in hoc argumento diſſenſiſſe veterem Eccleſiam. Primùm enim cui credibile fiet revelatam Apoſtolis à Chriſto infallibilitatem iſtam fuiſſe, tum ab Apoſtolis toti Eccleſiæ traditam, Eccleſiam verò, quæ reliqua Apoſtolorum dogmata tam pronâ fide ſuſcepit, in hoc ſolo ita variaſſe, ut pars illud admiſerit, pars rejecerit? Mirum rurſus diſſidium illud tam diu duraſſe, & nullum ex conſuetis effectis, puta diſputationes, rixas, ſchiſmata, anathemata peperiſſe. Auctores illius libri, qui *Fidei perpetuitas*, inſcribitur, non potuiſſe exiſtimant vel minimum temporis ſpatium præterire, quo circa Euchariſtiam adverſantes ſententiæ obtinuerint, nec jam dicti diſſidiorum effectus ſe prodiderint. Quomodo igitur capere poſſent Eccleſiam tot ſeculorum decurſu circa infallibilitatem Pontificis diſſentire potuiſſe nullo relicto eorum veſtigio, quæ hujuſcemodi diſſidia comitari ac ſequi ſolent?

Id eo difficilius mihi videtur, quòd non tam de ſingulari aliquo dogmate, quàm de communi dogmatum omnium normâ ageretur. Solent etenim eſſe diſputationes de rebus Religionis, quo graviores, & majoris momenti, eo acriores. Quæ verò eſſe diſputatio gravior potuit eâ, quæ circa ipſam fidei regulam verſabatur? Poſito enim circa quodlibet, ſaltem circa pleraque, ex credendis errore, rectam eſſe circa reliqua fidem nihil vetat. Contrà admiſſâ ſemel pravâ atque obliquâ fidei normâ latiſſima quibuſvis erroribus janua panditur. Ad hæc de iſto apice diſputandi occaſio toties ſe dabat, quoties prodibat aliquod Romanæ ſedis decretum. Quotquot enim parere renuebant, eo ipſo cauſas aperire tenebantur, cur iſtius tribunalis ſupremam poteſtatem

tem non agnoſcerent, nec præteriri iſtud, aut ſilentio obrui potuit. Quare perpetuæ eſſe debuerunt circa iſtud argumentum diſputationes, quæ cum nullæ appareant, nullum fuiſſe hac de re veteris Eccleſiæ diſſidium neceſſe eſt.

Altera quoque cauſa præſtò eſt, propter quam debeant Adverſarii hoc veteris Eccleſiæ circa infallibilitatem Pontificis diſſidium non agnoſcere. Hæc ſcilicet, quòd ſi de illo conſtiterit, nullam fuiſſe ab initio Eccleſiæ in fide unitatem conſtabit. Quo enim pacto conſpirare circa fidem cenſenda illa Eccleſia, quæ ne quidem circa fidei normam conſentit? Cujus pars unam habet credendorum regulam, pars aliam? Idque non ſemel, & breviſſimo intervallo, ſed perpetuò, & à tertio ſaltem ſeculo ad noſtra uſque tempora?

Quid igitur, inquies, errarunt ne ſuprà adducti Bellarminus, Baronius, Spondanus, Walemburchii, Lupus, Sfondratus Comes, qui ignotam quibuſdam ex Veteribus fuiſſe hanc Pontificis infallibilitatem confeſſi ſunt? Haudquaquam. Imò de longè pluribus id ipſum dici debuiſſe ſequentia oſtendent. Sed eò neceſſariò deveniendum, ut cum nec diſſentire in hoc capite vetus Eccleſia potuerit, certumque ſit eam in agnoſcendâ Pontificis infallibilitate non conſenſiſſe, vel in abjiciendâ conſpiraſſe, vel eam in totum neſciiſſe dicatur.

OBSERVATIO III.

Si qui ex Veteribus Pontificem errare neſcium putarunt, quod tamen non agnoſcimus, non exiſtimarunt id ad fidem pertinere.

SUperiorem Obſervationem illuſtrans oſtendi, nec conſentire Veteres in agnoſcendâ Romani Præſulis in-

lis infallibilitate, nec diſſentientes illam ſufficienter comprobare. Demus tamen rem aliter habere, & vel conſentire in ejus gratiam Veteres, vel plerorumque judicium ſufficere. Inquirendum ſupererit quo illam loco, ſive plerique, ſive omnes, habuerint. An probabilem duntaxat opinionem, aut, quod eodem recidit, ejuſmodi dogma, quod ſalvâ, atque illæſâ fide negari queat, arbitrati ſunt? An ad fidem ita pertinere cenſuerunt, ut non poſſe citra hæreſim negari exiſtimarent? Fuiſſe etenim ſemper agnitam hanc eorum quæ in Eccleſiâ docentur diſtinctionem nemo dubitat.

Poſterius iſtud Adverſarii non dicent. Primùm enim ſi omnia illa Veterum teſtimonia luſtrentur, quæ in gratiam iſtius dogmatis proferri ſolent, quæque nos ad calcem hujuſce lucubrationis expenſuri cum Deo ſumus, facilè patebit nullum eorum eſſe, quo id quod dicunt, quodcunque tandem id ſit, ad fidem pertinere, vel dicatur, vel innuatur; tantum abeſt ut omnia illud moneant.

Ad hæc ſi iſtud olim ad fidem pertinuiſſet, ut pertinuiſſet juxta Adverſarios, ſi pertinere Veteres exiſtimaſſent, quidni etiamnum hodie pertineret? Quid apud Adverſarios frequentius quàm ut de fide eſſe dicant quicquid eſſe Patres unanimiter docent? Sic v. g. Filliutius, (a), Scobarus, (b), ac Baſſæus, (c), enumerantes ſeptem gradus pertinentium ad Catholicam veritatem, ajunt ſextum eſſe earum veritatum quæ unanimi conſenſu Patrum tanquam de fide proponuntur. Deinde ſi iſtud Veteres ad fidem pertinere putabant, tunc ſaltem verè ad illam pertinebat. Jam ſi tunc pertinebat, quidni etiamnum hodie pertineret? An decurtata fides eſt ab eo tempore? Nonne adaucta potiùs in dies illa, quam imminuta, definitis ſubinde variis dogmatibus, de quibus antea citra hæreſim in utramque

(a) *Fill. in Dec. tract. 22. cap. 1.*
(b) *Scob. de fide cap. 1.*
(c) *Baſſ. flor. Theol. verbo fides. n. 2.*

tamque partem diſputabatur? Eſſet ergo id nunc de fide, quale tamen non eſſe, & doctiſſimi quique confitentur, ut Bannes, Bellarminus, Vaſquez, Stapletonus, Duvallius, Tannerus, Walemburchii, Layman, Boyvin, & negari non aliter poteſt, quàm ſi tota Romana Eccleſia hæreticis, & quidem notoriis ac manifeſtis, ſcatere agnoſcatur.

Rurſus Bellarminus & Walemburchii ſuprà laudati teſtantur Cyprianum, cui ignotam fuiſſe Pontificiam infallibilitatem agnoſcunt, *ſemper* fuiſſe habitum in numero Catholicorum. *Semper*, inquam, quod obſervandum. Sfondratus verò quem *Gallia vindicata* Auctorem dicunt, id ipſum non aſſerit duntaxat, ſed cauſam etiam aperit, *quia*, inquit, *quæſtionis iſtius veritas de Pontificis infallibitate nondum eliquata & declarata per Concilium univerſale fuerat.* Porrò quod illi de Cypriano dixerunt, de Firmiliano, qui in impugnando hoc privilegio vehementior fuit, dici potuiſſet, quippe qui nobilem locum in Græcorum Menæo ſemper habuit. De Baſilio, & reliquis Orientalibus, quibus eandem ſententiam Lupus tribuit, quin Catholici habiti ſemper fuerint dubium nullum eſt.

Poteſt igitur tanquam certum ſupponi, non exiſtimaſſe Veteres hanc Pontificis infallibilitatem ad fidem pertinere. Jam ſi illud admittitur, id primùm confirmatur, quod jam ſuprà admonui, diſflari prorſus quæcunque ex Veterum teſtimonio circa iſtam quæſtionem argumenta petuntur. Agnoſcunt enim Adverſarii Patres, etiam conſentientes, errare poſſe, niſi dogma, quod unanimiter tradunt, ad Eccleſiæ fidem pertinere teſtentur. Sic Suares. (d) *Licet Patres, vel Scholaſtici in aliquâ ſententiâ conveniant, non aſſerendo illam eſſe de fide, ſed judicium ſuum in eâ proferendo, non facient rem de fide,*

(d) *Suar. de fide diſp. 2. ſect. 6.*

quia ſemper manent intra menſuram auctoritatis humana. Martinonus: (e) *De eorundem* (Patrum) *ſimul ſumptorum conſenſu diſtinguendum eſt. Vel enim loquuntur ex proprio ſenſu, non aſſerendo rem tanquam de fide, ſed judicium ſuum de eâ proferendo, & ſic non ſunt regula fidei, quia non habent infallibilitatem in eo, neque tranſcendunt humanam auctoritatem intra quam ipſi ſe continent, unde & in his petunt ab aliis corrigi ſi errent.* Longè plures id ipſum docentes in Diſſertatione ſuprà indicatâ profero.

(e) *Mart. de fide diſp. 8. ſect. 3.*

Si ergo conſentirent Patres in aſſerendâ Pontificis infallibilitate, modò conſtaret non aſſeri illam tanquam ad fidem Eccleſiæ pertinentem, ſperni poſſet eorum auctoritas. Quid igitur exiſtimandum cum diſſentire illos hac de re ad minimum conſtat? Et quæ illorum ratio habenda?

Hinc patet quàm turpiter & ſuo, & Lectorum otio abuſi ſint, quotquot hactenus in gratiam Pontificiæ infallibilitatis laborarunt. Nihil efficaciter fieri potuit niſi tria demonſtrarentur. I. Conſenſiſſe in agnoſcendâ Pontificis infallibilitate Veteres ad unum omnes. II. Infallibilitatem iſtam, quam illi tanto conſenſu agnoverunt, ejuſdem generis eſſe cum eâ quam hodie Adverſarii defendunt. III. Non dubitaſſe Veteres quin ea infallibilitas ad fidem pertineret. Si duobus ex illis extra dubitationem poſitis unum incertum maneat, nihil habemus. Finge etenim pleriſque infallibilitatem iſtam agnoſcentibus paucos reclamaſſe. Finge conſenſiſſe omnes, ſed vel ampliorem, vel arctiorem, vel alterius generis, quàm hodie putetur, exiſtimaſſe. Finge eandem omnino agnoviſſe, ſed pertinere illam ad fidem non cenſuiſſe, vel cenſentibus quibuſdam alios reſtitiſſe. Falli omnes nihil vetuit. Quare duo ex illis tribus capitibus demonſtraſſe, unum omiſiſſe,

miſiſſe, nihil aliud eſt quàm oleum & operam luſiſſe. Quid igitur de iis dicendum, qui ne unum quidem ex illis tribus, non dico nunc præſtiterunt, ſed ne aggreſſi quidem ſunt ? Qui de eo ne cogitarunt quidem ? Et officio ſuo affatim ſatisfeciſſe ſe non dubitarunt, ſi pauca quædam paucorum teſtimonia deſcriberent, quæ obtorto collo iſthuc traherent ? Nihilominus nugivendulis iſtis nec Typographi, nec emptores, nec Lectores, imò nec laudatores defuerunt. Quid ad domandam humanæ mentis ſuperbiam excogitari aptius poteſt ?

Sed è diverticulo in viam. Infallibilitas, quâ de agitur, non eſt infallibilitas perſonalis, ſed judiciaria, & in hoc unicè ſita, quòd citra erroris periculum definiatur, quid ad fidem pertineat, quid illi adverſetur. Quiſquis ergo hujuſcemodi infallibilitatem Pontifici defert, eo ipſo fidei normam illum conſtituit. Ac proinde ſi Veteres errare neſcium eum putarunt, pro regulâ fidei illum neceſſariò agnoverunt. Jam quomodo potueruut fidei regulam exiſtimare, ſi ejus infallibilitatem ad fidem pertinere nequaquam cenſuerunt ? Certè fidei regulam ad fidem non pertinere prodigio ſimile mihi videtur. Quo enim pacto definitum dogma faciet de fide, id quod de fide ipſum non eſt ? Sanè quicquid fidei norma oſtendit eſſe de fide, neceſſariò eſt de fide. Ac proinde ſi Pontifex eſt norma fidei, quicquid ille pronunciabit eſſe de fide, tale repentè erit. Jam quâ ratione Pontifex definitum dogma faciet eſſe de fide, ſi ipſum non errare fides non docet ? Rectè Martinonus. (f) *Summus Pontifex non poſſet nos obligare ad credendum de fide id quod definit ut dictum à Deo, niſi de fide eſſet ipſum habere poteſtatem definiendi, & infallibilem aſſiſtentiam Spiritûs S. Similiter* Rhodius (g) *Si non eſt de fide quòd* (Pontifex) *ſit infallibilis, ergo non eſt de fide quòd non falla-*

(f) *Mart. de fide diſp. 9. ſect. 6.*

(g) *Rhod. de fide quæſt. 3. ſect. 1. §. 3.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

fallatur. Ergo nec debeo credere id quod dicit ex ſolâ ejus auctoritate.

Pugnat ergo cum ipſâ rei naturâ, & apertam contradictionem involvit, judiciariam Pontifici infallibilitatem tribuere, & nolle eam ad fidem pertinere. Quare Veteres, qui illam agnoſcuntur nunquam ſenſiſſe ad fidem pertinere, ignoraſſe eam agnoſcendi ſunt.

Denique ſi Veteres infallibilitatem iſtam, & veram, & à Deo revelatam putarunt, mirum eſt non putaſſe eſſe de fide. Quidni enim putarunt? Quia, inquient Adverſarii, nunquam fuerat ab Eccleſiâ definita. Audio. Sed præterquam quòd ii non ſemel hæreſibus accenſuerunt varia dogmata nihilo apertiùs ab Eccleſiâ damnata, ſcire pervelim, quare Eccleſia ipſa hoc dogma non definivit, ſi verum eſſe, & revelatum exiſtimavit? An levis illi, & exigui momenti res videbatur fidei regulam habere cæteris omnibus longè aptiorem, utpote vivam & loquacem, quâ parte mortuas ac mutas antecellit, & ſemper præterea paratam, atque obviam, eoque ipſo Conciliis longè commodiorem, quæ non ſemper habere Eccleſia poteſt, & ſi illis ſummopere egeat? Ego contrà contendo, ſi per veterem Eccleſiam ſtetit, quominus iſtud eſſet de fide, peſſimè de nobis eam eſſe meritam, dum id noluit, quod velle proculdubio debuit, & ſi voluit, præſtare toties potuit. Ne igitur injurii in illam ſimus, præſtat fateri aliter eam hac de re, quàm Adverſarios, ſenſiſſe, & rem ipſam nec veram, nec revelatam exiſtimaſſe,

OBSER-

OBSERVATIO IV.

Pontifices non habebantur olim ſupremi librorum Theologicorum Cenſores.

SUperiores Obſervationes videri cupiam fortè poterunt quædam quaſi præſcriptiones, & argumenta nonniſi externa ſuppeditare. Nunc in rem ipſam deſcendemus. Hoc primo loco occurrit, quòd nihil videatur ad infallibilem controverſiarum de fide judicem magis pertinere, quàm ut habeatur ſupremus librorum Theologicorum Cenſor. Hodie certè hæc Pontifici poteſtas ab omnibus defertur. De libris qui prodeunt quotidie decernit. Teſtis Index librorum prohibitorum. Teſtes extraordinariæ quædam certorum librorum proſcriptiones, quos modò *in globo*, ur loqui amat, prohibet; modò propoſitiones quaſdam excerpit, quas damnat. Hac de cauſâ nihil magis conſuetum quàm ut novorum librorum ſcriptores, vel in libri fronte, vel ad calcem moneant, ſe ſua omnia Romanæ Eccleſiæ, ejuſque capitis Pontificis, judicio ſubjicere.

Si igitur eadem Veterum ſententia fuit, idem facere illos decuit. Non fecerunt tamen, & difficile eſſet exemplum aliquod proferre ejuſmodi proteſtationis, quæ hodie tam crebra eſt, & vix unquam omittitur. Negat ſanè Ambroſius Anſbertus, octavi, ut oſtendit Labbæus (a), ſeculi Scriptor, quemquam ante ſe libros quos ſcripſerit Romani Præſulis judicio ſubjeciſſe. Sic enim ait in epiſtolâ quadam ad Stephanum Pontificem, operi in Apocalyſin ſuo præfixâ, & quæ habetur in Bibliothecâ Patrum noviſſimæ Collectionis tomo XIII. *Nuper in Apocalypſim Joannis decem edidi libros, & quanquam ſufficeret mihi quia ſanctarum Scripturarum teſtimoniis*

(a) *Labb. de Script. Eccleſ. in Amb. Anſ.*

veræ fidei congruentibus roborati erant, quia præcedentium tractatorum ſenſu vigebant, humilitati tamen meæ proſpiciens peto ut veſtro etiam decreto profuturi firmi maneant; quod videlicet nullum præter me alium tractatorem feciſſe reperio, ſed non ideo libertas ſuccubuit, quia humilitas ſemet ipſam liberè proſtravit.

Sed en tibi aliquid obſervatione dignius. Ubi hodie Pontifex circa librum quempiam pronuciat, paretur ſtatim. Ji ipſi qui infallibilem illum non putant ne hiſcere quidem audent, ut patuit quo tempore quinque propoſitiones ex Janſenii Auguſtino excerptæ proſcriptæ ſunt. Subſcripſerunt omnes, etiam cum demiſſione fidei, ſaltem quoad jus, & ſi circa factum cavillati quidam ſint.

Non ſic Veteres, Nec approbationem Pontificiam, nec improbationem magni fecerunt. Auguſtini doctrinam, ſaltem circa gratiam & liberum arbitrium, approbarunt ſæpè & ſolemniter Romani Pontifices, nominatim Innocentius I. Zozimus, Bonifacius I. Celeſtinus, Hormiſda, ut plurimi jam oſtenderunt, præſertim Henr. Noris in Vindiciis Auguſtinianis cap. 6. Hæc præcipuè Celeſtini & Hormiſdæ obſervanda ſunt. *Auguſtinum*, inquit ille (b), *ſanctæ recordationis virum pro vitâ ſuâ, atque meritis in noſtrâ communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos etiam à meis ſemper Deceſſoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori, unde reſiſtendum talibus, quos malè creſcere videmus.* Hormiſda verò in Epiſt. ad Poſſeſſorem: *De arbetrio tamen libero & gratiâ Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica, ſequatur & ſervet Eccleſia, licet in variis libris B. Auguſtini, & maximè ad Proſperum & Hila-*

(b) *Celeſt. ad Epiſc. Gall.*

Hilarium abunde poſſit cognoſci, tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis capitula continentur &c.

Atqui iſtis non obſtantibus ab Auguſtini ſententiâ multi magni nominis viri, in Galliâ præſertim, liberè & apertè diſceſſerunt, libroſque adverſus illam ediderunt. Iſtos verò omnes in Eccleſiæ pace & communione mortuos, & ne ab iis quidem qui errare putabant, fuiſſe reputatos hæreticos, multis oſtendunt Voſſius Hiſtor. Pel. lib. VI. theſ. 18. & Lud. Du Pin tom. 4. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ.

Nihilo magis Romanam improbationem Veteres reveriti ſunt. Notitiam quandam librorum Apocryphorum edidit in Romanâ Synodo Gelaſius Papa, quæ in hæc verba definit: *Hæc, & omnia his ſimilia...... non ſolum repudiata, verum etiam ab omni Romanâ Catholicâ Apoſtolicâ Eccleſiâ eliminata, atque cum ſuis auctoribus, auctorumque ſequacibus, ſub anathematis indiſſolubili vinculo in æternum confitemur eſſe damnata.*

Atrox ſententia, ſed quæ non omnes terruit. Librorum illorum proſcriptorum numero habentur I. Epiſtola Jeſu ad Agbarum, & epiſtola Agbari ad Jeſum; II. Liber Canonum Apoſtolicorum; III. Liber Paſtoris. Atqui eos omnes libros permulti ſuſceperunt, & in pretio habuerunt. Literas Jeſu ad Agbarum, & Agbari ad Jeſum Procopius, Evagrius, Cedrenus, Theodorus Studita apud Natalem Alexandrum (c) Canonum Apoſtolicorum quinquaginta primos aliquanto pòſt ſuæ collectioni Dionyſius Exiguus inſeruit, omnes verò indiſcriminatim admiſerunt Synodi Trullana, Nicæna II. & octava Oecumenica, omniſque adeo Græca Eccleſia, & quod obſervandum, omnemque omnino exceptionem excludit, tres illæ Synodi canones iſtos admiſerunt, non tantum ut probos, rectoſ-

(c) *Nat: ſec. 1. diſſ.*

ctoſque, ſed ut Apoſtolicos. Hermæ denique Paſtorem ſuſceperunt præter Veteres Elias Cretenſis, Nicephorus Caliſti, Valafridus, Strabo, Honorius Auguſtodunenſis, Anaſtaſius Bibliothecarius.

Aliud adhuc ſuppetit in rem noſtram apertius. Septimo ſeculo Julianus Toletanus librum ſcripſerat, & Romam tranſmiſerat. Reprehendit in eo nonnulla Benedictus II. hoc nominatim, quòd dicerentur eſſe tres in divinis ſubſtantiæ, quodque voluntas voluntatem genuiſſe aſſereretur. Rem detulit ad Concilium totius Hiſpaniæ Primas Julianus, & poſt accuratum examen Orthodoxus eſſe pronunciatus eſt prolixo decreto, ex quo paucula tantum libabo. Relatis Ambroſii, Auguſtini, Cyrilli, Fulgentii idem quod Julianus docentium teſtimoniis hæc addunt (d). *Quos quia celebres in toto orbe Doctores feriata Eccleſiarum vota percenſeant, non illis eſt ſuccenſendum, ſed potius ſuccumbendum, quia omne quod contra illos ſapitur, à recta fidei regulâ abhorrere ſentitur.* Et poſt pauca: *Jam verò ſi poſthac & ab ipſis dogmatibus Patrum, quibus hæc probata ſunt, in quocunque diſſentiamus, non jam cum illis eſt amplius contendendum, ſed majorum directo calle inhærentes veſtigiis erit per divinum judicium amatoribus veritatis reſponſio ſublimis, etiamſi ab ignorantibus æmulis cenſeatur indocilis.* Qui ſic adverſus Romanum judicium reclamant, ii profectò certum illud, & infallibile non putant.

(d) *Concil. Tol. XV.*

Videntur iſti quidem Boronio (e), ac Marianæ (f) modum exceſſiſſe, & Benedicto paulo licentiùs inſultaſſe; ſed ideo videntur quia uterque de illis, non ex Veterum ſententiâ, ſed ex hodiernis moribus, & præconceptis opinionibus, judicium fert. Nec quæritur profectò quid de Toletanis Patribus Baronius vel Mariana cenſeat, ſed quid

(e) *Bar. ann.*688.
[f] *Mar. Hiſt. Hiſpan. lib.* 6. *cap.* 18.

quid de Romano Pontifice veteres illi Hiſpani exiſtimarent. Ego longè aliter quam Baronium ac Marianam ſenſiſſe illos inde colligo, quod Benedicto tam conſtanter reſtiterint, ejuſque cenſuram tam acerbè confutarint. Addo idem fuiſſe aliqnanto pòſt Roderici Toletani judicium, idem vel ipſius Benedicti, ſi Roderico credimus, vel potiùs Sergii, ſi Marianæ. Sic enim ille (g). *Ejus* (Egicæ Regis) *tempore librum de tribus ſubſtantiis, quem dudum Romam miſerat Primas Sanctiſſimus Julianus, minùs cautè, NB. tractando Benedictus Papa Romanus indixerat reprobandum, ob id, quòd voluntas genuit voluntatem. Sed S. Julianus veridicis teſtimoniis in hoc Concilio ad exactionem præfati Principis per oracula eorum, quæ Romam tranſmiſerat, verum eſſe firmavit, & Apologeticum fecit, & Romam miſit per ſuos Legatos Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum, viros eruditiſſimos, & in omnibus Dei ſervos, & in divinis Scripturis imbutos, cum verſibus etiam acclamatoriis, ſecundum quod & olim tranſmiſerat de laude Romani Imperatoris. Quod Romanus Pontifex Benedictus dignè & piè ſuſcipiens cunctis legendum indixit, atque Imperator acclamando*, Laus tua Deus in fines terræ, *lectum ſæpiùs notum fecit. Qui & reſcriptum Domino Juliano per ſuprà fatos Legatos cum gratiarum actione, & cum honore remiſit, & omnia quæcunque ſcripſit juſta & pia eſſe deprompſit.*

(g) *Rod. Tol. lib.* 3. *cap.* 13.

OBSERVATIO V.

Sacrorum librorum canonem à Romanis Pontificibus fixum veterum plurimi non admiſerunt.

NIhil eſt in quo luculentiùs ſeſe exerere putetur Romani Præſulis poteſtas ſumma, quàm in

in aſſignando librorum ſacrorum accurato canone. Quare Gregorius VII. in ſuo Dictatu ita pronunciat. *Quòd nullum capitulum, nulluſque liber, canonicus habeatur abſque Papæ auctoritate.* Nec abludit Caſpenſis (a) *Quicquid credimus*, inquit, *vel ex Scripturâ, vel Traditione, vel definitione Eccleſiæ, omne id credimus quia credimus revelatum eſſe Pontifici, & quia à Pontifice admittitur ut canonicum, vel traditum divinâ traditione.* Lupus verò id ipſum multis confirmat in Scholis ad Dictatum Gregorii.

(a) *Caſp. de fide diſp. 2. ſect. 6.*

Atqui longè alia veteris Eccleſiæ mens fuit. Exiſtimant nonnulli Romanorum Præſulum primum Damaſum fuiſſe, qui Canonem decreto ſanciverit, plures Innocentium, quidam etiam Gelaſium. Atqui non tantùm ante Gelaſium, vel Innocentium, ſed etiam ante Damaſum, ſuum canonem habebant omnes Eccleſiæ, & multi etiamnum hodie ſuperſunt iſtis Pontificibus vetuſtiores ſacrorum librorum Catalogi. Non ergo cum Gregorio Veteres illi ſentiebant.

Sed quod longè gravius eſt, etiam poſt edita Pontificum decreta admiſſos ab illis libros non pauci rejecerunt. Primum juxta Baronium Damaſus P. vulgavit. Sic enim ait (b). *Ante Innocentium extat decretum Romani Concilii, quod ad damnandam hæreſim Apollinaris eſt celebratum ſub Damaſo Romano Pontifice, ubi noviſſimo loco actum eſt de libris Canonicis in hæc verba:* Item dictum eſt, Nunc verò de Scripturis divinis agendum eſt, quid univerſalis Catholica recipiat Eccleſia, & quid vitare debeat. Incipit ordo Veteris Teſtamenti. Liber Geneſis &c. *Inferiùs verò in ordine Novi Teſtamenti inter Epiſtolas Pauli recenſita habetur epiſtola ad Hebræos his verbis:* Ad Hebræos una. *Habentur hæc in Collectione Creſconianâ omnium antiquiſſimâ, atque veriſſimâ,*

(b) *Bar. an. 60. n. 53.*

mâ, & in noſtro codice, qui antiquitate nemini cedit, ponitur paginâ ducenteſimâ trigeſimâ quintâ.

Decretum illud Damaſi pleniùs deſcriptum videre, nec Serario (c), nec mihi adhuc licuit, etſi Binii, Labbæi, & Baluzii Concilia, Holſtenii Collectionem Romanam, necnon Voelli ac Juſtelli Bibliothecam excuſſerim. Nullus etiam occurrit, ſive ex vetuſtis, ſive ex recentioribus, qui viſum ſibi innueret. Monet duntaxat Baluzius notis ad Servati Lupi epiſtolam 128. & ad Antonii Auguſtini Dialogos pag. 444. viſum à ſe beneficio Lucæ Dacherii vetuſtiſſimum Dioniſianæ collectionis codicem, in quo decretum illud de libris Canonicis & Apocryphis, quod Gelaſio tribui ſolet, Damaſi fuiſſe dicebatur. Unde colligit Damaſum fortaſſis primum omnium de hujuſcemodi libris publicè ſtatuiſſe, deinde verò Gelaſium renovaſſe decretum Damaſi, illudque auxiſſe eorum auctorum nominibus, qui poſt Damaſum vixere, quæ doctiſſimi viri conjectura ſuâ profectò probabilitate non caret.

(c) *Ser. Prol. Bibl. cap. 8. quaſt. 10.*

Utut ſit quandoquidem ipſum Damaſi decretum nemo præter Baronium repræſentat, iſte verò decurtatum duntaxat profert, non poſſum ego ex eo ſat firmiter diſputare. Nihilominus tamen duplex ex eo, qualecunque ſit, argumentum necto. Prius ita habet. Vel is quem Baronius illic exhibet ſacrorum librorum Catalogus idem eſt cum Innocentiano & Gelaſiano, vel diverſus. Si diverſus, ut vehementer ſuſpicor, quidni enim plenè, vel hîc, vel alibi Baronius retuliſſet, ſi ipſius cauſæ faviſſet? ſi, inquam, diverſus, ſpreverunt illum quotquot rejectos ab eo libros admiſerunt, quales multi proculdubio fuere. Nullus etenim inter libros illos eſt, quem non aliqui admiſerint. Vetat tamen Damaſus alios admitti, quàm quos ipſe commendat, quandoquidem aperire ſe profitetur quid univerſa-

verſalis Eccleſia Catholica recipiat, quid vitare debeat.

Si idem eſt ille Catalogus cum Innocentiano & Gelaſiano, & comprehendit Tobiam, Judith, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Maccabaïcos, alioſque libros, quos & Judæi reſpuunt, & nos non admittimus, tunc ſpretum & proculcatum eſt illud Damaſi ſtatutum ab iis omnibus qui libros iſtos abjecerunt, quales Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, Epiphanius, Leontius, Damaſcenus, Nicephorus Patriarcha, Græci, ex Latinis verò Hieronymus, Ruffinus, Auctor Libri de mirabilibus Scripturæ, Gregorius I. aliique, quos affatim dabunt Rainoldus, Calixtus, præcipuè verò Coſinus.

Poſterius argumentum inde deſumo, quòd epiſtolam ad Hebræos à Damaſo admitti Baronius ipſe teſtetur, Apocalypſin verò à Romanis ſemper ſuſceptam, & Hieronymus teſtetur, & res certa ſit. Atqui utramque multi abjiciebant, illam Latini, iſtam Græci. Audiatur Hieronymus. *Illud*, inquit (d), *noſtris dicendum eſt, hanc epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolùm ab Eccleſiis orientis, ſed ab omnibus retrò Eccleſiis, & Græci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur, & nihil intereſſe cujus ſit, cum Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidiè Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam Latinorum conſuetudo non recipit inter Scripturas canonicas, nec Græcorum quidem Eccleſia Apocalypſim Joannis eadem libertate ſuſcipiunt, & tamen nos utramque ſuſcipimus.* Et in commentariis in Eſaiam (e). *Paulus Apoſtolus in epiſtolâ ad Hebræos, quam Latina conſuetudo non recipit.* Et in eodem opere (g). *In epiſtolâ quæ ad Hebræos inſcribitur, licet eam Latina conſuetudo inter canonicas Scripturas*

(d) Hier. ep. 124. ad Dard.

(e) cap. 6.

(g) cap. 8.

non

non recipiat. Et in Zachariam (h). *Si tamen in ſuſcipiendâ epiſtolâ Græcorum auctoritatem Latina lingua non reſpuit.* Et in epiſtolâ ad Paulinum. *Octava enim ad Hebræos à pleriſque extra numerum ponitur.* (h) *In Zach.* 8.

Eſt autem obſervatione digniſſimum hæc, quæ ex Hieronymo deſcripti Damaſi decreto poſteriora eſſe. Refert illud Baronius ad annum 373. quo tempore vix quicquam Hieronymus ſcripſerat. Pleraque ejus opera poſteriora ſunt, nominatim Commentarius in Iſaiam, ipſo expugnatæ urbis tempore, atque adeo 36. poſt annis ſcriptus. In illo tamen, ut vidimus, teſtatur Hieronymus epiſtolam ad Hebræos Latinâ conſuetudine non recipi, & inter canonicas Scripturas non computari. Nihili ergo tunc temporis fiebat iſtud decretum.

Quoniam autem Baronius lapſum in hoc Hieronymum contendit, age alterum illi teſtem, & quidem locupletiſſimum, adjungamus. Hic Auguſtinus erit, qui duobus poſt ſcriptum Hieronymi in Iſaiam commentarium annis, atque adeo diu poſt Damaſi Synodum, in libris *de peccatorum meritis & remiſſione* hæc ait (i). *Ad Hebræos epiſtola, quanquam nonnullis incerta ſit, tamen quoniam legi quoſdam huic noſtræ de parvulorum baptiſmo ſententiæ contraria ſentientes, etiam iſtam quibuſdam opinionibus ſuis teſtem adhibere voluiſſe, magiſque me movet auctoritas Eccleſiarum Orientalium, quæ hanc etiam in canonicis habent, quanta pro nobis teſtimonia contineat advertendum eſt.* (i) *Lib.* 1. *cap.* 17.

Hæc ille, in quibus tria obſervanda. Primùm Auguſtini tempore, atque adeo poſt Damaſi ſaltem judicium, apud quoſdam incertam adhuc fuiſſe epiſtolæ ad Hebræos auctoritatem, quod intolerandum ſanè, ſi tunc conſtabat Romanum Pontificem indeficientis judicii privilegio gaudere. II. Auguſtinum

ſtinum hanc iſtorum ſententiam haudquaquam ut abſurdam, nedum ut hæreticam, vel ſchiſmaticam rejicere, quin potiùs huic dubitationi ita deferre, ut niſi ab ipſis Pelagianis, adverſus quos diſputat, admiſſa hæc epiſtola fuiſſet, abſtenturum ſe ab eâ proferendâ innuat. III. Denique obſervandum, Auguſtinum, qui eò inclinat, ut epiſtolam eſſe canonicam putet, præcipuum ſuæ ſententiæ firmamentum, non in Romanæ Eccleſiæ ſenſu, non in Damaſi judicio, ſed in Orientalium Eccleſiarum conſenſione collocare. *Magis*, inquit, *me movet auctoritas Eccleſiarum Orientalium.* Hoc autem non illi imprudenti, & incogitanti excidiſſe, ſed conſtantem ejus fuiſſe ſententiam, ut minorem non putaret Orientalis Eccleſiæ, quàm Occidentalis, auctoritatem, infrà cum bono Deo patebit.

Hoc quoque obſervatione digniſſimum, non tantùm in canonicarum Scripturarum album relatam à Damaſo & Innocentio hanc epiſtolam, ſed etiam Paulo Apoſtolo adſcriptam & vindicatam, & nihilominus auſum non eſſe Auguſtinum illam huic Apoſtolo tribuere, etiam libris poſt obitum non tantùm Damaſi, ſed etiam Innocentii, ſcriptis, ſed his duntaxat verbis laudare illam ſolitum; *In epiſtolâ ad Hebræos legimus. Epiſtola quæ eſt ad Hebræos. Ad Hebræos epiſtolam lege.* Vide Enchir. cap. 58. & de prædeſt. SS. cap. 15. & cont. Jul. cap. 50. Nec aliter Hieronymus. *Epiſtola quæ fertur ad Hebræos. Relege ad Hebræos epiſtolam Pauli, ſive cujuſcunque alterius eam eſſe putas.* Hoc mirum profectò ſi Damaſum errare neſcium illi putarunt. Quare his perculſus Ch. Lupus (k) dicere non dubitat falſatam eſſe Innocentii ad Exuperium epiſtolam, & ſcripſiſſe illum non ut nunc habent codices, *Omnes Pauli Apoſtoli epiſtolæ quatuordecim*, ſed, *Pauli Apoſtoli epiſtolæ tredecim*, idque à Dionyſio

(k) *Lup. in Dict. Grec. VII. can. 17.*

nyſio Exiguo factum contendit, ne Gelaſius ab Innocentio diſſidere videretur. Sed præterquàm quod ejuſmodi errores abſque veterum codicum ſubſidio fingere non ita licet, quid Damaſo fiet, à quo, ut vidimus, id ipſum ſtatutum jam antea fuerat?

Sanè nullum fuiſſe, ſive à Damaſo, ſive ab Innocentio, ſive à quocunque alio editum ſacrorum librorum canonem, cui neceſſariò adhærendum, & à quo ne latum quidem unguem diſcedere liceret, Auguſtinum agnoviſſe vel inde patet, quod ubi Lectorem Chriſtianæ doctrinæ ſtudioſum quaſi manu deducere aggreditur, ſic ait (l). *In canonicis Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quam plurium auctoritatem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas ſedes habere, & epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis præponat eis quas quædam accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioreſque accipiunt eis quas pauciores, minoriſque auctoritatis, Eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quanquam hoc facilè inveniri non poſſit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.*

(l) *Aug. de doct. Chriſt. lib. 2. cap. 8.*

In his multa obſervanda. Primùm nullum Auguſtino agnoſci omnino certum atque irrefragabilem ſacrorum librorum canonem, qualem eſſe Adverſarii volunt eum quem Romanus Præſul auctoritate ſuâ firmavit. Si quem enim hujuſmodi agnoviſſet, ab iſtis quæ retuli ſcribendis ſibi proculdubio temperaſſet. Obſervandum inſuper neutiquam illum putaſſe eſſe in his Romanæ Eccleſiæ neceſſariò adhærendum. Si enim ita exiſtimaſſet, quorſum tot ambages? quorſum tot cautiones & monita? Uno verbo expediri res poterat, & nihil aliud di-

cendum, quàm ſequendam in omnibus Romanæ Eccleſiæ fidem atque ſententiam. Denique ſi Apoſtolicarum Eccleſiarum, quæ illis temporibus erant plurimæ, unam, puta Romanam, errare neſciam putaſſet, reliquas omnes, etiam conſentientes, errori obnoxias, quæ hodie eſt Adverſariorum ſententia, illius judicium reliquarum omnium ſententiæ proculdubio præponderaret, & nulla fingi æqualitas poſſet inter auctoritates duas, quarum una merè humana eſſet, altera divina; una fallibilis, altera infallibilis. Atqui par & æquale eſſe Auguſtinus putat; hinc celeberrimarum quarumque ex Apoſtolicis Eccleſiis, atque adeo Romanæ, illinc reliquarum, minùs quidem celebrium, ſed aliquanto plurium, auctoritatis pondus. *Si alias*, inquit, *invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, æqualis auctoritatis eas habendas puto.* Si v. g. libro cuipiam Romana Eccleſia faveat, ſi Hieroſolymitana, ſi Antiochena ex Apoſtolicis celeberrimæ illi aſſentiantur; alteri contrà adhæreant Corinthiaca, Philippenſis, Epheſina, Coloſſenſis, Theſſalonicenſis, uno verbo reliquæ omnes Apoſtolicæ, quarum nulla fortè cum tribus illis eſt comparanda, ſed cum dignitate ſingulæ cedant, univerſæ numero vincunt, æqualem eſſe vult Auguſtinus duorum illorum librorum auctoritatem. Abſurdè profectò, & ridiculè, ſi Romana, vel ſola, errare nequit, reliquæ, & ſingulæ ſeorſim, & conjunctim omnes, hallucinari facilè poſſunt.

Sed ut ad propoſitum revertar, Apocalypſim Damaſus libris ſacris accenſuit. Græci tamen, ut jam ex Hieronymo audivimus, illam abjiciebant. Non exiſtimabant igitur Romani Pontificis judicio neceſſariò acquieſcendum, ut exiſtimaſſent proculdubio, ſi non errandi privilegium illi attribuiſſent. Nec eſt quòd dicas ignotum hoc Damaſi judicium

Græcis fuiſſe. Nam præterquàm quòd hoc parum credibile videtur, ſi verum id eſſet, plus Adverſariis noceret quàm prodeſſet. Sic enim pateret non fuiſſe exiſtimata Romani Pontificis judicia certam fidei normam, quandoquidem quænam ea eſſent inquirere celeberrimi quique dedignarentur.

Hactenus ex ſolo Damaſo diſputavimus. Nunc ad alios progrediendum. Poſt Damaſum Innocentius librorum canonicorum catalogum Exuperio propoſuit. Sed tam titubanter locutus eſt, ut ſi quis illum *ex cathedrâ* pronunciaſſe negaret, nihil ſuppeteret quo illum convinceremus. Præſtat igitur ad Gelaſium devenire, qui & in Synodo, & multo aſſeverantiùs pronunciat. Is Sapientiam, Eccleſiaſticum, Tobiam, Judith, Maccabæos canonicis libris accenſet, & ex eorum numero eſſe teſtatur, *quos ſancta & Catholica Romana Eccleſia ſuſcipit, & veneratur.*

Atqui multi ſunt qui ſequentibus temporibus, vel omnes illos libros, vel pleroſque rejecerunt. Quoſdam ſpeciminis inſtar proferam. Caſſiodorus (m). *Sciendum eſt planè S. Hieronymum ideò diverſorum tranſlationes legiſſe, atque correxiſſe, eo quòd auctoritati Hebraicæ nequaquam eas perſpiceret conſonare. Unde factum eſt ut omnes libros Veteris Teſtamenti diligenti curâ in Latinum ſermonem de Hebræo fonte transfunderet, & ad viginti duarum literarum modum, qui apud Hebræos manet competenter adduceret, per quas omnis ſapientia diſcitur, & memoria dictorum in ævum ſcripta ſervatur.*

(m) Caſſ. de div. Lect. cap. 12.

Leontius de ſectis act. 2. *Priùs quàm ſectas attingamus, libros ab Eccleſiâ receptos recenſeamus...... Veteris* (Scripturæ) *Libri ſunt* 22. Quibus, & iis qui ad Novum Teſt. pertinent recenſitis, hæc addit: *Hi ſunt libri in canonem recepti in Eccleſiâ, tum vete-*

re, tum novâ: E quibus omnes illos priſcos Hebræi recipiunt.

(n) Greg. I. in Job. lib. 19. cap. 13. Gregorius I. Maccabaicos citaturus, ſic præfertur (n). *De qua re non inordinatè agimus, ſi ex libris, licet non canonicis, ſed tamen ad ædificationem Eccleſiæ editis, teſtimonium proferamus.*

(o) Dam. de fide Orth. lib. 4. cap. 18. Damaſcenus poſtquam monuit eſſe 22. libros Veter. Teſt. hæc addit (o). Πανάρετος *autem, hoc eſt Sapientia Solomonis, & Sapientia Jeſu filii Syrach.... tametſi alioqui præclari & elegantes libri ſint, non tamen aliis adnumerantur, neque in arcâ ſiti erant.*

Beda de ſex ætatibus mundi. *Huc uſque divina Scriptura temporum ſeriem continet. Quæ autem poſt hæc apud Judæos ſunt digeſta, de libris Maccabæorum, & Joſephi atque Africani ſcriptis exhibentur.*

Poteram longè plures addere. Sed ſufficient iſti ut pateat ne Galaſii quidem, nedum Damaſi, aut Innocentii decreto omnes paruiſſe.

OBSERVATIO VI.

Veteres exiſtimarunt Concilia Oecumenica ad componendas, quæ circa fidem orirentur, lites neceſſaria.

NIhil, meâ ſententiâ, clariùs oſtendit ignotam Veteribus fuiſſe hanc, de quâ diſputamus, Romani Pontificis poteſtatem errare neſciam, quàm quòd ad comprimendas hæreſes Concilia Oecumenica neceſſaria eſſe putarunt. Nam ut ſapienter Eraſ-

(a) Eraſ. in 1. Cor. VII. 39. mus: (a) *Si verum eſt quod quidam aſſeverant, Romanum Pontificem errore judiciali non poſſe unquam errare, quid opus generalibus Conciliis? Quid opus in*

Con-

Concilium accerſere Juriſconſultos ac Theologos eruditos, ſi pronuncians labi non poteſt ? Sanè nihil rectæ rationi magis repugnans fingi poteſt, quàm ſi quis immenſis ſeſelaboribus excruciet, ingenteſque devoret moleſtias, ut illud obtineat, quod faciliore viâ, & minùs operosè obtinere pariter poſſit. Nemo tritum illud veriverbium ignorat, *Fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora.* Ac proinde ſi Papa errandi periculo non ſubjaceat, nihil ſtultius, nihil inſipientius foret, quàm ad dirimendas de fide controverſias Oecumenica Concilia congregare.

Revera major eſt ejuſmodi cœtuum cogendorum moleſtia, quàm ut verbis exprimi queat. Mitto itinerum labores, quibus ſeſe Epiſcopi ætate ut plurimum provectâ exponant neceſſe eſt. Mitto locorum diſtantias, navigationum pericula, ſumptus immenſos, cæteraque id genus, quæ levia non eſſe omnes fatebuntur. Pluris facio Eccleſiarum ſuis Paſtoribus orbatarum triſtem & deplorandum ſtatum. Pluris quoque impetrandi Principum conſenſûs invictam ſæpenumero difficultatem. Pluris denique rixarum ac jurgiorum inter ipſos Synodi Patres ſcandala, factionum pericula, aliaque id genus, quæ Chriſt. Lupo anſam dederunt vocandi Concilia extremam deſperati mali medelam, ac ſubjungendi : (b) *Extrema veraciter medela. Generalem enim Synodum fieri non poſſe ſine omnium Eccleſiarum turbatione ſcribit ad Sanctum Leonem Pontificem S. Flavianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ideoque ſine graviſſimâ neceſſitate non faciendam ad Theophilum Alexandrinum S. Ambroſius, & ad Gratianum A. Synodus Aquilegienſis. Per nimias à Conſtantio A. coactas Synodos, & Romanam Rempublicam, & Chriſtianam Religionem ſubnervatam affirmat etiam homo Gentilis Ammianus Marcellinus.*

(b) *Lup. diſſert. de Syn. Nicæ. I. cap.* 2.

Sed moleſtiæ illæ ac incommoda nihil ſunt præ ingenti periculo, cui ipſa fidei ac veritatis cauſa, ac proinde Eccleſiæ ſalus, & rerum ſumma, Synodorum indictione exponitur dum tantarum litium deciſio inexploratis plerumque, ſemper errori obnoxiis, Judicibus parum tutò, ac proinde ſat imprudenter creditur. Fieri enim facilè poſſe plerique Adverſariorum contendunt, ut Concilia, quantumvis numeroſa, errori patrocinentur, quo caſu ingens fore ſcandalum, & Suares alicubi obſervat, & omnes vident. Quale v. g. ſcandalum fuiſſet ſi Concilium Nicænum I. ſecundùm Arium pronunciaſſet, ſi Conſtantinopolitanum Macedonio, Epheſinum Neſtorio, Chalcedonenſe Eutycheti, alia aliis hæreticis faviſſent, idque non vi ac dolo, quemadmodum in Epheſino II. olim contigit, ſed errore, Epiſcopis, vel omnibus, vel pleriſque, hæreticorum argutiis, vel aliâ quapiam ratione in ſequiorem partem actis, quod fieri poſſe Adverſarii non negant. Quare non immeritò, ſuis ſaltem hypotheſibus ſat congruenter, Cellotius [c]. *Sapientiſſimi quique tales conventus ſemper timuerunt, jamque experimur optimum eſſe illis non indigere, proximum, quàm rariſſimè*

(c) *Cell. de Hier. lib. 4. cap. 10.*

Hæc omnia, fateor, ſubeunda ac devoranda eſſent, ſi non alia conſervandæ veritati via pateret. Sed quid bonæ menti magis adverſum fingi poteſt, quàm in illam difficultatum, incommodorum, ac diſcriminum abyſſum ſe præcipitem dare, dum vitari tantâ facilitate poteſt unum conſulendo Pontificem, ſemper in cathedrâ Petri ſedentem, ſemper oracula Synodorum decretis non minùs certa fundere paratiſſimum? Uno verbo nihil mihi verius videtur, quàm quod eruditus quidam Anglus non ita pridem dicebat; (d) *Ipſam Conciliorum cogendorum moleſtiam altâ voce clamare inſaniviſſe omnes ab initio Chriſtianos,*

(d) *Thor. orig. Eccleſ. cap. 22.*

ſtianos, ſi & ſibi, & omnibus tantam creandam moleſtiam putaſſent, decreti obtinendi causâ, quod nullo coacto Concilio ab auctoritate Papæ obtineri potuiſſet, ſi idem valere creditum omnibus ab initio fuiſſet.

Vel eo igitur ipſo quòd non obſtantibus hiſce incommodis Concilia ſat frequenter Veteres habuerunt, frequentiùs adhuc optarunt, apertè teſtati ſunt neceſſaria illa ſibi videri. Qua in parte obſervandum eorum numero, qui Concilia & peterent, & optarent, eximendos haudquaquam eſſe ipſos Pontifices, qui non ut hodierni illa metuebant & refugiebant, ſed ab Imperatoribus enixiſſimè petebant, ut Julii, Liberii, Leonis, aliorumque exemplis conſtat.

Sed hanc eſſe ſuam mentem apertiùs adhuc Veteres profeſſi ſunt, palàm dicentes videri ſibi Concilia neceſſaria, non quidem ubi ageretur de jam damnatis hæreſibus, ſed quoties novæ emergerent, præſertim ſi res eſſet ardua & difficilis. Sæpè hoc monet Auguſtinus, præcipuè quoties de validitate baptiſmi ab hæreticis collati verba facit, quam quæſtionem etſi à Cornelio & Stephano definitam, negat ante plenarii Concilii ſententiam eliquatam ſufficienter fuiſſe. *Quæſtionis*, inquit, (e), *hujus obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma donati magnos viros, & magnâ charitate præditos Patres Epiſcopos, ita inter ſe compulit ſalvâ pace diſceptare, & fluctuare, ut diu Conciliorum in ſuis quibuſque regionibus diverſa ſtatuta nutaverint, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* Et alio loco (f). *Hoc*, inquit, *de baptiſmo piè credamus, quod univerſa Eccleſia à ſacrilegio ſchiſmatis remota cuſtodit. In quâ tamen ſi aliud alii, & aliud alii adhuc de iſtâ quæſtione ſalvâ pace ſentirent, donec univerſali Concilio unum aliquid eliquatum ſincerumque pla-*

(e) *Aug. de bapt. cont. Donat. lib.* 1. *cap.* 7.

(f) *Idem cap.* 18.

placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem excuſaret charitas unitatis. Alibi rurſus (g). *Nec nos tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſa Eccleſiæ concordiſſimâ auctoritate firmati, cui & ipſe* (Cyprianus) *ſine dubio cederet ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur.*

(g) Idem lib. 2. cap. 4.

Sic alicubi in id dubium incidens, num collatus à Gentili, vel alio quopiam nondum baptizato, baptiſmus valeat, negat decidi iſtud poſſe, donec Concilium aliquod generale congregetur. *Et hæc quidem*, inquit (h), *alia quæſtio eſt, utrum & ab iis, qui nunquam fuerint Chriſtiani poſſit baptiſmus dari. Nec aliquid temere inde affirmandum eſt ſine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei ſufficit.* Alibi (i) quoque de eadem quæſtione verba faciens. *Sed nobis*, inquit, *tutum eſt in ea non progredi aliquâ temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt.* Et quibuſdam interjectis circa ſimilem quæſtionem de validitate baptiſmi mimicè collati hæc addit. *Ubi autem neque ſocietas ulla eſſet, ita credentium, neque ille qui ibi acciperet ita crederet, ſed totum ludicrè, & mimicè, & joculariter ageretur, utrum approbandus eſſet baptiſmus qui ſic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, & impenſis ſupplici devotione gemitibus implorandum eſſe cenſerem.* Hæc ille, fruſtra & improvidè, ſi abſque ullo erroris periculo quamlibet quæſtionem definire, etiam ſine Concilio, Pontifex poſſet.

(h) cont. Parm. lib. 2. cap. 13.

(i) de bapt. con. Don. lib. 7. cap. 53.

Sic in cauſâ trium Capitulorum, quæ totam Eccleſiam tamdiu exercuit; cenſuit ipſa Synodus V. Noluit illi Vigilius, quamvis in eadem urbe degens, intereſſe, ſed Conſtitutum miſit, quo ſententiam ſuam circa quæſtiones de quibus agebatur, expoſuit.

Mo-

Moleſtè hoc Synodus tulit, quemadmodum ſequentibus verbis teſtata eſt. (k) *Quia contingit Vigilium religioſiſſimum in hac regiâ urbe degentem, omnibus intereſſe, quæ his tribus Capitulis annotata ſunt..... piiſſimus Imperator, ſecundum quod inter nos placuit, tam ipſum quàm nos hortatus eſt, communiter convenire, eo quod Sacerdotes decet communibus quæſtionibus finem communem imponere. Unde neceſſariò petivimus ipſius reverentiam ſcriptas ſuas promiſſiones implere. Nec enim juſtum eſſe ampliùs ſcandalum pro tribus Capitulis creſcere, & Dei Eccleſiam conturbari. Et pro his ad memoriam ejus perduximus magna illa Apoſtolorum exempla, & Patrum traditiones. Licet enim S. Spiritûs gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alieno conſilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire priùs quàm communiter congregati divinarum Scripturarum teſtimoniis unuſquiſque ſua dicta confirmaverunt. Unde communiter de eo ſententiam tulerunt ad gentes ſcribentes*, Viſum eſt &c. *Sed & ſancti Patres, qui per tempora in ſanctis quatuor Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes communiter de exortis hæreſibus & quæſtionibus diſpoſuerunt certo conſtituto, quod in communibus diſceptationibus cum proponuntur quæ ex utraque diſcutienda ſunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim poteſt in communibus de fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari, cum unuſquiſque proximi adjutorio indiget, ſicut in Proverbiis dicit Solomon:* Frater fratri adjutorium præſtans exaltabitur ſicut civitas munita, valet verò ſicut regnum fundatum. *Et iterum in Eccleſiaſte dicit*, Optimi duo quàm unus, quibus eſt merces bona in labore ipſorum. *Sed etiam ipſe Dominus dicit*, Amen dico vobis, ſi duo ex vobis convenerint ſuper terram de omni re, quam-

(k) Concil. V. act. 8.

quamcunque petierint, continget illis à Patre meo, qui in cœlis eſt. Ubicunque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum in medio ipſorum. Vide ut exiſtiment, & operosè probent, non poſſe à Virgilio ſolo, & extra Concilium verum quà inveniri, quà doceri.

Quid quod tunc quoque cum res facilior videbatur, Conciliorum neceſſitatem agnoſcebant, ſi Epiſcopi à ſe invicem diſſiderent. Teſtem do Leonem I. Aliquanto poſt latrocinii Epheſini triſtem exitum Legatos in Orientem miſit, qui à ſingulis Epiſcopis Epiſtolæ ad Flavianum ſuæ ſubſcriptionem flagitarent. Si omnes incunctanter ſubſcriberent, acquieſcendum putavit, & nihil ampliùs expetendum. Sin autem quibuſdam ſubſcribentibus alii renuerent, tunc convocari Concilium voluit. Sic ille ad Theodoſium A. ſcribens. *Sin verò aliqui à puritate noſtræ fidei, atque Patrum auctoritate diſſentiant, Concilium iniverſale intra Italiam, ſicut Synodus, quæ ob hanc cauſam Romæ convenerat, mecum petit, clementia veſtra concedat, ut in unum convenientibus his omnibus, qui aut ignorantiâ, aut errore prolapſi ſunt, correctionis remediis conſulatur.* Id ipſum Pulcheriam rogat. *A quâ*, inquit, *ſi forſitan ab aliquibus diſcrepatur, univerſale Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam Clementiâ veſtrâ annuente jubeatur, quo remotâ arte fallendi tandem pateat quid altiore tractatu aut coerceri debeat, aut ſanari.* Hæc ille quibus alicubi deſcriptis ſubjungit Doctiſſ. Marca (l). *Noverat prudentiſſimus ille Pontifex definiendi auctoritate, qua vigebat Epiſcopos populumque Chriſtianum non adſtringi tanquam indubitatâ fidei regulâ, niſi accederet per provincialium Epiſcoporum ſubſcriptiones univerſalis Eccleſiæ conſenſus, vel recuſantibus pleriſque unius confeſſionis concordiam,*

(l) *Marca de Concord. lib. 5, cap. 8.*

Synodi Oecumenicæ publica profeſſio Pontificis definitionem amplecteretur.

Ulteriùs progreſſus eſt Vigilius, quo tempore animadvertens ſuo adverſus tria Capitula Judicato multorum ſibi odia concitata, ejus executionem ſuſpendit, & recepto illo magnâ cum dexteritate ex Græcorum manibus rem totam ad Synodum remiſit, excommunicationem minatus iis omnibus, qui ante coactam Synodum quicquam adverſus Capitula molirentur. Narrant hoc Italiæ Clerici libello quodam, quem cum ſuis Galliæ Conciliis edidit Sirmondus. *Præſtitit*, inquiunt, *Deus ut hac ratione Sanctus Papa Vigilius Judicatum, quod in ipsâ cauſâ fecerat, publicè in conventu reciperet denuncians quia ſi quis Græcorum Epiſcoporum uſque ad univerſalis Concilii tractatum de iſtis Capitulis aliquid feciſſet, aut facientibus acquieviſſet, à communione Sedis Apoſtolicæ alienus exiſteret.*

Non alia Gregorio Magno mens fuit. Moleſtiſſimè tulit quod Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopum ſe univerſalem palàm diceret. Exiſtimavit illud & cum veritate, & cum humilitate pugnare. Quare dehortatus eſt Joannem ab uſurpando iſthoc titulo, & nihil omiſit eorum quæ ad perſuadendum illum apta viſa ſunt. Sed fruſtra fuit. Perſtitit in ſuis inceptis Joannes iſte, & Gregorianis monitis parere noluit. Quid tum Gregorius? An ipſe decretoriâ ſententiâ tantæ liti finem impoſuit? Haudquaquam. Proteſtatus eſt ſe rem ad Eccleſiam, hoc eſt proculdubio ad Concilium delaturum. Sic enim ait (m). *Et nos quidem, in quos talis tantaque per auſum nefarium culpa committitur, ſervamus quod veritas præcepit dicens: Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium*

m) *Greg. Epiſt. lib.* 4. *ep.* 38.

trium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Ego itaque per Reſponſales meos ſemel & bis verbis humilibus hoc quod in totâ Eccleſiâ peccatur corripere ſtudui, nunc per me ipſum ſcribo. Quicquid facere humiliter debui non omiſi. Sed ſi in meâ correptione deſpicior, reſtat ut Eccleſiam debeam admonere.

Ne duodecimo quidem ſeculo Pontifices hanc modeſtiam depoſuerant, ut ex iis patet quæ inter Eugenium III. & Gilbertum Porretanum Pictavienſem Epiſcopum de hæreſi accuſatum Lutetiæ Pariſiorum geſta ſunt. Sic illa narrat Otho Friſingenſis lib. 1. de geſtis Friderici. *Dum ita per aliquot dies jam ſæpè dictus Epiſcopus* (Gilbertus) *coram ſummo Pontifice de fide ſuâ Pariſius diſcuteretur, ſentiens Papa, utpote cautus & religioſus, cauſæ difficultatem, protelandam eam uſque ad Concilium univerſale adjudicavit. Erat enim in proximâ mediana Quadrageſima Dominicâ apud Galliarum Metropolim Rhemis generale Concilium indictum.*

Aliquanto pòſt Alexander III. ſcribens ad Epiſcopos Thuſciæ de generalis Concilii Lateranenſis convocatione hæc ait. *Quia in Eccleſiâ Dei correctione videmus quam plurima indigere, tam ad emendanda quæ digna emendatione videntur, quàm ad promulganda quæ ſaluti fidelium viſa ſunt expedire, de diverſis partibus perſonas Eccleſiaſticas decernimus evocandas, quarum præſentiâ & conſilio quæ fuerint ſalubria ſtatuantur, ut quod bonum eſt ſecundum conſuetudinem antiquorum Patrum provideatur, & firmetur à multis. Quod ſi particulariter fieret, non facilè poſſet plenum robur habere.* Notentur extrema hæc verba, quæ rem totam expediunt.

Optabat vehementer conjugium ſuum ab Innocentio III. diſſolvi Philippus Galliarum Rex. Urgebat

gebat eâ de cauſâ Pontificem. Hic verò ita reſpondit (n). *Si ſuper hoc abſque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam, & mundanam infamiam, quam ex eo poſſemus incurrere, forſan ordinis & officii nobis periculum immineret, cum contra præmiſſam veritatis ſententiam noſtra non poſſit auctoritas diſpenſare.* (n) lib. 3. reg. 15. ep. 104.

Gregorius X. iis literis quibus Concilium Oecumenicum Lugdunenſe indicit, poſtquam de Schiſmate Græcorum, aliis que Eccleſiæ cladibus præfatus eſt, ſic ait. *Hæc dum miniſterio conſiderationis debita mentis noſtræ præſentantur obtutibus, ignis in noſtris meditationibus exardeſcit, & ad tanta diſcrimina relevanda ſuſpirat affectus, Zelus accenditur, & ſpiritus anxiatur. Ad quod cum nos ſufficere non poſſe ſciamus, levamus oculos noſtros ad montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devotè ſperamus. Et quia ſalubre in his adhiberi remedium intereſt generaliter omnium, nos cum fratribus noſtris, aliiſque viris prudentibus exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ neceſſitatis inſtantia exigebat, de ipſorum conſilio generale Concilium, ſicut imitatione dignâ ſanctorum Patrum conſuetudo laudabilis, longaque obſervationis exemplum nos inſtruit, opportuno tempore decrevimus congregandum, ut in eo tam circa præmiſſa, quàm circa cætera, quæ ſalutem reſpiciunt animarum, illa Deo auſpice communi conſilio inveniatur proviſio, & ejuſdem approbatione Concilii roboretur; per cujus ſalutiferam executionem virtus Altiſſimi, eliminatis erroribus, roboratâ fide, reductis errantibus, redintegratâ ejuſdem fidei unitate &c.*

Ut finem faciam eadem Iſidoro Mercatori mens fuit, dum ingentem illam, quæ primis ſeculis conſpecta eſt, hæreſeon multitudinem huic præcipuè

cauſæ

cauſæ imputavit, quòd propter ferventes perſecutiones haberi Concilia Oecumenica non poſſent. Sic enim ille in Præfatione Collectioni Canonum à ſe adornatæ præfixâ. *Canones generalium Conciliorum à temporibus Conſtantini cœperunt, in præcedentibus namque annis perſecutione ſæviente docendarum plebium minimè dabatur facultas. Deinde Chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa eſt, quia non erat licentia Epiſcopis in unum convenire, niſi tempore ſuprà dicti Imperatoris.*

Multipliciter igitur patet neceſſaria ſemper exiſtimata Concilia Oecumenica, qualia quoniam minimè forent ſi Pontifex errare nequaquam poſſet, vel eo ipſo ſatis apparet ignotam prorſus hanc ejus infallibilitatem fuiſſe.

OBSERVATIO VII.

Concilia etiam poſt Pontificem judicarunt.

ID quod dixi manifeſtiùs adhuc patebit obſervanti, etiam excuſſas & definitas à Pontifice cauſas novo examini Concilia ſubjeciſſe. Sic poſt Victoris de Paſchate decretum Epheſina Synodus, aliæque de quibus Euſebius (a), ſic poſt Stephani de baptiſmo hæreticorum ſtatutum Certhaginenſis ſub Cypriano rem excuſſit. Sic Zozimi de Pelagio & Celeſtio judicium altera ſub Aurelio Carthaginenſis retractavit. Sic poſt Julii ſententiam Sardicenſe Concilium, poſt Celeſtini decretum, Epheſina Synodus, poſt Leonis judicium Chalcedonenſis, poſt Vigilii Conſtitutum Conſtantinopolitana II. poſt Martini & Agathonis ſtatuta, Oecumenica VI. poſt Gregorii II. Stephani III. Hadriani definitiones, Franco-

(a) *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.*

Francofurtenſis, Marcelli, Neſtorii, Eutychetis, Trium Capitulorum, Monothelitarum, & Imaginum cauſam ventilarunt, quo ipſo oſtenderunt haudquaquam confectam rem ſibi videri.

Sanè ſi Pontificis ſententia peremptoria & definitiva fuit, nihil neceſſe erat cauſæ jam finitæ diſcuſſionem inſtaurare, vel ſi calculum ſuum Pontificis judicio addere Concilium voluit, non debuit ſaltem controverſiam perinde ac ſi intacta fuiſſet excutere, & argumenta in utramque partem expendere. Nihil hoc erat quàm actum agere, & ſupervacuo ſe labore cruciare. Fecerunt tamen ea omnia, de quibus dixi, Concilia, ut cuivis in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ non planè hoſpiti ſatis notum eſt. Nonne eo ipſo oſtenderunt nondum finitam ſibi litem videri?

Non ſolent ſanè deceſſorum ſuorum ſtatuta novo examini ſubjicere Pontifices, ex quo ſaltem indeficientis judicii privilegium ſibi arrogarunt. Quoties eorum aliquis controverſiam quampiam definivit, rata ejus definitio manet, nec ampliùs excuti quæſtio ſinitur, quantumcunque qui damnati ſunt reclament.

Similiter quæ ſemel Concilia Oecumenica ſanxerunt, non ſinuntur in quæſtionem vocari. Quare Marcianus A. (b). *Injuriam facit judicio reverendiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel judicata, ac rectè diſpoſita revolvere, & publicè diſputare contenderit; cum ea quæ nunc de Chriſtianâ fide à Sacerdotibus, qui Chalcedone convenerunt, per noſtra præcepta ſtatuta ſunt, juxta Apoſtolicas expoſitiones, & inſtituta ſanctorum Patrum trecentorum decem & octo in Nicæâ, & centum quinquaginta in hac regiâ urbe definita eſſe noſcantur.* (b) *Cod. de ſum. Trin. & fide Cath.*

Non aliter Gelaſius (c). *Bona Synodus, vereque Chriſtiana, ſemel acta nec poteſt, nec debet novæ Synodi iteratione convelli, ſed ſecundùm benè geſtam Synodum, rectèque præfixam, ſiquis ab ejus tramite deviarit,* (c) *Gel. ad Epiſc. Dard.*

viarit, conſequenter ac ſufficienter ejus definitione plectendus, meritoque illius ſubjacet conſtitutis, nec opus eſt per ſingulos quoſque deviantes, jureque plectendos, novas rurſus Synodos introduci, cum ex illius tramite, quæ auctorem cum errore damnavit, quiſquis quolibet modo, quolibet titulo complex ejuſdem fuerit factus erroris, ut ejus ſe contagione polluerit, competenter & particeps ejuſdem damnationis exiſtat, ejuſque pœnâ puniatur obſtrictus, cujus maluit inire conſortium. Et eadem epiſtolâ. *Novæ certè erant cauſæ, & his conſequenter nova Synodus debebatur.*

Denique Hadrianus VI. in inſtructione quam Nuntio ſuo Cheregato tradidit, hæc de Luthero, qui ſe inauditum à Leone X. damnatum eſſe querebatur, dixit. *Fatemur Luthero defenſionem negari non debere in his quæ ſunt facti, hoc eſt utrum dixerit, necne, utrum prædicaverit, vel ſcripſerit, necne. Super divino verò jure, & materiâ Sacramentorum ſtandum auctoritati ſanctorum, & Eccleſiæ. Adde quòd ferè omnia in quibus Lutherus ab aliis diſſentit, ſunt per diverſa Concilia priùs reprobata. Non debet autem revocari in dubium quod per generalia Concilia, & univerſam Eccleſiam conſtat eſſe approbatum, tanquam fide tenendum. Injuriam namque facit Eccleſiæ Synodo, qui ſemel rectè diſpoſita nititur in dubium revocare.*

Si igitur Veteres certæ atque immotæ veritatis putaſſent Pontificum judicia, nunquam ea retractari paſſi fuiſſent. Paſſi ſunt tamen, &, quod obſervatione digniſſimum, ipſi Pontifices non reclamarunt, quinimò non ſemel enixè petierunt. Sic etſi Eutychetem pluries Leo I. damnaſſet, univerſalis tamen Synodi indictionem Theodoſium Juniorem, ejuſque ſucceſſorem Marcianum, ac Pulcheriam rogavit, & quod notari velim, apertè profeſſus eſt Synodi judicium ſuo *plenius, altiuſque* fore. Sic enim ad Epheſinam Synodum, poſtquam à ſe in Eu-
tychis

tychis cauſâ facta recenſuit. *Verùm*, inquit, *quia etiam talium non eſt negligenda curatio, piè ac religiosè Chriſtianiſſimus Imperator habere voluit Epiſcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis poſſit error aboleri.* Et ad Pulcheriam. *Univerſale Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam Clementiâ veſtrâ annuente jubeatur, quo remotâ arte fallendi tandem pateat quid altiore tractatu aut coerceri debeat, aut ſanari.*

Similiter Agatho, licet & ipſe, & ipſius deceſſor Martinus, Monothelitas damnaſſent, gratias tamen agit Imperatori quòd eadem de cauſâ ſextam Synodum indixiſſet, & non fore illam inutilem ſequentibus verbis innuit. *Cujus votum quia ex Deo eſt, à Deo perficitur, ut & veritas adhuc in ancipiti poſitis clareat, & eam ſinceriter amplectentibus robur accreſcat, & Zizaniorum genimina ſpirituali falce, ut offenſionis ac deceptionis occaſio de medio Chriſti Eccleſiarum tollatur, abſcindantur.* Eandem fuiſſe Vigilii & Gregorii mentem ex iis quæ ad ſuperiorem obſervationem diximus, ſatis patet.

Oſtendunt ergo hæc omnia etiam poſt Pontificum judicia neceſſarias Synodos eſſe, vel viſas ſaltem Veteribus fuiſſe, quod illi certè nunquam putaſſent ſi errare Pontifices non poſſe exiſtimaſſent.

OBSERVATIO VIII.

Veteres à judicio Pontificis ad Concilium provocari paſſi ſunt.

NOn tantùm paſſi ſunt Veteres expendi de novo controverſias à Romano Pontifice dijudicatas, ſed etiam provocari ab ejus judicio haud moleſtè tulerunt. Abſurdum iſtud ſi errare Pontifices non

 poſſunt.

poſſunt. Quiſquis enim provocat, eo ipſo non dubitare ſe quin erratum ſit oſtendit, quiſquis provocationem admittit, potuiſſe ſaltem errari præſupponit. Hac de cauſâ ex quo ſibi Pontifices infallibilitatem arrogarunt, ſeveriſſimè vetuerunt, ne quis à ſuis ſententiis appellaret, nominatim Gregorius VII. Pius II. Julius II. Gregorius XIII. Quinimò Solemni Bullâ, quæ dici ſolet, *In Cœnâ Domini*, quæque quotannis fulminatur, majoris excommunicationis telum in eos vibratur qui à Pontifice ad Concilium provocaverint.

Rectè proculdubio, ſi errare Pontifex neſcit, ſed ſi Veterum inſtituta ſpectamus, iniquè prorſus. Non dubitarunt iſti quin à judicio Pontificis ad Concilia ritè provocaretur. Plurima hujuſce conſuetudinis exempla collegit Lupus (a), quæ eſſent omnia & exponenda, & vindicanda, ſi de Romani Pontificis primatu diſputaremus. Habent enim adverſus illum vim non parvam. Nunc quoniam de infallibilitate ſolùm agimus, reſecanda ſunt quæ diſciplinam ſpectant, quale primum eſt Donatiſtarum à Melchiadis judicio ad Conſtantinum appellantium. Reliqua & referemus, & adverſus Lupum ipſum, qui ea poſtquam retulit, diſſolvere tentavit, vindicabimus.

(a) *Lup. in Conc. tom.* 4. *pag.* 530.

Secundum ergo quod ille refert, Orientalium eſt Athanaſii, Marcelli, aliorumque reſtitutionem à Julio & reliquis Occidentalibus decretam moleſtiſſimè ferentium. *A ſancti Julii*, inquit, *Pontificis pro S. Athanaſio, & ejus à ſe degradatis Collegis judicio appellavit ad generalem Synodum Euſebiana Arianorum factio, & ad ipſum retractandum Impp. Conſtantius & Conſtans impetrarunt* [dicere debuit convocarunt] *Synodum Sardicenſem.*

Ulteriùs progreſſos eſſe Orientales illos auctor eſt

eſt Sozomenus (b). *Et Julius quidem ita ſcripſit. Athanaſius autem & Paulus ſuas ſedes receperunt, & Epiſtolas Julii ad Orientales miſerunt Epiſcopos. Quas cum illi permoleſtè ferrent, Antiochiæ in unum congregati ſcripſerunt viciſſim ad Julium Epiſtolam exquiſitâ verborum elegantiâ, & oratorio more compoſitam, plenam tamen cavillationis, nec expertem graviſſimarum minarum. Nam in literis ſuis fatebantur, Romanorum quidem Eccleſiam apud omnes magnificam eſſe, quippe quæ jam inde ab initio domicilium Apoſtolorum, & pietatis origo ac metropolis extiterit, licet fidei* Doctores *ad eam ex Orientis partibus adveniſſent. Non tamen æquum cenſebant idcirco ſe inferiore loco haberi, quòd magnitudine Eccleſiæ, & multitudine ſuperarentur: Quippe qui virtute, & animi propoſito ſuperiores eſſent. Deinde criminis loco objicientes Julio quòd cum Athanaſio communicaſſet. Indignabantur perinde ac ſi ipſorum Synodus contumeliâ affecta eſſet, & judicium abrogatum. Idque facinus ut injuſtum, & ab Eccleſiaſticis Legibus alienum, reprehendebant. His de rebus ita conqueſti, gravique injuriâ ſe affectos eſſe teſtati, pacem quidem & communicationem Julio polliciti ſunt, ſi depoſitionem eorum qui ab ipſis fuerant expulſi, & ordinationem illorum qui in priorum locum ſubſtituti fuerant, admittere voluiſſet. Si verò decretis ipſorum reſiſteret, contraria denunciabant.*

(b) *Sozom. lib. 3. cap. 8.*

Noli autem exiſtimare actum tunc de diſciplinâ duntaxat fuiſſe. Agebatur de Marcello Ancyrano, ut ex Julii Epiſtolâ, qua ad præcedentem reſpondet, manifeſtum eſt. Marcelli autem libri tanquam Sabelliani condemnati ab Orientalibus fuerant, à Julio verò approbati. Noli rurſus putare Arianos illos Orientales fuiſſe. Poterant eorum nonnulli Arianis occultè favere. Sed ut ut ſit extra Eccleſiæ communionem poſiti neutiquam erant, eoſque Julius dilectiſſimos fratres paſſim appellat, nunquam facturus

ſi Arianos exiſtimaſſet. Videatur Valeſius Obſervationum Eccleſiaſticarum lib. 1. cap. ult.

Ut ut ſit huic Orientalium provocationi non repugnavit Julius, ſed in Synodi, quam illi poſcebant, convocationem conſenſit, & Legatos ad eam miſit, quod nunquam feciſſet, ſi violari hoc pacto Sedis ſuæ dignitatem exiſtimaſſet; vel certè proteſtationes præmiſiſſet, quibus ne factum hoc ſuum in exemplum trahi deinceps poſſet, caviſſet; quorum cum neutrum fecerit, eo ipſo ſatis oſtendit nihil non canonicum in eâ provocatione ſibi videri. Huic argumento Lupus nihil oppoſuit, qua de cauſâ neſcio. Ut ut ſit eo ipſo illius vindicandi laborem nobis condonavit.

Tertium exemplum præbet Neſtorius. Damnaverat illum Celeſtinus, & ni intra decem dies errorem recantaret, Eccleſiæ communione mulctatum iri pronunciaverat. En ejus verba. *Apertè hanc noſtram ſcias eſſe ſententiam, ut niſi de Chriſto noſtro ea prædices, quæ Romana & Alexandrina, & univerſalis Eccleſia Catholica tenet, & hanc perfidam novitatem intra decimam diem, à primâ innoteſcentis tibi hujus conventionis die numerandam depoſueris, & apertâ & ſcriptâ confeſſione damnaveris, ab univerſalis te Eccleſiæ Catholicæ communione dejectum.* Hanc verò ſententiam Celeſtinus Neſtorio, Clero, & populo Conſtantinopolitano, omnibuſque Patriarchis notam fecit. Noluit parere Neſtorius. Errores ſuos ſpargere poſt elapſos decem dies ſibi præfixos perrexit, & à functionibus Eccleſiaſticis obeundis nunquam ceſſavit, ſed Concilium popoſcit, & impetravit, idque conſentiente Celeſtino.

Dum id cogeretur omnia in eodem ſtatu permanere, & nihil quicquam innovari voluit Theodoſius. Iniquè, inquies. Contrà Lupus (c). *Sacras Romanorum Principum de Eccleſiaſticis cauſis juſſiones debuiſſe ſacris canonibus conformari, & difformes fuiſſe nulli-*

(c) Lup. tom. 4. pag. 53.

nullius ponderis norunt omnes Eccleſiaſticæ hiſtoriæ periti. At verò laudatam Theodoſii juſſionem adeo probavit Epheſina Synodus, ut de ipsâ ſcribant Acta Synodalia: Lectæ ſunt hæ publicè, & relatæ inter Acta, quæ extant Epheſi à ſanctâ & generali Synodo propter impium Neſtorium congregatâ. Addit aliud obſervatione digniſſimum, quodque evidenter oſtendit non admiſſam tantùm à Synodo Neſtorii provocationem, ſed exiſtimatam quoque prioris ſententiæ ſuſpenſivam, non devolutivam duntaxat, ut loquuntur Pragmatici. *Omnes*, inquit, *Epiſcopi Neſtorium uſque ad pronunciatam Synodalis degradationis ſententiam conſtanter vocant Reverendiſſimum ac Religioſiſſimum Epiſcopum, quòd nempe laudatas Principis literas agnoſcerent ſacris Canonibus conſonare.*

Hæc Lupus ſub perſonâ opponentis. Ubi verò ea ſolvere ac refellere aggreditur, non aliud præter iſta paucula reponit (e). *Neſtorii appellationem graviter improbavit in literis ad Conſtantinopolitanum Clerum S. Cyrillus. Illum appellat miſerum & ſeductum, præſertim quòd non uti reus, ſed ut Judex & Præſidens adeſſe Synodo ſperaret à ſacris circumſcripti Principis juſſionibus. Extat Epiſtola in Actis Synodi Epheſinæ. Et in literis ad ejuſdem civitatis Clerum & populum S. Papa Celeſtinus:* Quis petitorem Synodi crederet Synodo defuturum? Percuſſa eſt illic falſitatis levitas pondere veritatis, nec ſe auſa eſt fulgori radiantium Sacerdotum latitantis perfidi caligo miſcere. Lumen tenebræ fugerunt. *Inſigniter demonſtrat appellationem omni Epheſinæ Synodo diſplicuiſſe.*

(e) *Ibid. pag.* 537.

Sed ſunt iſta quavis ſtipulâ leviora. Quòd Neſtorius Synodo, cui ſe tanquam reum ſiſtere debuit, præfuturum ſperarit, ridet Cyrillus, quòd Synodum fugerit culpat Celeſtinus. Quòd Synodum popoſcerit neuter vitio vertit? Diſplicuiſſe verò Synodo Neſtorii provocationem unde habet

 Lupus,

Lupus, qui probè novit, & ſuſceptam à Synodo provocationem, & illi ita delatum, ut nonniſi diſcuſſâ cauſâ, & pronunciatâ ſententiâ tractatus ut degradatus fuerit, quod factum nunquam fuiſſet, ſi finali & peremptorio judicio damnatus eſſet.

Aliud exemplum habemus in Eutychete, idque his verbis Lupus proponit. *A. S. Flaviani in ſe, & ſuam hæreſim judicio ad S. Leonem provocavit Archimandrita Eutyches, & ab omnium confirmatorio laudati Pontificis judicio ad generalem Synodum. Et obtinuit ſecundam Epheſinam.* Et quibuſdam interjectis. *Hæc Eutychetem, licet non tantùm à ſuo Epiſcopo S. Flaviano, ſed etiam à S. Leone Pontifice degradatum conſtanter titulavit Religioſum Presbyterum, & Archimandritam, quòd nempe ab utriuſque judicio ille provocaſſet.*

Reſpondet Lupus. *Etiam Eutychetis appellationem fuiſſe imperiti ſenis audaciam adfirmavit conſtanter, & Synodum excutere conatus fuit omni modo magnus Leo.* Sed primùm non quæritur quis fuerit Leonis ſenſus, ſec quis totius Eccleſiæ. Præterea ne Leonem quidem exiſtimaſſe, non poſſe à decretis ſuis provocari, ex iis patet quæ jam ſuprà obſervata ſunt, quòd ſcilicet poſt Epheſinum Latrocinium Legatos in Orientem miſerit operam daturos ut Epiſcopi omnes Epiſtolæ ad Flavianum ſuæ ſubſcriberent, ſi qui autem renuerent, Theodoſium exorarent ut Concilium convocaret. Ad hæc ſi Leo Synodum excutere pro virili parte conatus eſt, ut ait Lupus, quî factum ut habita illa fuerit? Non ergo tanti Romani Præſulis conſenſus tunc temporis fiebat, ut abſque illo cogi non poſſe Synodus Oecumenica putaretur. Sed revera gratis ea dicuntur, & conſenſiſſe Leonem in Synodum vel eo patet, quòd Legatos tres ad eam miſerit.

OB-

OBSERVATIO IX.

Ipſa Pontificum judicia fuere non ſemel in Conciliis expenſa, & examini ſubjecta.

ULteriùs adhuc progreſſi ſunt Veteres. Non tantùm cauſas à Romano Præſule judicatas, ſed ipſa illius judicia examini ſuo Concilia ſubjecerunt. Sententiam ſuam contra Eutychetem aperuerat Leo I. eximiâ ad Flavianum epiſtolâ. Agatho quoque quid ſibi atque Occidentalibus omnibus in cauſâ Monothelitarum videretur alterâ ad ipſam Synodum ſcriptâ epiſtolâ expoſuerat. Utraque fuit à generali Concilio approbata, illa à Chalcedonenſi, hæc à ſexto Oecumenico; ſed priùs expenſa quàm approbata. Non enim cum quibuſdam dicendum relectam illam, non per modum examinis, ſed per modum prolationis ſententiæ. Contrarium manifeſtè patet vel ex ipſâ Actorum utriuſque illius Concilii inſpectione.

Prius enim quod ſpectat, lectâ Leonis epiſtolâ ſic interlocuti ſunt Judices à Marciano delegati. *Singuli reverendiſſimi Epiſcopi, qui hîc convenerunt, doceant ſi expoſitio trecentorum octodecim Patrum, qui olim in Nicæâ collecti ſunt, & poſthac centum quinquaginta, qui Conſtantinopoli congregati ſunt, conſonat Epiſtolæ revenriſſimi Papæ Leonis.* Vide ut ferendum innuant, non ex epiſtolâ Leonis, de Eutychetis cauſâ, ſed ex Conciliis Nicæno & Conſtantinopolitano de Leonis epiſtolâ judicium.

Id ipſum patet ex ſingulorum Epiſcoporum ſuffragiis. Sic v. g. Anatolius Conſtantinopolitanus cenſuit. *Epiſtola ſanctiſſimi, & Deo amiciſſimi Archiepiſcopi Leonis conſonat Symbolo Patrum, qui*

 apud

apud Nicæam, & qui apud Conſtantinopolim collecti ſunt, & etiam iis quæ in Epheſo ſub Beatiſſimo, & ſanctiſſimo Cyrillo geſta ſunt ab univerſali & ſancto Concilio. Quapropter conſenſi, & eidem epiſtolæ libenter ſubſcripſi. Et Marinianus Synnadenſis. *Conſentire novi epiſtolam in omnibus ſanctiſſimi Romanorum Archiepiſcopi Leonis expoſitioni tercentorum & octodecim Patrum, & centum quinquaginta in regiâ Conſtantinopoli congregatorum. Ideo etiam ſubſcripſi ei.* Sic alii.

Patet rurſus ex eo quòd epiſtola iſta, quanquam apprimè orthodoxa, Epiſcopis tamen Illyricianis & Palæſtinis, partim Neſtorium, partim Eutychetem nonnihil redolere viſa eſt. Verùm expoſita & defenſa ab Aetio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diacono, & præſertim à Theodoreto fuit. Quare Judices interlocuti dixerunt: *Poſt hæc omnia quis adhuc dubitat? Et repentè Epiſcopi adclamarunt, nos ita credimus. Omnes ita credimus. Sicut Leo ita credimus.* Verùm cum non omnes clamarent, petiit Atticus Nicopolitanus Veteris Epiri Metropolita dari tempus ut Leonis epiſtolam cum epiſtolâ Cyrilli ad Neſtorium conferri & expendi poſſet. Quod ubi conceſſum & peractum eſt, patuit Leonis epiſtolam rectè habere. Quare admiſſa ab omnibus fuit.

Ex iis omnibus luce meridianâ clariùs apparet examini, & quidem accurato, & propriè dicto, ſubjectam fuiſſe hanc Leonis epiſtolam, quod à quintâ quoque Synodo obſervatum eſt. Lectis enim in eâ Chalcedonenſis actis Synodus dixit. *Ex his quæ recitata ſunt manifeſtum factum eſt quomodo ſanctæ Synodi ea quæ apud eas proferuntur probare ſolent. Cum enim illi ſanctiſſimi Viri, qui recitatas Epiſtolas ſubſcripſerunt* (Leo & Cyrillus), *ſic ſplenduerint, tamen Epiſtolarum earum comprobationem, non ſimpliciter, nec ſine inquiſitione fecerunt, niſi per omia cognoviſſent*

con-

conſonare eas expoſitioni & doctrinæ ſanctorum Patrum, ad quam & collatio facta eſt.

Porrò hoc ipſum iſtius epiſtolæ tam accuratum examen, ipſa tam anxia & operoſa diſcuſſio, tantùm non clamat neminem tunc temporis fuiſſe, qui illam pro certiſſimo veritatis oraculo haberet. Ut quid enim expendendum illud ſit, & utrum rectè habeat inquirendum, quod rectè habere certiſſimum eſt? Longiſſimè ſaltem ab hac ſententiâ abſuerunt Palæſtini illi, atque Illyriciani Epiſcopi, quibus videbatur hæc epiſtola & Neſtorio, & Eutycheti favere, quique iis quæ Theodoretus atque Aetius in ejus defenſionem dixerunt, non contenti, quinque dierum inducias ad maturius examen & petierunt, & impetrarunt. Sed nec ipſi epiſtolæ defenſores aliter exiſtimabant, quippe qui ad illam vindicandam ſummam & errare neſciam Leonis poteſtatem nulli laudant, ſed in hoc ſolum laborant, ut nihil eá haberi à Cyrilli doctrinâ alienum oſtendant. Ipſum denique Leonem non aliter ſenſiſſe inde patet. quòd eâ epiſtolâ, qua Theodoreto pro defenſâ ad Flavianum alterâ gratias agit, hæc dicit. *Gloriamur in Domino cum Prophetâ canentes,* Adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram; *qui nullum nos in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit, ſed quæ noſtro prius miniſterio definierat, univerſæ fraternitatis firmavit aſſenſu, ut verè à ſe prodiiſſe oſtenderet, quod prius à primâ omnium ſede formatum totius orbis judicium recepiſſet.* Vides ut tum tantùm patuiſſe dicat rectum fuiſſe judicium ſuum, cum univerſæ Synodi aſſenſu firmatum fuit, & ante illum aſſenſum dubitari de eo potuiſſe non inficietur.

Porrò quod in Chalcedonenſi Concilio factum fuiſſe oſtendimus, in ſexto quoque obſervatum eſt. Lectæ in eo ſunt duæ epiſtolæ, una Agathonis, altera

tera Romani Concilii. Aliquanto pòſt Pontificis Legati ad Imperatorem dixerunt. *Petimus à Deo firmatam veſtram fortitudinem interrogari Georgium ſanctiſſimum Archiepiſcopum à Deo conſervandæ veſtræ regiæ urbis, & ſubjacentem ei Synodum, nec non & Macarium Archiepiſcopum Antiochenæ civitatis, & ſubjectos ei Epiſcopos, ſi convenit eis tenor relectarum duarum ſuggeſtionum, id eſt Agathonis ſanctiſſimi Papæ Apoſtolicæ ſedis antiquæ Romæ, & Concilii ei ſubjacentis.* Repoſuerunt Georgius & Macarius. *Petimus ut exemplaria prædictarum ſuggeſtionum percipiamus. Recurrentes namque, & conferentes teſtimonia quæ in eis ſunt ſanctorum probabilium Patrum, cum codicibus hujus venerabilis Patriarchii in ſubſequenti dabimus competens reſponſum.* Annuit Imperator, & ſequenti ſeſſione dixit Georgius. *Inſpiciens, pie Domine, omnem virtutem ſuggeſtionum directarum ad piiſſimam veſtram fortitudinem, tam ab Agathone ſanctiſſimo Papâ Romæ, quàm ab ejus Synodo, & ſcrutans libros ſanctorum & probabilium Patrum, quæ in eiſdem ſuggeſtionibus continentur, conſonantia, & in nullo diſcrepantia à Sanctis ac probabilibus Patribus. Et conſentio eis, & ſic profiteor, & credo.* Vide ut nonniſi poſt accuratum examen Agathonis literas admittat Georgius, & ubi admittit, profiteatur hunc ſuum aſſenſum, non Agathonis auctoritate, ſed prolatis ab illo Patrum teſtimoniis, iiſque à ſe collatis & excuſſis extorqueri.

OBSER-

OBSERVATIO X.

Non expenſa tantùm, ſed reſciſſa etiam in Conciliis quandoque ſunt Pontificum judicia.

QUæ ſuperioribus capitibus obſervata ſunt ſat apertè oſtendunt non dubitaſſe Veteres quin Pontifex ſit, ut alii mortales, errori obnoxius. Quæ nunc additurus ſum rem adhuc clariorem facient. Non tantùm poſt Romanum Pontificem Concilia judicarunt, non tantùm provocari ad ſe ab illius ſententiâ paſſi ſunt, non tantùm judicia illius expenderunt, ſed abjecerunt non ſemel, & longè aliter ac ille pronunciarunt. Patet id multis exemplis, quæ quoniam, uno excepto, infrà reddenda atque expendenda ſunt, ego hîc indicare duntaxat contentus ero.

Sic igitur poſtquam Victor decrevit non eſſe celebrandum Paſcha XIV. Martii Lunâ contrarium ſtatuit Synodus Epheſina ſub Polycrate.

Sic poſtquam Stephanus vetuit ab hæreticis baptizatos denuo tingi, contrariam conſuetudinem retinendam ſtatuit Concilium Carthaginenſe ſub Cypriano.

Sic poſtquam hæreticam Celeſtii confeſſionem, qua gratiæ neceſſitatem occultis cuniculis ſubruebat, peccatum verò originale apertiſſimè negabat, ſolemni judicio Zozimus approbaſſet, totius Africæ Concilium Carthagine congregatum Celeſtium damnavit, & ut damnaretur à Zozimo impetravit.

Apiarium Siccenſem Presbyterum Urbanus Epiſcopus excommunicaverat, & dejecerat. Confugit ille ad Zozimum, & reſtitutus ab illo fuit. Miſſi in Africam tres Legati, qui Apiarii reſtitutionem

tionem executioni mandarent. Reſtitere Afri, & non tantùm cum Zozimo, ſed cum ſucceſſoribus ejus Bonifacio & Celeſtino luctati ſunt.

Dices actum tunc fuiſſe non de jure, ſed de facto. Quærebatur enim qualis Apiarius eſſet, num impudicus, ut contendebant Afri, num frugi, ut Romani exiſtimabant. Agnoſco. Sed in judicio Zozimi duo errores implicabantur, unus facti, quod ſcilicet Apiarius purus eſſet atque integer, alter juris, quod nimirum Clericis Afris liceret ad Romanum Pontificem poſt damnationem confugere, & iſtius jus eſſet illos, ſi ita videretur, reſtituere. In utroque Afri Epiſcopi Romanis Pontificibus reſtiterunt, in hoc præſertim. Teſtem do ipſorum ad Celeſtinum Epiſtolam, qua finita lis videtur. *Præfato itaque debitæ ſalutationis officio impendio deprecamur ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem velitis excipere, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè advertit venerabilitas tua. Nam etſi de inferioribus Clericis vel Laicis videtur ibi præcaveri, quanto magis hoc de Epiſcopis voluit obſervari, ne in ſuâ provinciâ à communione ſuſpenſi à tuâ ſanctitate vel præproperè, vel indebitè videantur communioni reſtitui. Presbyterorum quoque, & ſequentium Clericorum improba refugia, ſicut te dignum, repellat ſanctitas tua, quia & nullâ Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & decreta Nicæna, ſive inferioris, ſive ſuperioris gradûs Clericos, ſive ipſos Epiſcopos Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt, prudentiſſimè enim, juſtiſſimeque viderunt quæcunque negotia in ſuis locis, ubi orta ſunt, finienda, nec unicuique providentia gratiam S. Spiritûs defuturam, qua æquitas à Chriſti Sacerdotibus, & prudenter videatur, & conſtantiſſimè teneatur: maximè quia unicuique conceſſum eſt, ſi ju-*

ſi judicio offenſus fuerit cognitorum, ad Concilia ſuæ provinciæ, vel etiam univerſale provocare. Niſi fortè quiſquam eſt qui credat unicuique poſſe Deum noſtrum examinis inſpirare juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipſum tranſmarinum judicium ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexûs, vel propter ſenectutis infirmitatem adduci non poterunt? Nam ut aliqui tanquam à ſanctitatis tuæ latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo conſtitutum.

Dices hoc ipſum ad diſciplinam pertinuiſſe, juſque non divinum, ſed Eccleſiaſticum ſpectaſſe. Agnoſco rurſus. Sed nunquam hoc Adverſarii dicent, quippe qui ſupremam Pontificis in rebus Eccleſiaſticis auctoritatem, non ab Eccleſiæ voluntate, ſed à divinâ inſtitutione derivant.

Dices denique aliam fuiſſe Afrorum iſtorum mentem, & exiſtimaſſe illos hoc totum, non à divinâ inſtitutione, ſed ab Eccleſiæ arbitrio pendere, quemadmodum vel inde patet, quod ad Scripturam nunquam, ad Patrum & Conciliorum ſtatuta ſemper provocent. *Quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè advertit venerabilitas tua. Quia & nullâ Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ. Ut aliqui tanquam à ſanctitatis tuæ latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo conſtitutum.* Ita eſt profectò. Sed inde etiam colligo juxta iſtos, non à divinâ inſtitutione, ſed ab Eccleſiæ voluntate derivari Romani Præſulis privilegia, quod & per ſe grave eſt, & quæſtionem noſtram definit. Quomodo enim exiſtimare illi potuerunt prærogativis ab Eccleſiâ conceſſis infallibilitatem comprehendi? Sic quocunque ſe vertant Adverſarii, argumenti noſtri vim non effugient.

En

En aliud. Poſtquam Vigilius trium capitulorum defenſionem non ſemel in ſe ſuſcepit, ea nihilominus damnavit Synodus Oecumenica V. Poſtquam ille damnavit, defendit Carthaginenſis ſub Reparato.

Inter Cyprum, Sergium, atque Sophronium Patriarchas pacta conventa approbavit, & rata habuit Honorius, damnavit Synodus ſexta.

Imaginum cultum plurimi Pontifices ſanxerunt. Prohibuerunt contrà Synodi Conſtantinopolitana in Oriente, & Francofurtenſis in Occidente.

Hadriani circa hoc ipſum argumentum epiſtolam abjecit & confutavit Synodus Pariſienſis ſub Ludovico Pio.

OBSERVATIO XI.

Ipſi Pontifices propter judicia ſua partim excommunicati, partim anathemate percuſſi quandoque ſunt, & in Conciliis, & extra Concilia.

Superior obſervatio, etiamſi ſola eſſet, quæſtionem profligaret. Quomodo enim illum errare neſcium Concilia putarunt, cujus judicia reſciderunt? Sed non in eo ſteterunt. Ulteriùs adhuc progreſſa ſunt. Non ſola Pontificum judicia, ſed ipſos quoque cum judiciis, & propter judicia Pontifices, damnarunt non ſemel, excommunicarunt, & anathemate percuſſerunt, & quidem non Concilia tantùm, ſed etiam extra Concilia Epiſcopi. Id luculentis quibuſdam exemplis patet.

Scripſerat libros quoſdam Theologicos Marcellus Ancyranus, in quibus multi contendebant, multi

multi etiamnum hodie contendunt, plurima falſa atque impia contineri. Hoc nomine accuſatus & damnatus à quatuor Synodis Orientalibus ad Julium Pontificem confugit, à quo convocatâ Occidentalium Synodo & communioni, & Sacerdotio reſtitutus eſt. Moleſtè, ut vidimus, hoc Orientales tulerunt, & vehementer obſtiterunt ne Julii & Occidentalium judicium executioni mandaretur. Quare habenda fuit Sardicenſis Synodus, in qua Marcelli, atque aliorum quorundam, cauſa diſcuti, ac tandem finiri poſſet. Facto conventu ſedere Marcellum, & reliquos à ſe reſtitutos, Occidentales voluerunt. Orientales contrà diſceſſuros ſe, ni illi pro damnatis haberentur, minati ſunt, & perſtantibus Occidentalibus diſceſſerunt, numero octuaginta, atque alteram Synodum Philippopoli habuerunt, in qua non Marcelli ſolùm, atque aliorum, depoſitionem confirmarunt, ſed ipſum quoque Julium excommunicare non dubitarunt.

Habemus adhuc Synodicas literas in fragmentis Hilarianis cum ſubſcriptionibus 73. Epiſcoporum, in quibus iſta habentur: *Poſt multa igitur, dilectiſſimi fratres, hæc vobis ex aperto mandamus, ne quis veſtrûm ab aliquo circumventus aliquando communicet, id eſt Oſio, Protogeni, Athanaſio, Marcello, Aſclepæ, Paulo, Julio: ſed ne cuiquam damnatorum in Eccleſiâ ſanctâ rejectis, neque ſociis ipſorum, qui illis ſive per ſe, ſive per ſcripta communicant. Quare nec vos ad illos ſcribere unquam debetis, nec ab ipſis ſcripta ſuſcipere.* Et quibuſdam interjectis. *Unde Julium urbis Romæ, Oſium, & Protogenem, & Gaudentium, & Maximinum à Treviris, damnavit omne Concilium ſecundum antiquiſſimam legem, ut auctores communionis Marcelli & Athanaſii.* Et aliquanto pòſt. *Propter has igitur cauſas juſtum indixit Concilium, ut Julium urbis Romæ, & Oſium, cæte-*

cæteroſque ſuprà memoratos diſcingeret, atque damnaret. Quæ cum ita ſint, cuſtodire vos ab ipſis, & abſtinere debetis, dilectiſſimi fratres, nec eos aliquando ad communionem admittere, ſed nec eorum literas accipere, nec ad illos literas dominicas dare.

Dices Arianos iſtos fuiſſe. Sed vix credibile eſt ullos verè Arianos extitiſſe, quandoquidem ad calcem Synodalis ſuæ epiſtolæ anathema pronunciant adverſus pleraque Arii placita, & ipſum eorum ſymbolum tanquam orthodoxum Hilarius approbavit. Quid quod ipſi Occidentales, quorum communionem refugerunt, non omnes, ſed quoſdam tantùm inter eos fuiſſe Arianos dicunt. Sic enim in epiſtolâ ad Julium. *Patuit apud omnes qui convenerunt ex partibus Orientis, qui ſe appellant Epiſcopos, quanquam ſint ex his certi auctores, quorum ſacrilegas mentes Ariana hæreſis peſtifero tinxit veneno &c.* Et in epiſtolâ ad univerſas Eccleſias audiviſſe ſe ajunt eſſe apud illos plurimos rectæ fidei. Quare nec omnes iſtos Orientales, illi depoſuerunt, ſed undecim duntaxat, & quidem tres tanquam intruſos, octo tanquam Arianos. Non ſunt igitur omnes tanquam hæretici infamandi.

Erant aliquot Semi-Ariani, fateor. Sed Semi-Ariani tunc pro Catholicis habebantur, ut in ſecundâ parte oſtenſurus ſum, Deo dante. Quicquid ſit gaudebant iſti tunc temporis totius Eccleſiæ communione. Julius, ut vidimus, fratres dilectiſſimos illos vocarat Convocati omnes ad Synodum fuerant, & poterant in eâ ſedere, ſi voluiſſent. Ab hoc tempore, fateor abrupta communio fuit, non inter Philippopolitanos iſtos, & reliquos orbis terrarum Epiſcopos, ſed inter Orientales omnes & Occiduos, quorum illi horum communionem averſabantur, ut iſti illorum. Teſtatur hoc Sozomenus (a). *Poſt hanc Synodum*, inquit,

(a) Soz. lib. 3. cap. 13.

quit, *Orientales & Occidentales non ampliùs inter ſe commiſti ſunt tanquam idem ſentientes de fide, neque invicem communicarunt. Sed Orientales quidem Thraciâ tenus, Occidentales verò uſque ad Illyricum ſeſe mutuò diremerunt.* Quare Philippopolitani iſti à reliquis Orientalibus ſejuncti non ſunt, & in earum regionum Conciliis non ſecus ac cæteri ſederunt. Imò, quod obſervatione digniſſimum mihi videtur, Baſilius Magnus, non Occidentalium, ſed Orientalium judicio circa Marcellum ſtetit, illumque pro hæretico ſemper habuit.

Nihil igitur iſti exemplo opponi poteſt. Aliud præbet Hilarius in fragmentis, quo loco Liberii epiſtolam exhibet, hæc per parentheſes inſerens : *Anathema tibi à me dictum, Liberi, & ſociis tuis. Iterum tibi anathema, & tertiò prævaricator Liberi.*

Daret aliud Dioſcorus cum duodecim Epiſcopis Ægyptiis Leonem excommunicatione feriens, & poſſemus nos facilè quæ illi Adverſarii opponunt repellere, ut fecit diu ante nos Doct. Blondellus (b). Sed quoniam Dioſcorus iſte hæreticus fuit, & ejuſmodi hominum dicta vel facta proferre nolumus, hoc miſſo alterum exhibebimus.

(b) *Blond. de la Prim. pag. 503.*

Vigilius à Juſtiniano & Orientalibus inflexus tria Capitula damnavit, ut poſthac, Deo dante, fuſiùs & accuratiùs exponemus. Quid ad hæc Afri Epiſcopi Concilium ſuæ gentis Carthagine ſub Reparato habentes ? Audiatur Victor Tunonenſis ad annum X. poſt Conſulatum Baſilii. *Africani*, inquit, *Antiſtites Vigilium Romanorum Epiſcopum, damnatorem trium Capitulorum, Synodaliter à Catholicâ communione, reſervato ei pœnitentiæ loco, recludunt, & pro defenſione memoratorum trium Capitulorum literas ſatis idoneas Juſtiniano Principi per Olympium Magiſtrianum mittunt.*

Honorii ad Sergium Epiſtolas tanquam hæreticas damnavit Concilium Oecumenicum VI. & comburi coram ſe juſſit. Tum Honorium ipſum anathemate percuſſit. Erit iſtud in ſequentibus accuratiùs expendendum ac vindicandum; quare iſthic non ampliùs id urgebimus, indicaſſe contenti.

Poteram addere Gallicanorum Epiſcoporum ad Gregorium IV. minas, quibus declarabant fore ut ſi ille excommunicaturus Imperatorem & Epiſcopos accederet, excommunicatus abiret, ut teſtatur vitæ Ludovici Pii ſcriptor anonymus (c), latam in Nicolaum I. à Synodo Photii excommunicationem, de qua Anaſtaſius in præfatione ad Synodum Oecumenicam VIII. ſimile quid à Theutgaudo Trevirenſi, & Gunthero Colonienſi adverſus eundem Nicolaum intentatum. Sed quoniam ſuperiora abunde ſufficiunt, iſta verò ſuas patiuntur difficultates, miſſa ea facio, & ad aliam obſervationem pergo.

(c) *cap. 14. ad ann. 831.*

OBSERVATIO XII.

Etiam approbata à Romano Pontifice Concilia Veteres abjecerunt.

NIhil eſt in quo magis eminere exiſtimetur Romani Pontificis poteſtas ſumma, quàm vel in approbandis, vel in abjiciendis Synodis, præſertim Oecumenicis, earumque decretis. Quare quotquot ſupremum Eccleſiæ caput, & infallibilem controverſiarum Judicem illum agnoſcunt, iidem arbitrantur ſacroſanctam eſſe Conciliorum, quibus ille calculum ſuum addiderit, auctoritatem, nullam eorum quibus negaverit.

Atqui in hoc Veteres ejus judicio haudquaquam

quam ſteterunt. Abjecerunt illi Concilia quæ tanquam legitima & generalia Romani Pontifices approbaverant. Non dico ejuſmodi Conciliorum decretis Veteres aliquando non ſtetiſſe. Erit id in ſecundâ parte oſtendendum. Hoc tantùm dico hujus generis Concilia fuiſſe à Veteribus rejecta, & flocci facta. Id ſequentia exempla palàm facient.

Sardicenſem Synodum Julius Pontifex, ut monet Lupus (a), per Occidentales & Septentrionales provincias ſolemniter publicavit, ita ut habere illam Romani Pontificis approbationem nemini dubium eſſe potuerit. Habuit tamen adverſarios nonnullos, quos idem ille Lupus recenſet (b). *Primùm*, inquit, *S. Baſilium, & ejuſmodi alios, ob reſtitutum Marcellum Ancyræ Epiſcopum, quem certum eſt cum Paulo Samoſatenſi, & Sabellio deliraſſe, atque adeò Synodum fuiſſe ab ipſo circumventam. Ad S. Gregorium Nazianzenum ſuadentem à ſede Apoſtolicâ, & omni Occidentali Eccleſiâ adverſum graſſantes varias Arianorum, & aliorum erronum, ſectas auxilia peti, hæc Baſilius:* Si Dominus ſit nobis propitius, &c.

(a) *Lup. in Concil. tom. 1. pag. 217.*

(b) *Ibid. pag. 209.*

Alter, inquit, *Synodi, & canonum Sardicenſium adverſarius fuit Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, nec non & omnis Africana Synodus, in qua & S. Auguſtinus, idque ob litem de Cleri Africani appellationibus ad ſedem Romanam. Eccleſiæ Africanæ Clerus inferior ex immemoriali regionis conſuetudine Romam appellare non poterat, coactus Primatis Carthaginenſis, aut ejus Synodi, judicio acquieſcere. Erat conſuetudo rationabilis...... Spretâ hac conſuetudine Apiarius Siccenſis Eccleſiæ in Mauritaniâ Presbyter ab Urbano Epiſcopo ſuo gravatus Romam provocavit ad Zozimum Pontificem, qui appellationem ſuſcepit, & reclamantibus Africanis Epiſcopis rationes facti ſui de-*

dit ex III. IV. & XIV. Canonibus Sardicenſibus ſcribens eſſe Nicanos. Inchoavit, non finivit litem. Etenim ad Bonifacium I. Pontificem hac Afri. Quamvis plurimos codices legerimus, ſed nunquam in Nicæno Concilio in Latinis codicibus legimus Canones quemadmodum inde (*ex urbe Romanâ*) in (*Zozimi Pontificis*) commonitorio directi ſunt. *Et ad Pontificem Celeſtinum.* Ut aliqui tanquam à tuæ Sanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo Conſtitutum. *Quarto Sardicenſi canone id lucidè ſtatutum eſt, atque ita etiam lucet Africanis Epiſcopis hanc Synodum fuiſſe penitus ignotam. Neſcierunt ipſam à conventiculo Philippopolitano diſtinguere, credidere Arianam, ut ſupra audivimus à SS. Alypio & Auguſtino. Fauſtinus Potentinus Epiſcopus & Romani Pontificis Legatus Synodo VI. Carthaginenſi non tantùm obſtitit, ſed & varias injurias irrogavit, quaſi Romanæ Eccleſiæ aſſerens privilegia, atque ex illis volens Apiarium recipi in gradum & communionem per Zozimum reddita. At perſuadere nequiit miſſos canones eſſe legitimos, longè minùs Nicænos.*

Hæc ille, in quibusdum confirmatos olim, & tunc temporis obtruſos à Romanis Pontificibus canones conſtanter ab Afris rejectos, & Arianæ Synodo imputatos agnoſcit, ſatis fatetur non ſuffeciſſe tunc temporis Romanam approbationem ad conciliandam Synodorum decretis fidem atque auctoritatem, & eâ non obſtante ſperni illa conſueviſſe, quod ego ſolum demonſtrandum ſuſceperam.

Pergit quibuſdam interjectis. *Tertius Sardicenſium canonum hoſtis fuit impius Photius..... Quartus tandem & peſſimus Auxilius Clericus Francus in opere de ordinationibus Formoſi Pontificis. Proſcindit præſertim ſecundum, qui Epiſcopis certo modo translatis negat laicam communionem, id eſt ſacramentalem*

recon-

reconciliationem, etiam in fine. Repugnare dicit decimotertio, & quintodecimo Nicænis, in quos nulla fuit Hoſio poteſtas. Eſſe non Catholicum, ſed Catharum, ſeu Novatianenſem.

Epheſinum I. Concilium à Celeſtino Pontifice confirmatum fuiſſe nunquam Adverſarii negabunt, quinimò vehementer contendunt. Atqui nemo neſcit rejectum illud diu fuiſſe ab Orientalibus, & novem aliarum provinciarum Epiſcopis numero ferè ducentis, quantumvis in contrarium annitente Theodoſio A. & vix tandem impetratum ut admitteretur.

Reſpondet Lupus (c) *Epheſinam Synodum ab Epiſcopis Orientalibus judicatam fuiſſe, non legitimam & plenam, ſed mancam & variè vitioſam, utpote factam ſine debito examine, & per humanos affectus & corruptiones, ad inſtar conventûs Seleucienſis aut Ariminenſis, ſeu latrocinii Epheſini, in quo ſub religionis prætextu & vulnere privatas injurias novimus vindicatas.* Rectè. Sed ſic reſpondendo dat manus. Exiſtimarunt ergo Veteres illi Synodi illegitimæ, variè vitioſæ, ſine debito examine, & per humanos affectus & corruptiones, atque adeo perperam, procedentis ac decernentis, uno verbo ſidem prodentis, acta & decreta poſſe à Romanâ ſede probari, & confirmari. Agnoverunt igitur nec firmum eſſe Pontificis judicium, nec ejus approbationem eſſe certum legitimæ, ac rectè decernentis, Synodi characterem, quod modò mihi detur, ut negari certè non poteſt, nihil aliud requiram.

(c) *Lup. in Conc. tom. 1. pag. 426.*

Sed quamvis illud ſufficiat inutile non erit obſervare quæ Facundus circa hoc ipſum argumentum habet. Sic igitur ille (d). *Si quis autem dicit quod Ibas, atque Orientales, & aliarum provinciarum Epiſcopi (una quippe horum omnium cauſa eſt) etiam in*

(d) *Fac. lib. 7. cap. 6.*

in his quæ non intelligebant, auctoritatem Epheſini Concilii ſequi debuerint, ipſe quoque primùm conſiderare debet, quod etiam Synodus Chalcedonenſis conſideraſſe credenda eſt, quoniam tantis diſſentientibus, qui moniti fuerant ſimul in ipſum Concilium convenire, non tanta illo tempore, quanta nunc eſt, ejus eſſe poſſet auctoritas, cum nec dum etiam judicio magnæ Chalcedonenſis Synodi firmaretur. Patet ex iſtis neſciiſſe Facundum Conciliorum firmitatem à Romanæ ſedis approbatione pendere. Si hoc ita haberet nullam excuſationem admitteret Orientalium procacitas, qui probatam à Romano Præſule Synodum tam obſtinatè reſpuebant. Excuſat tamen Facundus, quòd nondum acceſſiſſet Chalcedonenſis Concilii confirmatio, cui uni, præter antiquitatem imputat, quòd quo tempore ſcribebat, Epheſinæ Synodi auctoritas non ampliùs vacillaret. Alia igitur Facundi, alia Adverſariorum mens eſt.

Quintam Synodum approbarunt Vigilius, Pelagius I. Joannes III. Benedictus I. Pelagius II. Gregorius I. & ut admitteretur pro virili parte annixi ſunt, quemadmodum fusè oſtendit Noris (e), nec præter Halloixium alii diffitentur. Fruſtra tamen diu laborarunt. Toto ferè Occidente rejecta iſthæc Synodus fuit. Audiatur ipſe Baronius. *Aliæ*, inquit (f), *Synodi Eccleſiis pacem ac tranquillitatem, & multa ſimul bona ſedatis diſcordiis attulerunt. Hæc autem quæ à multis quinta nominabatur, magis quam erat, & à multo pluribus rejiciebatur, pro pace bellum, pro unione diviſionem, pro bonorum cornu copiâ malorum myriadem importavit.* Et alio loco (g). *A bellis tandem Italia conquievit, cum tamen viguerit bellum Eccleſiaſticum ex comprobatione quintæ Synodi facta à Vigilio, & poſt à Pelagio, ad retinendam Orientalem Eccleſiam*

unitam

(e) *Nor. diſſ. de V. Syn.*

(f) *Bar. ann. 355. §. 12.*

(g) *Idem ann. 556.*

unitam cum Occidentali, pleriſque Occidentalibus Epiſcopis reſilientibus à communione Romani Pontificis, & Catholicis ipſis, qui nunquam defecerunt, nec ſynodum quintam damnarunt eam ſilentio prætereuntibus.

Synodum Nicænam II. cum Francofurtenſi conferens Bellarminus hæc ait (h). *Sine dubio illi* (Francofurtenſi) *anteponendum eſt Concilium Nicænum II. quod certum eſt fuiſſe univerſalius, antiquius, & ſine controverſiâ à ſummo Pontifice approbatum.* Vide tamen quid de Nicæno illo Francofurtenſe pronunciaverit. *Allata eſt in medium quæſtio de novâ Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum ita ut Deificæ Trinitati ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſuprà ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnarunt.* Huic autem Francofurtenſi decreto acquievit Occidentis pars maxima, Gallia, Germania, Britannia, ut in ſequentibus patebit.

(h) *Bell. de Concil. lib. 2. cap. 8.*

Synodum Oecumenicam octavam fuiſſe & à Pontifice approbatam, & à Gallis, viciniſque populis, repudiatam in ſecundâ parte planum fiet. Quare dubitandum non eſt quin veriſſimum ſit id quod initio dicebam, etiam approbata à Romano Præſule decreta Veteres quandoque rejeciſſe.

OBSERVATIO XIII.

Non tantum Veteres hac libertate uſi ſunt, ſed non poſſe illam cuiquam negari exiſtimarunt.

SUperior Obſervatio factum ſolum attigit. Iſtà jus ipſum exponet. Aio igitur hanc fuiſſe Veterum ſententiam, ut liceat cuivis Chriſtiano, poſthabitâ Romani Præſulis approbatione, Conciliorum quorumvis ſtatuta ad examen revocare. Ita ſenſiſſe Auguſtinum manifeſtum eſt. Nemo etenim neſcit approbatam à Romanâ ſede fuiſſe Nicænam Synodum, rejectam contrà Ariminenſem. Nihilominùs tamen Auguſtinus Synodos illas, ut ita dicam, exæquat, & negat majorem eſſe unius quàm alterius auctoritatem. Negat ſaltem cujuſvis ſummam eſſe. Sic enim cum Maximino Ariano diſputans (a). *Sed nec ego tibi Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, ſed utriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum causâ, ratio cum ratione concertet.*

(a) *Aug. cont. Max. lib.* 3. *cap.* 14.

Reſpondet Bellarminus *Auguſtinum non velle dicere non teneri ullo modo Maximinum auctoritate Concilii Nicæni, ſed non teneri in illâ diſputatione, quia Auguſtinus id permittebat.* Sed contrarium Auguſtinus ipſe clarè pronunciat. *Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris.* An apertiùs dicere potuit non magis Maximini fidem Nicæni Concilii decretis adſtringi, quàm ſuam Ariminenſis ſtatutis? Nonne eandem eſſe utriuſque rationem tantùm non clamat? Quemadmodum igitur non ideò Auguſtinum tenebat Ariminenſis Concilii auctoritas,

tas, quòd id ipſi Maximinus concederet, ſed quia malè judicatum ab illo fuiſſe Auguſtinus contendebat; pari prorſus ratione Maximini fidem non devinciebant Nicæna decreta, quòd exiſtimaret ille eſſe iſta Scripturæ Sanctæ contraria.

Id verò eo manifeſtè apparet, quòd verba iſta rationem contineant eorum quæ præmiſit, non debere ſe Adverſario Nicæni Concilii decreta objicere. Quare hoc? *Quia*, inquit Auguſtinus, *tu illius auctoritate non detineris.* Frigidè prorſus, & inſulsè, ſi id tantùm voluit, poſſe quidem ſe, ſed nolle, Nicænæ Synodi auctoritate illum premere. Nec denique huic ſenſui convenit altera, quam Auguſtinus inſinuat, aſſertionis ratio, dum ait auctoritates Scripturæ non eſſe quorumque proprias, ſed utriſque communes, quibus ſignificat ideo Conciliorum iſtorum teſtimonium non valere, quòd neutrum ab utriſque agnoſcatur.

Quod autem Bellarminus objicit, ſubleſtam illius prodit fidem. *Quòd*, inquit, *Auguſtinus putaverit Concilium Nicænum ſumma fuiſſe auctoritatis, & oportuiſſe omnes illi acquieſcere, patet ex verbis præcedentibus, ubi ſic ait*; Hoc eſt illud Homouſion, quod in Concilio Nicæno adverſus hæreticos Arianos à Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum eſt. &c. *Quid enim eſt veritas auctoritatis, niſi vera & certa auctoritas?* Etenim ſub illius &c. umbraculo locum Auguſtini fraudulenter detruncat, ea reſecans, quæ verum & genuinum Auguſtini ſenſum aperiunt. Sic enim habet locus intiger. *Hoc eſt illud Homouſion, quod in Concilio Nicæno adverſus hæreticos Arianos à Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum eſt, quod poſteà in Concilio Ariminenſi propter novitatem in verbis minùs quàm oportuit intellectam, quam tamen fides antiqua pepererat,*

rat, multis paucorum fraude deceptis hæretica impietas ſub hæretico Imperatore Conſtantio labefactare tentavit. Sed poſt non longum tempus libertate fidei Catholicæ prævalente, poſteaquam vis verbi ſicut debuit intellecta eſt, homouſion illud Catholicæ fidei ſanitate longè lateque defenſum eſt. Quid eſt enim Homouſion, niſi unius ejuſdemque ſubſtantiæ? Quid eſt, inquam, Homouſion, niſi. Ego & Pater unum ſumus? Sed nunc nec ego tibi Nicænum, & quæ ſequuntur. Nonne hæc evincunt eam veritatis auctoritatem, de qua Auguſtinus, non Concilii, ſed Scripturæ auctoritatem eſſe?

Patet igitur Auguſtini mens. Hilarii ſimilis fuit. Diſputat, ut Auguſtinus, de Homouſio, quod Patres Antiocheni Samoſatenum damnantes abjecerant, Nicæni adverſus Arium pronunciantes admiſerant. Sic autem diſſerit (b). *Malè intelligitur homouſion. Quid ad me benè intelligentem? Nunquid meliùs Ariani negaverunt? Octoginta Epiſcopi olim reſpuerunt, ſed trecenti decem & octo nuper receperunt. Et mihi quidem ipſe ille hic numerus ſanctus eſt, in quo Abraham victor Regum impiorum ab eo qui æterni Sacerdotii eſt forma, benedicitur. Illi contra hæreticum improbaverunt. Nunquid & iſti non adverſum hæreticum probaverunt. Gravis auctoritas eſt Veterum. Nunquid & horum levis ſanctitas eſt? Si contraria invicem ſenſerunt, debemus quaſi judices probare meliora. Si verò & probando, & improbando unum utrique ſtatuerunt, qui benè ſtatuta convellimus? Sed fortè dicetur mihi; Aliqui hodie ex his qui tunc Synodo interfuerunt tacendum de homouſio eſſe decreverunt. Et ego invitus licet reſpondebo dicenti, nunquid non & ipſi tacendum eſſe de homœuſio conſtituunt? Oro vos ne quiſquam alius ex his præter ſenem Oſium, & ipſum illum nimium ſepulchri ſui amantem, reperiatur, qui tacendum eſſe exiſtimet de utroque.*

(b) *Hil. de Sin. ſub. fin.*

In

In his multa obſervanda. I. Juxta Adverſarios abſurdiſſimum foret provincialem Synodum in extremo Oriente ab octuaginta Epiſcopis celebratam cum Oecumenicâ, vel potiùs Oecumenicarum principe, à Romano Pontifice, ut volunt, confirmatâ, uno verbo fallibilem cum infallibili componere, multo magis illam iſti præferre. Faciebant tamen utrumque Ariani, & homouſion, quod Necæna Synodus approbaverat, ideo abjiciebant, quòd reprobatum ab Antiochenâ fuiſſet. Prævaricatur ergo Hilarius, qui hanc Oecumenicarum ſupra locales Synodorum eminentiam & prærogativam, hanc pracipuè Romani Præſulis approbationem, qua diſputatio finiebatur, non commemorat. Prævaricatur certè ſi ſciens tacet, ſtupidus, & Epiſcopalibus infulis prorſus indignus eſt, ſi quod omnes ſciunt ſolus ignorat. Vel ignorat tamen, vel conſultò omittit, ſiquidem hoc loco, ubi tam commoda iſtud promendi occaſio ſe ingerit, ſilet. II. Quinimò duabus illis Synodis vel idem, vel ſimile certè, pondus tribuit, & modò Nicæna non proculcetur, extolli quantumlibet Antiochenam patitur. *Gravis*, inquit, *eſt auctoritas Veterum. Nunquid & horum levis ſanctitas*? III. Si præferre aliquatenus Nicænos Patres Antiochenis videtur, ideo duntaxat præfert, quòd illorum numerus aliquatenus ſacer ſit, utpote militum Abrahami numero præfiguratus, quod leve profectò eſt præ iis quæ Nicænam Synodum ſupra Antiochenam juxta Adverſarios extollunt. Denique obſervatione digniſſimum, quòd poſitâ per meram conceſſionem duarum illarum Synodorum pugnâ, judicium penes quemque eſſe velit. *Si*, inquit, *contraria invicem ſenſerunt, debemus quaſi judices probare meliora*. Sumus ergo juxta Hilarium ipſarum Synodorum judices, & ubi illæ contraria edunt, noſtrum eſt optima ſeligere, prava reſpuere,

non à Romani Pontificis judiciis ſerviliter pendere.

Edidit Mabillonius Analectorum tomo I. præfationem quandam Algeri Leodienſis Scholaſtici ad librum de miſericordiâ & juſtitiâ, in qua veniam deprecatus eorum, in quibus errare, ut homo, potuit, hæc addit. *Ut enim Auguſtinus in Epiſtolâ ſuâ ad Bonifacium*; Non quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum virorum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, ſalvâ honorificentiâ quæ illis debetur, aliquid in eorum ſcriptis improbare, vel reſpuere, ſi fortè invenerimus quòd aliter ſenſerint, quàm habet veritas divino adjutorio, vel aliis intellecta, vel nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum. *Item Iſidorus ad Meſanum Epiſcopum capitulo X.* In fine autem hujus epiſtolæ hoc adjiciendum putavi, ut quotieſcumque in geſtis Conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius Concilii magis teneatur ſententia, cujus antiquior & potior extat auctoritas. *Cum ergo tanti tales que viri ſua, vel aliorum ſcripta, vel etiam quorumlibet Conciliorum ſententias aliorum diſcretioni reliquerint examinandas, vel corrigendas, quis ego ſum ut meis correctoribus ſuccenſere audeam?* Vide ut de quibuslibet Conciliis, nullo excepto, dicat, omniumque ſententias examinandas & corrigendas fidelium diſcretioni relinquat. Apertum iſtud, & nullis cavillationibus eludi poteſt.

OBSERVATIO XIV.

Veteres cæcam obedientiam Romanorum Pontificum decretis deberi non putarunt.

NIhil cum opinione de infallibilitate Romani Præſulis arctiùs cohæret, quàm ut quævis ejus decreta nullo examine prævio, & cum cœcâ animi

mi demiſſione ſuſcipiantur; nihil cum eâ magis pugnat, quàm ſi illis non aliâ lege fides adhibeatur, quàm ſi recta eſſe conſtiterit. Hac de cauſâ libri, quem de auctoritate Pontificis Theophilus Raynaudus ſcripſit, titulum eſſe voluit αὐτὸς ἔφα, ut eo ipſo ſignificaret nihil inquirendum poſtquam Romanus Præſul pronunciavit. Nec immeritò certè. Quare etenim expenderetur id decretum, quod malè habere ne poteſt quidem? Quæ rurſus perverſitas eſſet, ſi errori obnoxii judicium ſibi in errare neſcium arrogarent?

Eadem igitur eſſe debuit Veterum ſententia, ſi errare neſcium Pontificem putarunt. Debuerunt illi quævis ejus decreta nullo examine prævio ſuſcipere. Atqui nec fecerunt, nec faciendum putarunt. Mitto quòd ejus decreta ſæpiſſimè expenderunt. Oſtenſum id obſervatione IX. Mitto quòd adverſus illa multoties inſurrexerunt. Erit id totius ſecundæ partis argumentum. Aliter quoque mentem ſuam circa id quod dicimus aperuerunt.

I. Primùm eo quòd prohibentes ne quis fidem ſuam cujuſcunque hominis arbitrio permittat, & præcipientes ut quiſque quid credendum ſibi ſit diligenter inquirat, Romani Præſulis judicia non exceperunt, ut excipere debuerunt, ſi ejus decretis neceſſariò parendum exiſtimarunt. Sic Clemens Alexandrinus, (a). *Non abſolutè enunciantibus hominibus fidem habemus, quibus licet contrarium enunciare. Non ſatis eſt hiſce abſolutè dicere quod ſibi viſum eſt, ſed oportet probare quod dictum eſt, nec expectamus teſtimonium quod datur ab hominibus, ſed voce Domini probamus quod quæritur.* Lactantius (b). *Oportet in eâ re maximè, in qua vitæ ratio verſatur, ſibi quemque confidere, ſuoque judicio, ac propriis ſenſibus niti ad inveſtigandam & perpendendam veritatem, quàm credentem alienis erroribus decipi tanquam ipſum ratio-*

(a) *Clem. Strom. lib. 7.*

(b) *Lact. lib. 2. cap. 8.*

rationis expertem. Quare cum ſapere, id eſt veritatem quærere, omnibus ſit innatum, ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Baſilius hoc ſibi
(c) *Baſil. in Aſcet. reg. 72.* probandum proponit (c). *Quòd debent auditores, qui ſacrarum literarum periti ſunt, adhibito diligenti judicio ea auſcultare, quæ à Doctoribus dicuntur, & ex iis quæ Scripturæ eſſe conſentanea cognoverint admittere, contraque quæ aliena repudiare. Qui autem pertinaciter prava ejuſcemodi decreta voluerint defendere, majorem in modum defugere, averſarique.* Ita omnes univerſaliter, & abſque ullâ Romani Pontificis exceptione.

II. Negarunt inſuper ullum eſſe in terris judicem, præter Deum in Scripturâ loquentem, qui Chriſtianorum lites finire queat. Sic optatus Mile-
(d) *Opt. lib. 5.* vitanus (d). *Vos dicitis licet, nos non licet. Inter licet veſtrum, & non licet noſtrum, nutant & remigant animi populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis. Omnes contentioſi homines ſumus. Quærendi ſunt judices. Si Chriſtiani, de utraque parte dari non poſſunt, quia ſtudiis veritas impeditur. De foris quærendus eſt judex. Si Paganus, non poteſt noſſe Chriſtiana ſecreta. Si Judæus, inimicus eſt Chriſtiani baptiſmatis. Ergo in terris nullum de hac re reperiri poterit judicium. De cœlo quærendus eſt judex. Sed ut quid pulſamus ad cœlum, cum habeamus hîc in Evangilio teſtamentum.*

III. Negantes hominum ſcriptis ideo credendum, quòd ita illi doceant, Apoſtolorum quidem & Prophetarum ſcripta excipiunt, Poncificum de-
(e) *Chryſ. in Pſal. 99.* creta non item. Sic Chryſoſtomus (e). *Si quid dicitur abſque Scripturâ, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæſitans, & interdum ſermonem ut frivolum averſans, interdum ut probabilem recipiens. Verùm ubi è Scripturâ divinæ vocis prodiit teſti-*

teſtimonium, & loquentis ſermonem, & audientis animum confirmat. Auguſtinus (f). *Si Scripturarum firmatur auctoritate ſine ullâ dubitatione credendum eſt; aliis verò teſtibus, vel teſtimoniis tibi credere, vel non credere liceat.* Alibi quoque (g). *Non ſine causâ tam ſalubri vigilantiâ canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus, & ſecundum quos de cæteris literis vel fidelium, vel infidelium liberè judicemus.* Alibi rurſus (h). *Ego ſolis eis Scriptorum, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere, alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione quòd à veritate non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Rurſus aliquanto pòſt. *Quanquam ſicut paulo antè dixi, tantumodo Scripturis Canonicis hanc ingenuam debeam ſervitutem, quæ eas ſolas ita ſequar, ut conſcriptores earum nihil in eis omnino erraſſe, nihil fallaciter poſuiſſe, non dubitem.*

(f) *Aug. epiſt. 112.*

(g) *Cont. Creſc. lib. 2. cap. 31.*

(h) *Epiſt. 19.*

Hæc illi, in quibus tria obſervanda. Primum quòd conſtanter aſſerant nihil eorum quæ à quocunque proferuntur, firmum eſſe, niſi Scripturæ auctoritate fulciatur, quod ſi verum, infirmum erit quicquid ſolius Pontificis judicio nitetur. Secundò docent ſolas Scripturas eſſe, quibus abſque ullo examine ſecurè credi poſſit, ac proinde alio ordine haberi quælibet Pontificum decreta. Tertiò denique ex Scripturis quævis dijudicanda. Non aiunt partim ex Scripturis, partim ex Pontificis placitis, ſed ex Scripturis duntaxat, quo ipſo innuunt ſolas illas certam fidem facere.

IV. Eadem fuit celeberrimi illius Maximi Abbatis Conſtantinopolitani ſententia, cujus quoniam ope-

opera ad manum non ſunt, cogor quæ de illo dicenda habeo à Scriptore Hiſtoriæ Monothelitarum mutuari. Sic igitur ille (m). *Id unicè addiderim, quod memini legiſſe me in Collatione S. Maximi cum Principibus in Secretario. Objecerant hi, quòd Apocriſiarii Romæ Veteris eſſent unanimiter ſuſcepturi Typum Conſtantis. Maximus, utpote aſſuetus hujuſmodi prœliis, reſpondit ſe nunquam ſibi perſuaſurum hoc illos eſſe facturos, ſaltem de mandato Pontificis. Inſtantibus autem Patritiis quid ipſe foret acturus, ſi ſemel Apocriſiarii de licentiâ Præſulis Romani in ſcriptis habitâ id exequerentur: non aliis S. Maximus, ut hac retundantur, utitur verbis, quàm illis Apoſtoli ad Gal.* 1. Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. *Et quid autem aliud ſibi velit modus hic reſpondendi, niſi ſe quoque paratum eſſe ad anathematizandum Pontificem Romæ Veteris ſi ſemel hic Typum illum recepiſſet?* Rectè. Sed qui paratus eſt anathema dicere Pontifici id ſuſcipienti quod ipſe hæreticum arbitratur, is non exiſtimat debere ſe ab illius judicio abſolutè pendere, & fidem ſuam ejus decretis præfert, quod cum cœcâ obedientiâ manifeſtiſſimè pugnat.

(m) Serut. 7. §. 15.

Non eſſe aliam Ambroſii, Hieronymi, & Auguſtini mentem penultimâ poſterioris partis obſervatione patebit.

OBSER-

OBSERVATIO XV.

Qualis Pontifex eligeretur parum Veteres curarunt.

PRiſcos Eccleſiæ mores cum recentibus conferenti ut multa ſtatim diſcrimina occurrunt, ſic unum, quod ad rem noſtram non parum facit. Ex quo tempore Romanus Præſul totius Eccleſiæ caput, Chriſti Vicarius, & immota fidei regula exiſtimatur, totius Eccleſiæ intereſſe putatur, ut legitimè electus tam ſublime ſolium occupet. Nec immeritò ſanè. Si enim illegitimus, ac vitio creatus Pontifex toti Eccleſiæ præeſſet, periculum eſſet ne illam in errorum devia abduceret, & rectam fidem vitiaret. Quare quanti refert fidei puritas, quanti Eccleſiæ ſalus, tanti ut nonniſi bonus ac legitimus Papa habeatur.

Hinc primo loco factum eſt ut poſtquam ad ſolos Romanæ Eccleſiæ Cardinales eligendi Pontificis poteſtas delata eſt, conſultum viſum ſit ut illi ex univerſâ Eccleſiâ, & præcipuis ſaltem illius partibus deligerentur, juxta illud Bernardi, (a). *Annon eligendi de toto orbe orbem judicaturi?* Statutum illud expreſſè in Concilio Conſtantienſi. Etſi enim in vulgatis editionibus decretum illud, ut multa alia, non reperiatur, dubitari tamen eâ de re non ſinit Dominicus Torcellanus, cujus opuſculum edidit M. Ant. de Dominis ad calcem primi tomi de Reſpub. Eccleſ. Imò decretum ipſum exhibent in noviſſimâ Conciliorum collectione Labbæus & Coſſartius.

(a) *Bern. de conſid. lib.* 4. *cap.* 4.

Inde ſecundo loco accidit, ut quoties propter diverſa Cardinalium ſtudia duo electi ſunt, toties

toto orbe trepidatum ſit, quaſi res eſſet univerſæ Eccleſiæ exitioſa, nec priùs ceſſatum, donec repreſſum ſchiſma fuerit. Legatur magni illius, & diuturni ſchiſmatis, quod Conſtantienſe Concilium repreſſit, hiſtoria à Lud. Mamburgio ſcripta, & apparebit ſtatim quantum id eſſe malum omnes putarent. Nec immeritò, ſi eum in Eccleſiâ locum Papa occupat, quem occupare vulgò cenſetur.

Inde denique factum eſt ut ad quærendum tanto malo remedium nihil nimium viſum fuerit, atque imprimis Concilia Oecumenica in eum finem convocata & habita ſint. Nec fieri ſanè aliter decuit. Nam præterquàm quòd particulare Concilium ſatis auctoritatis non habet ad hoc ut de Papatu contendentes in ordinem cogat, ſi quod id aggrederetur, metus eſſet ne reliquæ provinciæ illius judicio non acquieſcerent. Quare ad Oecumenicas Synodos neceſſariò confugiendum.

Si igitur Veteres eodem loco Pontificem habuiſſent, quo hodie recentiores habent, eadem ſe ratione proculdubio geſſiſſent. Non geſſerunt tamen. Primùm enim eligendi Pontificis curam Romanæ Eccleſiæ aliæ omnes reliquerunt, nec moderandæ illius electioni ampliùs ſe immiſcuerunt, quàm ſi rem ad ſe nullatenus pertinere exiſtimaſſent. Secundò etſi multa fuerint in Eccleſiâ Romanâ ſchiſmata non videntur reliquæ gentes id admodum curaſſe. Neglectum id fuit, ut parum ad univerſam Eccleſiam ſpectans. Denique Provincialibus, vel ad Summum Nationalibus, Conciliis ea cura relicta, ut ipſe Bellarminus obſervat. *Si*, inquit, (b), *unum ſchiſma ſublatum eſt per generale Concilium Conſtantienſe, ſchimata ſupra quinque & viginti ſine Concilio generali ſublata ſunt.*

(b) *Bell. de Concil. lib.* 1. *cap.* 10.

PARS

PARS POSTERIOR.

In qua Obſervationes Speciales.

OBSERVATIO PRIMA.

Controverſia circa celebrationem Paſchatis Secundo ac tertio ſeculis agitata manifeſtè oſtendit ignotam tunc temporis Romani Præſulis infallibilitatem fuiſſe.

HActenus fuerunt obſervationes generales, nulli ſpeciatim ſeculo, nulli peculiari eventui affixæ, ſed ex communi omnium, quà eventuum, quà ſeculorum inſpectione deſumptæ. Sequentur nunc ſpecialiores nonnullæ, quibus occaſionem dederunt extraordinarii quidam eventus, lites præſertim in Eccleſiâ variis temporibus exortæ, quarum attenta conſideratio evidentiſſimè oſtendet Veteres ne ſuſpicatos quidem Romanum Pontificem non poſſe errare.

Agmen ducet nobiliſſima circa celebrationem Paſchatis controverſia ſecundo jam ſeculo exorta, tertio renovata, quarto definita, nec omnino tamen extincta, ſed earum periodorum qualibet id quod dixi invictè probans. Id ut diſtinctiùs perſpiciatur, & vitetur omnis confuſio, obſervationem iſtam, ut ſequentium pleraſque, in varios articulos dividam.

ARTICULUS I.

Exponitur quid Polycarpum inter & Anicetum geſtum ſit.

ASiatici, Meſopotameni, Cilices, Syri Paſcha cum Judæis decimâ quartâ præcisè Martii Lunâ celebrabant. Reliqui omnes die Dominicâ decimam quartam Lunam proximè ſequente. Illi Joannis ac Philippi Apoſtolorum traditionem prætexebant, hi Petri & Pauli. Perſtabat quiſque in ſuâ ſententiâ. Nominatim Polycarpus S. Joannis diſcipulus, Irenæi magiſter, & Smyrnenſis Eccleſiæ Antiſtes, cum Aniceto Urbis Præſule de variis apicibus, ſpeciatim verò de celebratione Paſchatis, collocutus, illius ſententiæ accedere noluit, ſed in ſuâ conſtantiſſimè permanſit, ut his verbis, quæ Euſebio (a), debemus, Irenæus narrat. *Cum beatiſſimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam veniſſet, atque inter illos de quibuſdam aliis rebus modica eſſet controverſia, ſtatim mutuo ſe pacis oſculo complexi ſunt, de hoc capite non magnopere inter ſe contendentes. Neque enim Anicetus Polycarpo perſuadere unquam poterat, ut obſervare deſineret, quippe qui cum Joanne Domini noſtri Diſcipulo, & cum reliquis Apoſtolis, quibuſcum familiariter vixerat, eum morem perpetuò obſervaſſet.* Οὔτε μὴν ὁ Πολύκαρπος τὸν Ἀνίκητον ἔπεισε τηρεῖν: *Neque item Polycarpus Aniceto perſuaſit ut obſervaret* (ſic reddo, non cum Valeſio, *perſuadere conatus eſt*, quæ alium ſenſum exhibent, Adverſariis quidem ſatis commodum, ſed Irenæo adverſum, ut & ex Græcis, & ex ſequentibus liquidò conſtat) *cum Anicetus eorum, qui ante ſe fuerant, Presbyterorum morem ſibi retinendum eſſe diceret. Quæ cum ita ſe haberent, communicarunt ſibi invicem. Et Anicetus in Eccleſiâ con-*

(a) Euſ. lib. 5. cap. 24.

conſecrandi munus Polycarpo honoris cauſâ conceſſit, tandemque cum pace à ſe invicem diſceſſerunt, tam iis qui obſervabant, quam illis qui minimè obſervabant, pacem communionemque Eccleſiæ retinentibus.

Non quæro nunc utrum hac ipſâ de cauſâ Polycarpus Romam venerit, ut exiſtimat Baronius, an aliâ, ut mavult Valeſius. Sufficit mihi colloqui Anicetum & Polycarpum, diſputare præſentes de iis quæ Religionem ſpectant, & utrumque in ſuâ ſententiâ perſtare. Hoccine, quæſo, accidiſſet, ſi Polycarpus Anicetum infallibilem eſſe putaſſet, & hoc privilegio donatum ex Joanne didiciſſet?

Non video quid his opponi poſſit, niſi fortè quis dicat, Anicetum ſententiam quidem ſuam adverſus Polycarpum defendiſſe, cæterùm quæſtionem judicialiter neutiquam definiiſſe, ac proinde cum non ut pontifex, ſed ut privatus Doctor ageret, nihil vetare quominus Polycarpus, qui illum ut privatum errare exiſtimabat, ut Pontificem infallibilem putaret. Ego conrà contendo ſic reſponderi cum minimâ probabilitatis ſpecie non poſſe. Nam ſi Polycarpus putaſſet Anicetum quæſtionem iſtam definientem in errorem labi non poſſe, quis credat diſputare contra illum maluiſſe, quàm obnixè rogare ut definiret? Non inanem gloriam, non victoriam, ſed pacem, ſed veritatem quærebat vir ſanctiſſimus. Ac proinde ſi utramque à Pontificis judicio pendere exiſtimaſſet, non argumentis, ſed precibus uſus eſſet, quibus Pontifici perſuaderet, ut cathedram Petri conſcenderet, & inde pro more oracula funderet.

Quid quod nihil neceſſe erat ut Anicetus quæſtionem definiret, ſi vera eſſet Adverſariorum ſententia. Juxta illos nequit Pontifex contra propriæ Eccleſiæ certam & indubitatam traditionem pronunciare, & ſequi illam, quoties de eâ conſtat, neceſ-

ſariò debet. Jam autem manifeſta erat circa hanc quæſtionem Romanæ Eccleſiæ traditio, quam & jactabat Anicetus, & Polycarpus, qui Romæ tunc verſabatur, noſſe certiſſimè poterat. Videbat ergo quid pronunciaturus eſſet Anicetus, ſi definiret, ac proinde ferendæ ſententiæ anticipatione quadam ſubjicere ſeſe debebat.

Cæterùm non ſolus tunc Polycarpus Anicetum errori obnoxium putabat. Idem, ni fallor, Anicetus ipſe exiſtimabat. Aliàs Polycarpum ſibi adverſantem, ut Victor deinde Polycratem, anathemate percuſſiſſet. Non fecit tamen, quin potiùs ſummos illi honores detulit, eoque ipſo teſtatus eſt dubium ſibi non eſſe, quin diſſentire à ſe liceret.

ARTICULUS II.

Exponitur Victoris & Polycratis circa hoc idem argumentum concertatio.

Sec. II. & III. HÆc eadem controverſia aliquanto pòſt paulo ferventiùs agitata novum nobis argumentum ſuppeditat, quo id ipſum evincamus. Etenim Victor Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, & Aniceti in dignitate, non in lenitate ac ſapientiâ ſucceſſor, videns Aſiaticas Eccleſias priſtinum morem mordicus retinere, & Paſcha ſemper more Majorum celebrare, ad eas primùm ſcripſit, monens ut aliarum Eccleſiarum conſuetudinem ſuæ præferrent, & ni parerent excommunicationem minatus eſt. Excommunicationem autem ego intelligo, non eam certè quæ ſuperioritatem aliquam, & poteſtatem in eo à quo decernitur, ſupponit, ſed eam tantùm quæ mera ſit communionis denegatio, qua quis alteri denun-

denunciat nolle ſe ampliùs eum fratris loco habere. Hanc enim & à paribus, & ab inferioribus decerni poſſe, oſtendunt plurima exempla, quorum nonnulla protulit erudiriſſimus Blondellus. (a) Sed ut (a) Blond de la
ut ſit Polycrates Epheſinus Epiſcopus coacto priùs prim. pag
Concilio reſpondit minas ſe non timere, & veterem 218.
uſum deſerere nequaquam velle. Hujus epiſtolæ partem, & hæc nominatim verba, Euſebius nobis ſervavit. *Ego, inquam, fratres, quinque & ſexaginta annos natus in Domino, qui cum fratribus toto orbe diſperſis ſermones ſæpè contuli, qui Scripturam Sacram omnem perlegi, nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur. Etenim ab illis qui me longè majores erant, dictum ſcio, obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Vide ut Victorem, illorum hominum, quos Deo opponit, & quibus parendum negat, loco cenſeat, ac proinde illius ore loqui Deum non putet.

Quid ad hæc Victor? Ille minas ſuas flocci fieri indignatus, Eccleſias illas à communione arcuit. Non enim intra minas ſtetiſſe, ut volunt Petavius, Valeſius, & Alexander, ſed ad excommunicationem ipſam veniſſe, ego cum Baronio, Bellarmino, Perronio, Marcâ, Cabaſſutio, Eugenio Lombardo, Auctore tractatûs de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, Facditio, aliiſque exiſtimo. Sanè jam antea minæ præceſſerant, ut Polycrates verbis jam relatis ſatis oſtendit, & gravius quid addidiſſe Victorem, ac longiùs progreſſum eſſe poſt acceptas Polycratis literas Euſebius clarè docet his verbis (d), (d) Euſ.
quæ Polycratis epiſtolæ ſubnectit. *His ita geſtis* lib. 5. cap. 24.
Victor quidem Romanæ urbis Epiſcopus illico omnes Aſiæ, vicinarumque provinciarum, Eccleſias tanquam contraria rectæ fidei ſentientes, à communione abſcindere conatur, datiſque literis univerſos, qui illic erant, fratres proſcribit, & ab unitate Eccleſiæ

 pror-

prorſus alienos eſſe pronunciat. Vides ut atrocius quid deſignet commotus Præſul, & poſt minarum tonitrua ipſum denique fulmen, ſed Brutum, jaculetur. Fratres illos, quos à ſententiâ dimovere non potuit, proſcribit, & ab Eccleſiæ communione alienos, non olim fore, ſed jam eſſe, pronunciat. Quare Epiphanius rem eo uſque progreſſam ait (e), *ut Orientales ab Occidentalibus divulſi pacificas à ſe invicem literas nullas acciperent.* Nec dubitavit Socrates dicere (f). *Victorem immodica iracundiæ ſuccenſum æſtu Aſiaticis excommunicationis libellum miſiſſe.* Nicolaus I. Pontifex (g) illos *à communione Collegii ſeparaſſe.* Auctor Synodici, *Communionis denegationem Polycrati miſiſſe.* Nicephorus denique (h) *Omnes ſimul à communione prohibuiſſe*, quæ ſanè non minas, ſed excommunicationem deſignant.

(e) Epiph. hær. 70.
(f) Soc. lib. 5. cap. 22.
(g) Nic. I. ep. ad Michael. A.
(h) Nic. lib. 4. cap. ult.

Sed etſi Victor excommunicationem minatus tantùm fuiſſet, vix quicquam argumento noſtro decederet. Nemo enim non videt debuiſſe Aſiaticos minis iſtis terreri, & ad deferendam ſuam conſuetudinem adigi. Nonne Adverſarios ſuprà audivimus dicentes, tunc Papam *ex cathedrâ* docere, cum univerſam Eccleſiam docet, nec docet tantùm, ſed ad parendum obligat? Qua verò ratione obligare arctius poteſt, quàm excommunicationem minando?

Sic decrevit Victor. Sic decernenti obtemperare noluerunt Aſiatici. Priſcum morem, invito ac ringente Victore, retinuerunt. Retinuiſſe autem vel illud evidenter oſtendit, quod nonniſi Nicæni Concilii medicâ manu ſanari ulcus iſtud potuit. Hinc iſta Synodicæ ad Alexandrinos epiſtolæ (i). *Nunciamus præterea vobis de concordiâ Sanctiſſimi Paſchæ, hoc etiam negotium precibus veſtris adjuvantibus feliciter confectum fuiſſe, cunctoſque qui*

(i) apud Theod. hiſt. lib. 1. cap. 1.

in

in Oriente ſunt fratres, qui antèa cum Romanis, & vobiſcum, & cum omnibus jam inde ab ultimâ antiquitate Paſcha obſervantibus minimè conſentiebant, deinceps vobiſcum eſſe celebraturos. Similiter Euſebius (k). *Alius quoque his antiquior ſuberat morbus longè graviſſimus, qui Eccleſias jampridem infeſtabat, diſſenſio ſcilicet de ſalutari feſto. Quippe alii conſuetudinem Judæorum ſequi oportere aſſerebant, alii tempus ipſum accuratè obſervandum eſſe ajebant, nec errantibus aſſentiendum, qui ab Evangelicâ gratiâ hac etiam in parte alieni eſſent. Itaque cum omnes ubique populi jamdudum inter ſe diſſiderent, & ſacri religionis noſtræ ritus conturbarentur........ mortalium quidem nemo erat, qui huic malo remedium poſſet adhibere, cum utrinque inter diſſentientes velut æquatâ lance controverſia penderet.* Notanda hæc extrema verba, quæ & multitudinem diſſentientium denotant, & quo loco Pontifex tunc haberetur ſatis aperiunt, quippe qui non excipiatur ab univerſali illâ negatione, qua nullus mortalium fuiſſe dicitur, qui tantas lites componere poſſet, & ejus judicio non obſtante pependiſſe adhuc, & in æquilibrio ſtetiſſe lis pronunciatur.

(k) *Euſ. de vit. Conſt. lib.* 3. *cap.* 5.

Idem teſtatur Athanaſius (l). *Illa* (Synodus Nicæna) *ob Arianam ſectam, & controverſiam Paſchatis, celebrata fuit, eo quòd* Syri, *Cilices, & qui in Meſopotamiâ degunt, nobiſcum diſſentiebant in temporibus Paſchæ celebrandi, quod eodem die cum Judæis celebrabant.* Denique ne plures congeram, Nicolaus I. (m). *Deinde cum Aſiani omnes inter cæteros, Joanne Evangeliſtâ auctore, quartadecimâ Lunâ cum Judæis putarent Paſcha celebrandum, hos Præſul meritis & nomine Victor à communione Collegii ſeparavit. At illi omnes cum nonnullis Eccleſiarum Præſulibus non ſolùm huic manus minimè præ-*

(l) *Athanaſ. ep. ad Afric. p. m.* 933.

(m) *Nic. ep. ad Michael. A.*

præbuerunt, *verùm etiam pertinaciæ redarguerunt.*

Judicet nunc cordatus Lector num tot pietate & doctrinâ inſignes viri, qui Victoris excommunicationem ita ſpreverunt, cumque morem, quem ille damnarat, retinuerunt, infallibilem illum putarent. Judicet pariter num illi, qui cum iſtis communionem coluerunt, quod feciſſe ad minimum Orientales omnes dubium non eſt, idem exiſtimarent. Judicet denique num ii, qui Victoris geſta improbarunt, quique, ut Euſebius ait, *eum acerbiùs perſtrinxerunt*, honorificentiùs de illo ſentirent.

ARTICULUS III.

Expenditur eorum reſponſum, qui controverſiam iſtam, non ad fidem, ſed ad ritus ſpectaſſe dicunt.

DIcet fortè quiſpiam non fuiſſe hanc de fide, ſed de ritibus duntaxat diſſenſionem, atque adeo non ſequi ex eo quòd Aſiatici Romanis Pontificibus parere nollent, viſos hos illis errori obnoxios. Sed primùm non exiſtimatur eſſe minor in ritualibus, quàm in rebus fidei, Romani Pontificis, vel auctoritas, vel infallibilitas, & quoties ille ritum aliquem ut traditioni repugnantem condemnat, vel oppoſitum ut traditioni conſonum obſervari præcipit, decretumque ſuum ſolemni aliqua formulâ ſancit; non minùs illi parendum volunt, quàm ubi controverſiam aliquam de rebus ſpeculativis dirimit.

Præterea quæſtionem iſtam ad fidem nullatenus pertinuiſſe nunquam Adverſarii dicent. Audiatur Bel-

Bellarminus (a). *Quoniam*, inquit, *Victor Papa videbat illam diverſitatem de Paſchate non eſſe diverſitatem ſolius obſervationis, ſed adferre ſecum hæreſim, imò ipſum Judaiſmum, maturè occurrendum putavit. Probaverunt autem ſententiam Victoris Patres Nicæni Concilii, ut patet ex Euſebio lib. 3. de vitâ Conſt. & deinceps hæretici habiti ſunt, & Quartodecimani appellati qui contrarium ſenſerunt, ut patet ex Epiphanio hæreſi 50. & Auguſtino hæreſi 29.*

(a) Bell. de Pont. lib. 2. cap. 19.

Ultima hæc Bellarmini obſervatio negligenda profectò non eſt. Conſtat ex Epiphanio & Auguſtino, quos ille citat, & ex aliis benè multis, poſt Nicænum Concilium, ſi non ab omnibus, de quo poſtmodum, ſaltem à multis, Quartodecimanos hæreticis annumeratos fuiſſe. Quo jure, ſi quæſtio hæc ad fidem non pertinebat? Præterea quo jure tunc tantùm, & non antea, ſi jam antea decreto non minùs certo atque infallibili damnati illi fuerant? Nonne vel eo ipſo clarè oſtenditur longè pluris illis ſeculis factum Oecumenici Concilii, quàm Romani Pontificis judicium?

Sed ut rem verbo abſolvam, nego multum referre qualis hæc controverſia verè fuerit, modò ad fidem pertinere, quà jure, quave injuriâ, exiſtimata ſit? Si enim ita contendentes ſentiebant, patet Victorem in ipsâ fide errare putatum fuiſſe, quod mihi hac in parte ſufficit. Atqui ea erat utrorumque ſententia. Quartodecimanorum primùm. Teſtem do ipſum Polycratem, qui poſt recenſitos Majores, quorum imitâtione gloriabatur, ſic ait. *Hi omnes diem Paſchæ quartadecimâ Lunâ juxta Evangelium obſervarunt, nihil omninò variantes, ſed regulam fidei conſtanter ſequentes. Ego quoque....... nihil meveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur. Etenim ab illis, qui me longè majores erant,*

dictum

dictum ſcio, obedire oportet Deo magis quam hominibus. Ex quibus rectè colligit Eugenius Lombardus (b) *Polycratem hunc morem aſſerere tanquam ex Evangelii præſcripto, præceptoque divino, ac ſecundum regulam fidei provenientem, ex quo conſequebatur Occidentales contra legem Evangelicam, præceptum divinum, normamque fidei agere.*

(b) Gall. vind. diſſert. 4. pag. 281.

Addo alterum teſtem Firmilianum ſic dicentem, *Eos qui Romæ ſunt non ea in omnibus obſervare quæ ſunt ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendere, ſcire quis etiam inde poteſt, quòd circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta videat apud illos eſſe aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter quæ Hieroſolymis obſervantur.*

Addo denique Euſebium duobus in locis dicentem contendiſſe Quartodecimanos Paſchatis feſtum die Judæis præſcripto, non tantùm poſſe celebrari, ſed eſſe celebrandum. *Iiſdem temporibus* inquit [c] *gravi controverſiâ exortâ, eo quòd omnes per Aſiam Eccleſiæ vetuſtâ quadam traditione nixæ quartadecimâ lunâ ſalutaris Paſchæ feſtum diem celebrandum eſſe cenſebant &c.* Item cap. ſeq. *Epiſcopis verò Aſiæ, qui morem ſibi à majoribus traditum retinendum eſſe acriter contendebant, Polycrates præerat.* Alibi (d) pariter. *Alius quoque his antiquior ſuberat morbus longè graviſſimus, qui Eccleſias jampridem infeſtabat, diſſenſio ſcilicet de ſalutari feſto. Quippe alii conſuetudinem Judæorum ſequi oportere aſſerebant.* Hæc ille, ex quibus patet viſum Aſiaticis ſuum morem, non licitum duntaxat, ſed neceſſarium, & obligatorium.

(c) Euſ. lib. 5. cap. 23.

(d) De vitâ Conſt. lib. 3. cap. 5.

Diverſâ parte mitior Victor non erat. Primùm enim Euſebius verbis mox deſcriptis immediatè ſequentibus ſic ait. *Alii tempus ipſum accuratè obſervandum eſſe aiebant, nec errantibus aſſentiendum,*

qui

qui ab Evangelicâ gratiâ hac etiam in parte alieni eſſent. Vix quicquam apertius dici potuit. Non tantùm enim morem ſuum ab omnibus obſervandum Occidentales contendebant, ſed Evangelicâ inſuper gratiâ, atque adeo ſalute, deſtitui eos omnes pronunciabant, quibus alia placerent. Denique alio loco idem Euſebius (e). *Victor Romanæ urbis Epiſcopus omnes Aſiæ, vicinarumque Eccleſiarum Epiſcopos, tanquam contraria rectæ fidei ſentientes à communione abſcindere conatur.* Quare quiſquis rem ad fidem pertinere negabit, is Victorem ipſum erroris arguet. Eſt enim error in fide id dicere eſſe de fide, quod de fide non eſt, ſive verum aliunde ſit, ſive falſum.

(e) *Euſ. lib. 5. cap. 24.*

Sed non id præcipuè agitur. Hoc nobis præ cæteris obſervandum, quod definienti Victori, & definitionem ſuam tanquam de fide proponenti, non aſſentiuntur Aſiatici, & non tantùm poſſe ſe quæ ille vetat obſervare arbitrantur, ſed debere Victorem ipſum à ſuo more, & quidem definitione atque anathematiſmis firmato, diſcedere contendunt, quo ipſo apertiſſimè teſtantur, non dubitare ſe quin ille poſſet in quoſlibet errores labi, & malè, etiam *ex cathedrâ* pronunciare.

ARTICULUS IV.

Confutatur id quod ait Baronius Aſiaticos eo ipſo quod Victori reſtiterunt ab Eccleſiâ ſeparatos, & in ſchiſma prolapſos fuiſſe.

POſtquam concertationem, de qua diximus Baronius narravit, hæc addit (a). *Qui hac de causâ avulſi ſunt ab Eccleſiâ magnâ ex parte in ſchiſmate permanſerunt, atque in longum tempus.* Quæ

(a) *Bar. ann. 198.*

ſi vera eſſent præcipua argumento noſtro vis periret, nihil enim aliud id conficeret, quàm Schiſmaticos, & ab Eccleſiâ extorres, infallibilitatem Pontificis non agnoviſſe. Eſt ergo iſthic tantiſper immorandum, atque oſtendendum longè aliam Veteribus quàm Baronio mentem fuiſſe, nec viſos illis Schiſmaticos Quartodecimanos, quippe qui cum illis fraternam ſemper communionem amantiſſimè coluerunt, ne ipſis quidem Victoris ſucceſſoribus exceptis, & ſummo illos in prætio atque exiſtimatione habuerunt. Demonſtravit hoc ipſum fuſè & accuratè Petrus Facditius in defenſione concionis cujuſdam ſuæ die Polycarpo ſacro habitæ. Ego ex permultis argumentis quibus utitur, pauca ſeligam, quæ rem extra omne dubium locabunt.

Primum ſuggerit Tertullianus, quo loco viam indicat, qua quiſque poſſit certior fieri, an Apoſtolorum fidem teneat. Jubet Eccleſias Apoſtolicas conſuli, eaſque enumerans Epheſinæ nominatim meminit. *Age jam*, inquit (b), *qui voles curioſitatem meliùs exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem uniuſcujuſque. Proxima eſt tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longè es a Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonienſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum.* Hæc Tertullianus eo libro, quem juxta Pamelium ac Rigaltium anno 203. atque adeo quinquennio poſt latam à Victore ſententiam, ſcripſit. Atqui Epheſina Eccleſia, ſi qua alia, Quartodecimana fuit, ipſius Polycratis Quartodecimanorum anteſignani ſedes.

(b) *Tert. de præſc. cap.* 36.

Eundem ritum conſtanter retinuit Firmilianus

H Cæſa-

Cæſarienſis, ut ex allatis paulo antè ipſius verbis apparet. Hunc verò cum univerſâ Eccleſiâ communionem coluiſſe, quis negare auderet?

Ad hæc Concilii Antiocheni, à quo damnatus Paulus Samoſatenus, Patres vel omnes, vel pleroſque ſaltem, Quartodecimanos fuiſſe ſatis conſtat. Quem tamen latet admiſſam illam ab univerſâ Eccleſiâ fuiſſe? Imò quem fugit Synodalem Epiſtolam Dionyſio Romano, reliquiſque per orbem Epiſcopis inſcriptam, monere depoſitum à ſe Paulum, & ſubſtitutum Domnum. *Quod quidem*, inquiunt (c), *idcirco vobis ſignificavimus, ut & ad eum ſcribatis, & ab eo communicatorias literas accipiatis.*

[c] *Apud Euſ. lib.* 7. *cap.* 30.

Ipſam Eccleſiam Antiochenam Quartodecimanam fuiſſe, utpote Syriæ caput, quis dubitat? Communicaſſe verò illam cum toto orbe, quis neſcit?

Ipſum denique Concilium Nicænum hoc evincit, in quo Quartodecimani ante abjuratum errorem, & abrenunciatum ſchiſma nunquam ſediſſent, ſi & hæretici, & ſchiſmatici, & excommmunicati reputati fuiſſent. Atqui non ſederunt tantùm in eo, ſed præſederunt. Teſtis Euſtathius Antiochenus, qui unus ſaltem ex Præſidibus fuit.

Negavi excipiendos ipſos Victoris ſucceſſores eorùm numero qui cum Quartodecimanis communicabant. Veriſſimum iſtud, ut vel ex eo patet, quòd cum damnatus ab Antiochenâ Synodo Paulus nollet Epiſcopali domo cedere, juſſerit Aurelianus Imperator ut duorum competentium, Pauli ſcilicet, & Domni, illi domus iſta traderetur, quo cum Italiæ, & nominatim Romæ, Epiſcopi communicarent, quo factum ut ejectus Paulus fuerit. Cum Domno igitur, quantumvis Quartodecimano, Dionyſius, reliquique Itali communicabant.

Ad hæc Novato ſchiſma adverſus Cornelium mo-

moliente ſcripſit ad Fabium Antiochenum Cornelius eas literas, quarum partem Euſebius nobis ſervavit, eò tendentes, ut ſecum, non cum Novato, Fabius communicaret. Similia proferri non pauca poſſent, ſi quod eſſet operæ pretium. Sufficient iſta ut pateat quàm temerè à Baronio dictum avulſos ab Eccleſiâ Quartodecimanos, & in ſchiſma prolapſos.

ARTICULUS V.

Expenditur reſponſum Petri de Marcâ, & aliorum quorundam.

QUæ hactenus obſervata ſunt argumentum noſtrum magis ac magis ſtringunt. Exiſtimavit tamen Petrus de Marcâ, & poſt illum Emmanuel à Schelſtrate, Eugenius Lombardus, Ant. Pagi, atque alii nonnulli, iis ipſis aperiri effugium aliquod quo poſſit id declinari. Negant Polycratem ideo damnatum, quòd Quartadecimâ Lunâ feſtum obſervaret, ſed quòd tunc tantùm celebrari poſſe, ac debere contenderet, omneſque alium morem ſequentes ipſe damnaret. Hac de cauſâ jure à Victore excommunicatum contendunt, ac deinde tantâ ſeveritate fractum, de ſententiæ ſuæ aſperitate non parum remiſiſſe, & nemine damnato contentum fuiſſe morem ſuum retinere; qua demiſſione delinitum Victorem latam jam excommunicationem revocaſſe, & permiſiſſe ut Polycrates majorum ſuorum inſtituta ſervaret.

Tam multa verò hactenus inaudita unico Sozomeni loco, illique, ut contendunt, corrupto, vel potiùs conjecturæ ad illum reſtituendum ſuæ ſuperſtruunt.

ſtruunt. Sic ille habet (a). *Porrò exortam olim hac de re controverſiam ſapientiſſimè diſſolviſſe mihi videtur Victor tunc temporis Romanorum Epiſcopus, & Polycarpus Smyrnæus. Nam quoniam Occidentales Epiſcopi traditionem Petri ac Pauli abrogandam non eſſe cenſebant, Aſiani verò Joannem Evangeliſtam ſequi ſe velle affirmabant, ex communi concilio placuit ut ſinguli feſtum, prout conſueverant, celebrantes, à mutuâ inter ſe communione nequaquam diſcederent.* Aiunt hic mendum ſubeſſe, & pro Polycarpo Smyrnæo legendum Polycratem Epheſinum, qui ſolus Victoris ævo floruit, & hoc poſito inde colligunt compoſitam inter Victorem & Polycratem hanc controverſiam fuiſſe, & quidem ea lege ut de priſtino rigore nonnihil ab utroque remitteretur.

(a) *Soz. lib. 7. cap. 19.*

Sed primùm non ſatis felix mihi videtur hæc emendatio, quæ duas voces continuas delet, & duas ſat diſſimiles ſubſtituit. Nonne multò facilius fuit ut in unâ duntaxat erraretur, & Victor ſcriberetur pro Aniceto? Ita emendandum contendit Baronius (b), nec immeritò certè, quo enim levius diſcrimen, eo facilior lapſus, niſi quis fortè malit, à quo ego non abhorrerem, non eſſe hunc Librariorum errorem, ſed in ipſo auctore momoriæ lapſum, quales & in antiquis, & in recentibus Scriptoribus multi occurrunt, præſertim cum hæc obiter, & per digreſſionem, Sozomenus referat. Ut ut ſit quæ ille narrat longè meliùs in Anicetum & Polycarpum, quàm in Victorem & Polycratem quadrant. Priores enim illos & collocutos hac de re, & aliquatenus conſenſiſſe Irenæus atque Euſebius produnt, iſtos Veterum nemo. Ad hæc ſi Sozomenus in mente iſtos habuiſſet, pacis, de qua loquitur, auctores illos nunquam dixiſſet, ſed Irenæum potiùs, . qui ad eos conciliandos tam multa ſcripſit, fecitque. Quare vana prorſus hæc conjectura, omnique fundamento deſtituta.

(b) *Bar. ann. 198.*

Pugnat inſuper cum apertiſſimis Veterum teſtimoniis. Primùm enim obſervatione digniſſima ſunt quæ Polycrates ipſe ad Victorem ſcribit. *Ego*, inquit, *fratres, quinque & ſexeginta annos natus in Domino, qui cum fratribus toto orbe diſperſis ſermones ſæpè contuli, qui Scripturam ſacram omnem perlegi, nihil moveor iis quæ nobis ad formidinem intentantur. Etenim ab illis, qui me longe majores erant, dictum ſcio, Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Hæc mox cantandam palinodiam neutiquum ſpirant. Nec illam ſanè ſi poſtmodum ceciniſſet, Euſebius unquam ſiluiſſet. Quid enim dignius occurrebat, quod in Eccleſiaſticam Hiſtoriam referretur, & ſecuturis ſeculis tranſmitteretur. Iſtud Euſebii ſilentium, ſi æquâ lance perpendatur, rem conficit. Quis enim illum crediderit, qui certamina tam accuratè deſcribit, pacem, ſi qua inita eſſet, omiſſurum fuiſſe?

Polycratis verò ſucceſſores quod attinet, quæ ſuprà ex Euſebio & Firmiliano deſcripſi palàm faciunt neutiquam contentos illos fuiſſe, ſi ſinerentur duntaxat morem ſuum impunè retinere, ſed eſſe neceſſariò retinendum exiſtimaſſe, & diſſentientes culpaſſe, etſi communionem Eccleſiaſticam eâ de cauſâ ſolvendam non putarent. Imò auctor eſt Epiphanius

c) *Epiph. hær.* 70, *n.* 9. (c), rem eò uſque progreſſam, ut ipſa communio abrupta aliquando ſit. *Nec illud*, inquit, *eruditis hominibus ignotum eſt, quàm ſæpè diverſis temporibus de illius feſti celebritate varii Eccleſiaſticæ diſciplinæ tumultus ac contentiones obortæ ſint, præſertim Polycarpi ac Victoris ætate, cum Orientales ab Occidentalibus divulſi pacificas à ſe invicem literas nullas acciperent.*

Id ipſum teſtatur Nicolaus I. jam alibi relatus. *Hos*, inquit, *Præſul meritis & nomine Victor à communione Collegii ſeparavit. At illi omnes cum nonnullis Eccleſiarum Præſulibus non ſolùm huic manus mini-*

minimè præbuerunt, ſed etiam pertinaciæ redarguerunt.

Denique Nicephorus narratis Irenæi ad conciliandam pacem conatibus hæc addit (d). *Quod verò ſermo non perſuaſit, id dies poſtea perfecit. Nam hac in re Aſia vix tandem ceſſit, & ubique terrarum in orbe decretum eſt, ut non cum Judeis, ſed ipſo die Dominico myſterium Paſcha peragatur.* Non igitur ſtatim inita concordia fuit, ſed poſt longum tempus, in Nicæno videlicet Concilio 127 pòſt annis celebrato.

(d) Niceph. lib. 4. cap. ult.

ARTICULUS VI.

Alia quædam obſervatione digna indicantur, quibus argumentum noſtrum firmatur.

QUæ hactenus obſervavimus lucem magnam accipient ex iis quæ ſequentibus temporibus contigerunt. Primùm enim diu poſt iſtam Victoris & Orientalium concertationem, anno ſcilicet æræ Dionyſianæ 314. ſtatuit ex toto Occidente coacta Arelatenſis Synodus, ut die Dominicâ Paſcha ubique celebraretur, utque hoc ſuum ſtatutum Romanus Pontifex Sylveſter omnibus ſingnificaret, quod ab illo factum dubitandum profectò non eſt. *Durabat*, inquit Emmanuel à Schelſtrate ſcholiis ad I. Canonem Antiochenum, *durabat hac varia regionum conſuetudo uſque ad tempora Sylveſtri Pontificis, ſub quo Concilium Arelatenſe primum in literis Synodicis ad Sylveſtrum Papam ſe ſtatuendum duxiſſe profitetur can.* I. de obſervatione Paſchæ dominicæ, ut uno die & tempore per omnem orbem à nobis obſervetur, & juxta conſuetudinem literas ad omnes tu dirigas. *Diſplicebat*

totius Occidentis Epiſcopis in Synodo Arelatenſi adunatis variantium regionum in præcipuo Chriſtianorum feſto diverſa . conſuetudo , quia tamen ipſi poteſtatem non habebant mandandi Orientis Eccleſiis , rogant Sylveſtrum Papam ; ut ſuâ auctoritate uſus literas hac de re per orbem univerſum mittat , quod & conſequenter feciſſe vix dubito , cum & ſecundus catalogus, tempore Juſtiniani Imperatoris confectus habeat in Sylveſtro : Hic fecit conſtitutum de omni Eccleſiâ. *Quæ eadem* repetit Anaſtaſius Bibliothecarius in Pontificali Damaſi.

Atqui non obſtante Sylveſtri , non obſtante Arelatenſis Concilii auctoritate perſtabant adhuc toto poſt iſta decennio Syri , Meſopotameni , Cilices, aliique, quos ab hac ſuâ , vel conſtantiâ , vel pertinaciâ revocavit tandem Nicæna Synodus anno 325. celebrata. Quicquid igitur ſit de Aniceto, quicquid de Victore, Sylveſtrum certè errare neſcium iſti haudquaquam exiſtimabant , qui ejus decreto parere tam contumaciter renuebant.

Quid quod poſt ipſam Nicænam Synodum multi adhuc in eadem contumaciâ perſtiterunt. Probat hoc Baronius ex Athanaſio in Epiſtolâ de Synodis Ariminenſi & Seleucienſi , ubi claudicaſſe aſſerit in feſti cauſâ Syros , Cilices, & Meſopotamenos. Sed fallitur vir doctus. Non loquitur ibi Athanaſius de iis quæ Synodum Nicænam ſecuta ſunt , ſed de iis quæ præceſſerunt , illiuſque convocationi anſam dederunt. *Nicæna*, inquit, *Synodus non temerè habita eſt , ut quæ habeat graviſſimos uſus. Syri etenim , Cilices , & Meſopotamiani , in cauſâ ferti claudicabant , atque unà cum Judæis Paſcha celebrabant.*

Sed miſſo hoc argumento firmiora alia ſuppetunt. Primùm enim decimoſexto poſt Nicænam Synodum anno congregata eſt Antiochena in Encæniis , quæ hunc canonem edidit. *Omnes qui auſi fuerint*

rint deſſolvere definitionem ſancti & magni Concilii quod apud Nicæam congregatum eſt ſub præſentiâ piiſſimi, & venerandi Principis Conſtantini de ſalutiferâ ſolemnitate ſacratiſſimi Paſchæ, excommunicandos, & de Eccleſiâ pellendos eſſe cenſemus, ſi tamen contentioſiùs adverſus ea quæ benè ſunt decreta perſtiterint. Erant igitur aliqui qui reclamabant & parere Nicænæ Synodo nolebant.

Quid quod ne Antiochenæ quidem Synodo isti ceſſerunt. Audiatur Chriſtianus Lupus (b). *Nicænum de Paſchalis feſtivitatis die decretum à multis per Orientalem Diœceſim Eccleſiis ac Monaſteriis dudum fuiſſe ex eodem fundamento non admiſſum ſcribunt S. Joannes Chryſoſtomus, ac Theodoretus. Etiam illæ traditum ſibi ad Apoſtolis morem credebant à generali Synodo, aut non poſſe, aut certè non debere damnari.* (b) *Lup: tom. 4. pag. 766.*

Hæc ille, quibus addendum diu poſt Nicænam Synodum Quartodecimanos fuiſſe Pictos ac Scotos, nec eâ de cauſâ reliquarum Eccleſiarum communionem amiſiſſe ut, multis oſtendit Nat. Alexander ſeculo II. diſſ. V. art. ult.

Patet igitur nonniſi admodum ſerò obtemperatum ab omnibus fuiſſe huic Romanorum Pontificum decreto, atque adeo dubium non fuiſſe quin illi poſſent, non ſecus ac cæteri mortales, hallucinari. Eſt autem id aliis adhuc obſervationibus confirmandum.

OBSERVATIO II.

Id ipſum arguit diſputatio de baptiſmo hæreticorum tertio ſeculo exorta.

ARTICULUS I.

Exhibetur Stephani Romani Pontificis de non baptizandis hæreticis decretum.

AB hæreticis baptizatos iterum tingere, & Aſiaticæ, & Africanæ, Eccleſiæ mos fuit. Mos iſte Stephano Romano Epiſcopo vehementer diſplicuit. Quare novus hic ac redivivus Victor Afris, non ſine excommunicationis minis præcepit ut conſuetudinem illam repudiarent, & hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus pro baptiſmo manus duntaxat imponerent. Repugnarunt ipſi, & priſtinum morem inconcuſſè retinuerunt, qua de cauſâ Stephanus pro excommunicatis eos habuit, nec aliter cum iis quàm cum apertè ſchiſmaticis, & ab Eccleſiâ penitus ſejunctis egit.

Teſtatur hoc diſertiſſimè Firmilianus eâ epiſtolâ, quæ inter Cyprianicas in quibuſvis editionibus habetur. *Imperitos*, inquit, *animoſos, atque iracundos eſſe manifeſtum eſt, dum per inopiam conſilii & ſermonis ad iracundiam facilè vertuntur, ut de nullo alio magis, quàm de te, dicat Scriptura divina,* Homo animoſus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata. *Lites enim & diſſenſiones quantas peraſti per Eccleſias totius mundi? Peccatum verò quàm magnum tibi exaggeraſti, quando te à tot gregibus ſcidiſti? Exſcidiſti enim te ipſum, noli te fallere. Si quidem ille eſt verè ſchiſmaticus, qui ſe à communione Eccleſiaſti-*

ſiaſticæ unitatis Apoſtatam fecerit. Dum enim putas omnes à te abſtinere poſſe, ſolum te ab omnibus abſtinuiſti.

Tum quibuſdam interjectis. *Quid humilius aut lenius, quàm cum tot Epiſcopis per totum mundum diſſenſiſſe, pacem cum ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem modò cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modò vobiſcum, qui in meridie eſtis? A quibus Legatos Epiſcopos patienter ſatis, & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret, adhuc inſuper dilectionis & charitatis memor præciperet fraternitati univerſæ ne quis eos in domum ſuam reciperet, ut venientibus non ſolùm pax & communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur. Hoc eſt ſervaſſe unitatem Spiritûs in conjunctione pacis, abſcindere ſe à charitatis communione, & alienum ſe per omnia à fratribus facere, & contra Sacramentum & fidem contumacis furore diſcordiæ rebellare.*

Hæc Firmilianus, quibus paria habet Cyprianus (a). *Dat*, inquit, *honorem Deo, qui hæreticorum amicus, & inimicus Chriſtianorum, Sacerdotes Dei, veritatem Chriſti, & Eccleſiæ unitatem tuentes abſtinendos putet? Si ſic honor Deo datur, ſi ſic à cultoribus, & Sacerdotibus ejus timor Dei, & diſciplina ſervatur, abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, &c.* Et Dionyſius Alexandrinus [b]. *Stephanus*, inquit, *antea ſcripſerat Epiſtolam de Heleno, de Firmiliano, de omnibus Epiſcopis, qui erant ex Ciliciâ, Cappadociâ, & Galatiâ, & ex omnibus gentibus, quæ erant finitimæ, quòd neque cum illis quidem ob eam cauſam omnino communicare vellet.* Denique Auguſtinus (c). *Cum ergo Stephanus non ſolùm non rebaptizaret, hæreticos, verùm etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos eſſe cenſeret, ſicut aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani*

(a) Cyp. epiſt. 74. ad Pomp.

(b) Apud Euſeb. lib. 7. cap. 4.

(c) Aug. cont. Petil. Pap. 14.

ni litera oſtendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit.

Hæc omnia mihi perſuadent non fuiſſe iſtas ſimplices excommunicationis minas, ſed veram & propriè dictam excommunicationem, & quidem ejus generis, quæ *latæ ſententiæ* dici ſolet, ipſoque facto incurritur, ſi quidem poſt illam, abſque novo, quod ſaltem appareat, judicio, Afrorum Legati rejecti ſunt, illiſque non communio duntaxat, ſed ipſum hoſpitium, ipſum tectum negatum eſt, & ut negarent Romanis imperatum. Inde igitur Afri colligere debuerunt hanc non privati Doctoris opinionem, ſed decretoriam Pontificis ſententiam eſſe, quandoquidem illud eſſe hujuſmodi ſententiarum indicium ſuprà patuit. Si igitur Afri Pontificem illum falli neſcium putaſſent, nec inſaniiſſent prorſus, non commiſiſſent ut illius ſententiæ pervicaciter repugnarent. Certum iſtud, & negari nullo prætextu poteſt.

ARTICULUS II.

Iſtud Stephani decretum plurimæ Eccleſiæ non admiſerunt.

REpugnarunt tamen non pauci. Collatum ab hæreticis baptiſmum nullum & irritum putarunt eoque nomine iterarunt. Quid quod errare Stephanum apertè profeſſi ſunt. Sic Cyprianus ad Quintum. *Quia deſideraſti ad notitiam tuam perferri quæ mihi ad literas noſtras Stephanus frater noſter reſcripſerit, miſi tibi reſcripti ejus exemplum, quo lecto magis EJUS ERROREM denotabis, qui hæreticorum cauſam contra Chriſtianos, & contra Eccleſiam Dei aſſerere cona-*

conatur. Nam inter cætera, vel ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, quæ imperitè, atque improvidè ſcripſit, &c. Et paulo pòſt. *Quæ iſta obſtinatio, quæve præſumptio, humanam traditionem divinæ diſpoſitioni anteponere?* Rurſus aliquantò pòſt. *Dum baptiſma eorum* (hæreticorum) *defenditur, dum fides, dum veritas proditur, &c.* Quare Bellarminus ipſe [a]. *Putavit*, inquit, *Pontificem perniciosè errare.* Similia habent Walenburchii fratres, qui ut probent non eſſe de fide quòd Concilia particularia à Pontifice confirmata errare nequeant proferunt exemplum Cypriani, qui etſi contrarium eorum quæ Cornelius & Stephanus definierant, mordicus defenderit, *& Stephanum erroris arguerit, ſemper eſt habitus in numero Catholicorum.* Tom. I. tract. 3. n. 111.

(a) *Bell. de Pont. lib.* 4. *cap.* 7.

Porrò non ſolus in hac ſententiâ Cyprianus fuit. Conſentientes habuit Collegas ſuos, reliquos in Africâ Epiſcopos, qui hoc ipſum in Carthaginenſi Concilio definierunt. Singulorum ſententias numero 87. apud ipſum Cyprianum videre eſt. Verba Cypriani totius conſeſſûs Præſidis obſervatione digniſſima ſunt. *Supereſt*, inquit, *ut de hac ipſâ re ſinguli quid ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, & à jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſpiam noſtrûm Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentiâ libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non poſſit, quàm nec ipſe poteſt judicare. Sed expectemus univerſi judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui unus & ſolus habet poſtetatem, & præponendi nos in Eccleſia ſua gubernatione, & de actu noſtro judicandi.* Quibus verbis notari Stephanum vel cœci vident.

Afris

Afris illis addendus Dionyſius Alexandrinus, de quo Hieronymus (b). *Hic in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma conſentiens, de hæreticis rebaptizandis ad diverſos plurimas miſit Epiſtolas, quæ uſque hodie extant.* Similiter Ant. Pagi (c). *Dionyſius, qui Firmiliani & Cypriani ſententiæ, teſte Hieronymo, adhæſit, nondum ſententiam ſuam mutarat initio Pontificatûs Xyſti ſucceſſoris Stephani.*

(b) Hier. de Script. Eccl.

[c] Pagi ad ann. 257. n. 12.

Alia eſt, fateor, Doctiſſimi viri, Theodorici Ruinart Benedictini, nec abſurda fortè, ſententia. Negat iſte, quicquid Hieronymo viſum ſit rejectum à Dionyſio, aut iteratum, hæreticorum baptiſmum, ſed hanc illius fuiſſe mentem putat, ut unaquæque Eccleſia vetuſtos ſuos in hoc capite mores ſequeretur,& majorum placita obſervaret. Ita ille ſi ſenſit, ut ſenſiſſe putat Ruinartius, atque argumentis neutiquam ſpernendis ſuadet, Stephano non minùs apertè contradixit ſtatuenti, ut miſſâ vetuſtâ conſuetudine Romanam Afri & Aſiani ſequerentur.

Sed quicquid ſit de Dionyſio, Stephani adverſariis addendus certè Firmilianus, qui tanto illi fervore obſtitit, ut non paucis modum exceſſiſſe videatur. Hæc illius cumprimis verba obſervanda, ex quibus quid, non de baptiſmo duntaxat, ſed de ipsâ infallibilitate, ſenſerit manifeſtiſſimè patet. *Eos*, inquit, *qui Romæ ſunt non ea in omnibus obſervare, quæ ſunt ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendere, ſcire quis etiam inde poteſt, quòd circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta, videat apud illos eſſe aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur.* Et multis interjectis. *Atque ego in hac parte juſtè indignor ad hanc tam apertam & manifeſtam Stephani ſtultitiam, quòd qui ſic de Epiſcopatûs ſui loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt, multas*

alias petras inducat, & Eccleſiarum multarum nova ædificia conſtituat, dum eſſe illic babtiſma ſuâ auctoritate defendit. Denique paulo ante finem. *Non metuis judicium Dei, hæreticis teſtimonium contra Eccleſiam perhibens cum ſcriptum ſit*, Falſus teſtis non erit impunitus. *Quinimo tu hæreticis omnibus pejor es.* Hæc, & alia non pauca, Firmilianus, quæ Lupum ita pupugerunt, ut non dubitarit negatæ Pontificiæ infallibilitatis primum auctorem illum dicere, quemadmodum jam initio obſervavimus.

Addendi reliqui vicinarum per Aſiam Eccleſiarum Epiſcopi, de quibus ad Xyſtum Stephani ſucceſſorem Dionyſius Alexandrinus (d). *Antea quidem literas ſcripſerat* (Stephanus) *de Heleno, & de Firmiliano, de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctaſque finitimas provincias conſtitutis, ſeſe ob eam cauſam ab illorum communione diſceſſurum, quòd hæreticos rebaptizarent. Ac vide quæſo, gravitatem negotii. Revera enim in maximis, ut audio, Epiſcoporum Conciliis decretum eſt, ut qui ab hæreticis ad Catholicam Eccleſiam accedunt primùm Catechumeni fierent, ac deinde veteris & impuri fermenti ſordibus per baptiſmum purgarentur. De his omnibus ego ad illum epiſtolam miſi, rogans atque obteſtans.*

(d) *Apud Euſ. lib.* 7. *cap.* 5.

Addendi iſtorum uſque ad Synodum Nicænam ſucceſſores, qui ſuam de rebaptizandis hæreticis ſententiam eò uſque retinuerunt, quidam ne tunc quidem depoſuerunt. *Orientales*, inquit Valeſius (e), *ac præſertim Cappadoces, morem ſuum in rebaptizandis hæreticis conſtantiſſimè retinuerunt, ut patet ex Baſilii ad Amphilochium Canonicis epiſtolis primâ & ſecundâ. Manſitque mos iſte apud illos uſque ad primam Synodum Conſtantinopolitanam.* Idem fuſè & accuratè oſtendunt præter Launoium Lupus (f), &

(e) *Val. not. in Euſ. lib.* 7. *cap.* 5.

(f) *Lup. in Concil.*

Afris illis addendus Dionyſius Alexandrinus, de quo Hieronymus (b). *Hic in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma conſentiens, de hæreticis rebaptizandis ad diverſos plurimas miſit Epiſtolas, quæ uſque hodie extant.* Similiter Ant. Pagi (c). *Dionyſius, qui Firmiliani & Cypriani ſententiæ, teſte Hieronymo, adhæſit, nondum ſententiam ſuam mutarat initio Pontificatûs Xyſti ſucceſſoris Stephani.*

(b) *Hier. de Script. Eccl.*

[c] *Pagi ad ann. 257. n. 12.*

Alia eſt, fateor, Doctiſſimi viri, Theodorici Ruinart Benedictini, nec abſurda fortè, ſententia. Negat iſte, quicquid Hieronymo viſum ſit rejectum à Dionyſio, aut iteratum, hæreticorum baptiſmum, ſed hanc illius fuiſſe mentem putat, ut unaquæque Eccleſia vetuſtos ſuos in hoc capite mores ſequeretur,& majorum placita obſervaret. Ita ille ſi ſenſit, ut ſenſiſſe putat Ruinartius, atque argumentis neutiquam ſpernendis ſuadet, Stephano non minùs apertè contradixit ſtatuenti, ut miſſâ vetuſtâ conſuetudine Romanam Afri & Aſiani ſequerentur.

Sed quicquid ſit de Dionyſio, Stephani adverſariis addendus certè Firmilianus, qui tanto illi fervore obſtitit, ut non paucis modum exceſſiſſe videatur. Hæc illius cumprimis verba obſervanda, ex quibus quid, non de baptiſmo duntaxat, ſed de ipsâ infallibilitate, ſenſerit manifeſtiſſimè patet. *Eos*, inquit, *qui Romæ ſunt non ea in omnibus obſervare, quæ ſunt ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendere, ſcire quis etiam inde poteſt, quòd circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta, videat apud illos eſſe aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur.* Et multis interjectis. *Atque ego in hac parte juſtè indignor ad hanc tam apertam & manifeſtam Stephani ſtultitiam, quòd qui ſic de Epiſcopatûs ſui loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt, multas alias*

alias petras inducat, & Eccleſiarum multarum nova ædificia conſtituat, dum eſſe illic babtiſma ſuâ auctoritate defendit. Denique paulo ante finem. *Non metuis judicium Dei, hæreticis teſtimonium contra Eccleſiam perhibens cum ſcriptum ſit*, Falſus teſtis non erit impunitus. *Quinimo tu hæreticis omnibus pejor es.* Hæc, & alia non pauca, Firmilianus, quæ Lupum ita pupugerunt, ut non dubitarit negatæ Pontificiæ infallibilitatis primum auctorem illum dicere, quemadmodum jam initio obſervavimus.

Addendi reliqui vicinarum per Aſiam Eccleſiarum Epiſcopi, de quibus ad Xyſtum Stephani ſucceſſorem Dionyſius Alexandrinus (d). *Antea quidem literas ſcripſerat* (Stephanus) *de Heleno, & de Firmiliano, de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctaſque finitimas provincias conſtitutis, ſeſe ob eam cauſam ab illorum communione diſceſſurum, quòd hæreticos rebaptizarent. Ac vide quæſo, gravitatem negotii. Revera enim in maximis, ut audio, Epiſcoporum Conciliis decretum eſt, ut qui ab hæreticis ad Catholicam Eccleſiam accedunt primùm Catechumeni fierent, ac deinde veteris & impuri fermenti ſordibus per baptiſmum purgarentur. De his omnibus ego ad illum epiſtolam miſi, rogans atque obteſtans.*

(d) *Apud Euſ. lib. 7. cap. 5.*

Addendi iſtorum uſque ad Synodum Nicænam ſucceſſores, qui ſuam de rebaptizandis hæreticis ſententiam eò uſque retinuerunt, quidam ne tunc quidem depoſuerunt. *Orientales*, inquit Valeſius (e), *ac præſertim Cappadoces, morem ſuum in rebaptizandis hæreticis conſtantiſſimè retinuerunt, ut patet ex Baſilii ad Amphilochium Canonicis epiſtolis primâ & ſecundâ. Manſitque mos iſte apud illos uſque ad primam Synodum Conſtantinopolitanam.* Idem fusè & accuratè oſtendunt præter Launoium Lupus (f), &

(e) *Val. not. in Euſ. lib. 7. cap. 5.*

(f) *Lup. in Concil.*

& Galliæ vindicatæ auctor nuperus (g), quorum iſte prolatis diſertiſſimis Athanaſii, Baſilii, Cyrilli Hieroſolymitani teſtimoniis demonſtrat magnos illos viros non dubitaſſe quin Ariani, licet in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. baptizati, iterum tingi deberent.

tom. 1. p. 243. & in tertull. p. 661.

(g) Gall. vind. diſſ. 4. §. 3.

Ex illis teſtimoniis unum eſt meâ ſententiâ digniſſimum quod iſthic deſcribatur. In eo etenim Baſilius apertè dicit ignotam ſibi non eſſe Romanorum, id quod ipſe ſuadet improbantium ſententiam, quo ipſo oſtendit quanti eorum auctoritatem faciat. Sic ait (h). *Encratitæ, & Saccophori, & Apotactitæ ſubjiciuntur eidem rationi, cui & Novatiani, quia de illis editus eſt canon, etſi diverſus: quæ autem ſunt adverſus eos, ſilentio prætermiſſa ſunt, nos autem unâ ratione tales rebaptizamus. Si autem prohibita eſt apud vos hæc rebaptizatio, ſicut & à Romanis, alicujus Oeconomiæ gratiâ, noſtra tamen ratio vires obtineat, quandoquidem eſt veluti Marcioniſtarum germen eorum hæreſis, nuptias abhorrentium, & vinum averſantium, & Dei creaturam inquinatam eſſe dicentium, eos igitur in Eccleſiam non admittimus niſi in noſtrum baptiſmum baptizati fuerint. Ne dicant enim in Patrem, & Filium, & Spiritum S. baptizati ſumus, qui quidem Deum eſſe malorum effectorem exiſtimant, inſtar Marcionis, & reliquarum hæreſium.*

(h) Baſ. epiſt. ad Amphil. cap. 47.

Afros quoque in ſuâ conſuetudine perſtitiſſe teſtis eſt locupletiſſima Synodus Arelatenſis, cujus hæc ſunt can. 8. *De Afris, qui propriâ lege utuntur, ut rebaptizentur, placuit ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum ſymbolum, & ſi perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eſſe baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum S. Quod ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur.*

Quod

Quod verò Sirmondus & Schelſtratius dicunt Afros iſtos Donatiſtas fuiſſe, ridiculum eſt. Nam præter quàm quod incredibile eſt ita verbis abuſos Arelatenſes Patres, ut pro Donatiſtis Afros dicerent, quaſi Afri non alii fuiſſent quàm Donatiſtæ, nemo neſcit hunc Donatiſtarum errorem fuiſſe, ut non hæreticos duntaxat, ſed ipſos quoque Orthodoxos ad ſuam ſectam tranſeuntes, iterum tingerent. Si igitur Sacrilegium iſtud damnare Arelatenſes Patres voluiſſent, an ita, quæſo, locuti eſſent? Dixiſſentne, *Placuit ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit &c?*

Rurſus an hoc ſolum in Donatiſtis diſplicebat, quòd venientes ad ſe baptizarent, ut reliquis miſſis hoc unum Synodi Patres damnarent? Certè longè aliter ſolet cum hæreticis ac ſchiſmaticis agi. Enumerantur eorum errores, indicantur peccata, & ſigillatim proſcribuntur. Hîc nihil ſimile fit. Uno verbo habet hic Canon ſpeciem regulæ Catholicis præſcriptæ, non ſententiæ in ſchiſmaticos & perduelles latæ. Nihil videt qui hoc non videt.

Quid quod etiam poſt Arelatenſem Synodum Optatum Milevitanum hæreticorum baptiſmum exſufflaſſe multis oſtendunt Blondellus ac Launoius, nec diffitentur ex Adverſariis Balduinus, Albaſpinæus, & Lupus. Diſerta mihi videntur hæc Scriptoris illius verba, *Ut quid à te memorati ſunt illi apud quos non ſunt Sacramenta quæ nobis & vobis videntur eſſe communia.*

Ulteriùs Blondellus & Launoius progrediuntur. Si qui fuerint qui ſententiam in hac causâ mutarint, contendunt, non Aſiaticos, non Afros fuiſſe, ſed ipſos Romanos, quoſdam, ſaltem ex illis. Probant autem iſtis Dionyſii ad Xyſtum, quæ diſerta certè mihi videntur (i). *Sed & cariſſimis fratribus, & Compresbyteris noſtris Dionyſio ac Philemoni*

(i) *Euſ. lib. 7. cap. 5.*

moni (erant hi Romomanæ Eccleſiæ Presbyteri), *qui priùs idem cum Stephano ſenſerant, deque iiſdem rebus ad me ſcripſerant, antea quidem breviter, nunc verò pluribus verbis ſcripſi.* Qui priùs iſtos cum Stephano ſenſiſſe dicit, is nunc ab eo diſſentire apertè innuit.

Errant igitur Baronius, Pamelius, ac Schelſtratius, qui & Afros, & Aſiaticos ſtatim poſt Stephani obitum errori ſuo nuncium miſiſſe comminiſcuntur. Vix quicquam dici falſius potuit, quemadmodum ſuperiora ſatis oſtendunt.

ARTICULUS III.

Exploditur eorum reponſum qui volunt Veteres illos exiſtimaſſe quæſtionem iſtam non ad fidem, ſed ad diſciplinam pertinere.

SPerant Adverſariorum plerique elabi ſe poſſe dicendo, diſſenſiſſe quidem à Romano Pontifice Veteres, ſed diſſenſiſſe in re quam ad fidem pertinere non putarent, ſed ad diſciplinam Eccleſiæ multis ex cauſis mutabilem, idque inde colligi arbitrantur, quòd nec Romano Præſuli hæreſeos notam inuſſerint, nec ab ejus communione ſe ſubduxerint. Sed argumentum iſtud futile eſt. Quàm multa enim ſunt, quæ non ad diſciplinam, ſed ad doctrinam ſpectant, & in quibus diſſentientes hæretici nec ſunt, nec alii aliis videntur, ſive quòd obſcura ex ſe ſint, & non ſatis expreſſè revelata, ſive quod ſalutis fundamenta nec contineant, nec ſubvertant? Quàm multa rurſus quæ intra Eccleſiæ ambitum, & ſalvâ ejus unitate, quidam affirmant, quidam negant?

Ejuſmodi autem erat id quod iſti diſputationi mate-

materiem dabat. Erat res in ſe ſatis perplexa, ut Auguſtinus paſſim obſervat, & vel ex tot ſanctiſſimorum virorum diſſenſione patebat. Erat rurſus ejuſmodi, ut qui in eâ erraret, fidei fundamenta non concuteret. Quare ergo propter illam in partes ſcindi Eccleſia debuit?

Ea verò quæſtio nec ad diſciplinam pertinebat, nec pertinere niſi ſtupidiſſimis videri potuit. Quærebatur non tantùm utrum baptizatos ab hæreticis iterum baptizare liceret, ſed hoc præſertim num collatus ab hæreticis baptiſmus ratus eſſet atque validus, hoc eſt num peccatorum remiſſionem, & regenerationem conferret. De eo præcipuè diſputabatur, & quiſquis vel Cypriani epiſtolas, vel Carthaginenſis Concilii acta luſtrabit, ſtatim videbit eò potiſſimùm cunctos reſpexiſſe, præcipuamque diſputationis vim, atque argumentorum molem in id directam. Nullum certè Scripturæ locum proferunt, quo jubeantur ab hæreticis baptizati iterum tingi. Contrà multos exhibent in ſpeciem affirmantes vanum eſſe hæreticorum baptiſmum. Quare multi ſunt ex Carthaginenſibus Patribus, qui quæſtionem iſtam ſolam attingunt. Sic Victoricus à Thabracâ. *Si licet hæreticis babtizare, & remiſſam peccatorum dare, quid illos infamamus, ut hæreticos appellemus? Si hæreticis in baptiſmo ſua peccata donentur*, inquit Satius à Sicilibbâ, *ſine causâ ad Eccleſiam veniunt. Cum peccata*, ait Victor Gorenſis, *nonniſi in Eccleſia baptiſmo remittantur, qui hæreticum ad communicationem ſine baptiſmo admittit, utrumque contra rationem facit, nec hæreticos purgat, & Chriſtianos inquinat.* Iſtam verò quæſtionem, utrum collatus ab hæreticis baptiſmus ſit validus, ad diſciplinam pertinere, ſi Veteres putaſſent, inſaniiſſent profectò, & hominum abſurdidiſſimi fuiſſent.

Ad hæc ſi quæſtio quam tractabant, ad diſciplinam pertinebat, poterat illa, imò & debebat, ex conſuetudine dijudicari. Atqui negant iſti eſſe in eo habendam conſuetudinis rationem. Sic Liboſus à Vagâ. *In Evangelio Dominus, Ego ſum, inquit, veritas. Non dixit, Ego ſum conſuetudo. Itaque veritate manifeſtatâ cedat conſuetudo veritati. In hæreticis ſine Eccleſiæ baptiſmo admittendis nemo conſuetudinem rationi & veritati præponat*, inquit Felix à Buſlaceni, *quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit*. Sic Honoratus à Tuccâ. *Cum Chriſtus veritas ſit, magis veritatem, quàm conſuetudinem ſequi debemus.* Sic ipſe Cyprianus (a). *Non eſt de conſuetudine præſcribendum ſed ratione vincendum.*

(a) Cyp. epiſt. 70.

Rurſus quicquid eſt in diſciplinâ mutabile, non à Dei revelantis auctoritate, ſed ab Eccleſiæ arbitrio pendet. Quomodo igitur agi de diſciplinâ duntaxat exiſtimare illi potuerunt, qui quod defendebant revelatum à Deo fuiſſe gloriabantur? Sic ad Jubajanum Cyprianus. *Proinde*, inquit, *fruſtra quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt, quaſi conſuetudo major ſit veritate, aut non id ſit in ſpiritualibus ſequendum, quod in meliùs fuerit à Spiritu S. revelatum. Ignoſci enim poteſt ſimpliciter erranti...... Poſt inſpirationem verò, & revelationem factam qui in eo quod erraverat perſeverat prudens & ſciens, ſine veniâ ignorantiæ peccat, præſumptione enim atque obſtinatione quadam nititur, cum ratione ſuperetur.*

Nec in genere duntaxat gloriabantur revelatum id fuiſſe quod docebant, ſed aſſerebant inſuper in Scripturâ contineri. Sic Novatus à Thamugade. *Secundum teſtimonium Scripturarum, & ſecundum decretum Collegarum noſtrorum....... omnes ſchiſmaticos & hæreticos, qui ad Eccleſiam converſi ſunt, baptizari.* Sic Nemeſianus à Thubunis. *Baptiſma*

tiſma quod dant hæretici & ſchiſmatici non eſſe verum ubique in Scripturis ſanctis declaratum eſt. Sic Januarius à Lambæſe. *Secundum Scripturarum ſanctarum auctoritatem decerno hæreticos omnes baptizandos.*

Proferebant autem loca Scripturæ nec pauca, nec, ut ipſis videbatur, parum diſerta. Hæc nominatim. *Qui baptizatur à mortuo, quid prodeſt lavatio ejus? Ab aquâ alienâ abſtine te. Omnia quæcunque tetigerit immundus, immunda erunt. Una fides, unum baptiſma.*

Stephanus verò non auctoritatem ſuam, non Papalem omnipotentiam proferebat, ut fieri debuit, ſi de re ad diſciplinam pertinente agebatur, ſed traditionem, quæ non tam diſciplinæ, quam fidei norma eſſe putatur. *Nihil*, aiebat, *innovetur, niſi quod traditum eſt.* Huic verò traditioni opponebat Cypianus præferendam Scripturæ ſacroſanctam auctoritatem. *Unde eſt*, aiebat (b), *iſta traditio?* (b) Cyp. epiſt. 74. ad Pomp.
Utrumne de dominicâ & Evangelicâ auctoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atque epiſtolis veniens? Ea enim facienda eſſe quæ ſcripta ſunt Deus teſtatur, & proponit ad Jeſum Nave dicens: Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, ſed meditaberis in eo die ac nocte, ut obſerves facere omnia quæ ſcripta ſunt in eo. Et paulo pòſt. *Quæ iſta obſtinatio eſt, quæve præſumptio, humanam traditionem divinæ diſpoſitioni anteponere, nec animadvertere indignari & iraſci Deum quoties divina præcepta ſolvit & præterit humana traditio? Sicut per Eſaiam Prophetam clamat & dicit*, Populus iſte labiis honorificat me, cor verò eorum longè ſeparatum eſt à me. Sine cauſâ autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.

Ea omnia & ſingula manifeſtè oſtendunt nullatenus Afros iſtos putaſſe agi tunc temporis de diſcipli-

nâ, ſed de fide, quam à Stephano violari utcunque exiſtimabant. Non ita quidem ut hæreticum illum exiſtimarent. Percuſſiſſent illum anathemate, ut ſucceſſores Vigilium, & ſeceſſionem ab eo feciſſent. Sed ut in re nondum ab univerſâ Eccleſiâ definitâ, & in qua variatum ſemper fuerat, ſimplici & tolerando errore hallucinari illum putabant. Modò enim falſa eſſe poſſe Pontificum decreta agnoſcantur, nihil ampliùs requiram, & nullam eſſe illius infallibilitatem ſatis patebit.

ARTICULUS IV.

Quæ Auguſtinus circa hanc diſputationem dixit clarè oſtendunt ignotam illi Pontificis infallibilitatem fuiſſe.

SIc fuit primum noſtrum ex hac diſputatione argumentum. Secundum ex iis ſumimus, quæ de illâ verba faciens Auguſtinus paſſim docuit. Ea etenim manifeſtiſſimè demonſtrant non exiſtimaſſe ſanctum Doctorem, Stephanum errare neſcium. Et quamvis Auguſtinum hîc unum proferam, tanta ſemper fuit illius apud omnes auctoritas, ut multorum inſtar eſſe queat, & vix verum eſſe credi poſſit, quod tantus Doctor neſcivit.

Neſcivit tamen hanc Romani Præſulis poteſtatem errare neſciam. Etenim diſputans alicubi cum Donatiſtis Cypriani auctoritatem opponentibus, ſanctiſſimum Martyrem, quem purgare plenè non poteſt, excuſare ſaltem conatur. Sic autem excuſat (a). *S. Cyprianus ſatis oſtendit facillimè ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſi quis ei demonſtraſſet baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis qui foras exierunt,* quem-

(a) *Aug. de bapt. cont. Don. lib. 2. cap. 4.*

quemadmodum amitti non potuit cum foras exirent. Unde multa jam diximus, nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſimâ auctoritate firmati, cui & ipſe [Cyprianus] *ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur. Si enim Petrum laudat & prædicat ab uno poſteriore Collegâ patienter concorditerque correctum, quanto citiùs ipſe cum Concilio provinciæ ſuæ univerſi orbis auctoritati patefactâ veritate ceſſiſſet?*

Hîc multa ſunt obſervatione digniſſima. Primùm vel ipſe Auguſtini ſcopus oſtendit ignotum illi fuiſſe Pontificiæ infallibilitatis, & debitæ illius judiciis cœcæ obedientiæ figmentum. Vult ille Cyprianum excuſare, ejuſque de baptiſmo hæreticorum iterando errorem elevare. Atqui ſi Pontifex errare nequit, ejuſque decretis nullo examine prævio parere Chriſtiani omnes tenentur, excuſari nullâ ratione Cyprianus potuit, quippe qui Stephano controverſiam hanc definienti protervè obſtitit. II. Præterea aſſerit Auguſtinus Cyprianum ſententiam ſuam correcturum fuiſſe, ſi demonſtratum illi eſſet, quòd erraret. Atqui abundè hoc ipſum demonſtrabatur, ſi Stephanus indeficientis judicii privilegio gaudebat. Quæ enim firmior ac certior demonſtratio expeti potuit, quàm ipſius Spiritûs S. vox, atque infallibile veritatis oraculum, clarè atque apertè pronuncians errare eos omnes qui collatum ab hæreticis baptiſmum iterabant? III. Ad hæc ait Cyprianum ceſſurum fuiſſe, ſi illius quæſtionis veritas eliquata & ſolidata per plenarium Concilium fuiſſet. Non putavit ergo per Pontificis judicium quæſtiones eliquari & ſolidari. Non putavit ejus decreta cum plenariorum Conciliorum ſtatutis comparanda. IV. Denique negat ſe ipſum auſurum Cypriano repugnare, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſimâ auctoritate firma-

matum. Sed nimium profectò meticuloſus Auguſtinus fuit, ſi Stephanus errare non poterat. Quæ enim malùm hæc timiditas eſt non audere illi aſſentiri quem non poſſe falſa docere certò ſcias?

(b) *Idem lib. 2. cap. ult.* Sic alio loco (b). *Ea dubitatio præcedente tempore perſpectâ veritate ſublata eſt, quæſtio quæ nondum finita Cyprianum non deterruit, ut recederet, vos finita ut redeatis invitat.* Vides ut ſuâ ætate finitam eſſe hanc quæſtionem affirmet, Cypriani tempore fuiſſe neget, quamvis jam tunc Stephanus pronunciaſſet, & quidem decretoriè, & cum excommunicationis ſaltem minis. Concilium contrà ſive Arelatenſe, ſive Nicænum, ſive Conſtantinopolitanum I. adſque ullâ vel comminatione, vel ſimili ſanctione, quod obſervandum.

Alibi prolatis quibuſdam Cypriani verbis hæc (c) *Ibidem cap. 8.* addit (c). *His utique verbis non ſolùm eos admonuit ſibi conſentire, qui melius aliquid non videbant, ſed etiam eos hortatus eſt, ſi qui poſſent afferre aliquid, quo prior conſuetudo ſervanda potiùs firmaretur, ut ſi tale eſſet, quod refelli non poſſet, etiam ipſe oſtenderet quam veraciter dixerit debere unumquemque non pro eo quod ſemel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi, ſed ſi quid melius & utilius extiterit libenter amplecti. Sed quia tunc non extiterant, niſi qui ei conſuetudinem opponerent, defenſiones autem ipſius conſuetudinis non tales afferrent, quibus illa talis anima moveretur, noluit vir graviſſimus rationes ſuas, etſi non veras, quod eum latebat, ſed tamen non victas, veraci quidem, ſed tamen nondum aſſertæ, conſuetudini cedere.* Qui nihil Cypriano oppoſitum aſſerit, quo poſſet ejus animus commoveri, qui rationes ejus, quamvis falſas, victas eſſe negat, qui oppoſitam conſuetudinem nondum aſſertam prònunciat, nonne eadem operâ negat eam fuiſſe Stephani adverſus Cyprianum pronunciantis auctoritatem, quæ ſanctiſſimum virum proprio

pon-

pondere vinceret, & ad palinodiam adigere valeret? Qualis tamen proculdubio fuiſſet, ſi ſumma, ſi errare neſcia extitiſſet.

Præterea ſi Auguſtinus idem cum Adverſariis ſenſiſſet, Concilio Carthaginenſi ſub Cypriano, quod Donatiſtæ ſubinde & identidem objiciebant, ſaltem aliquando Stephani illud repudiantis judicium oppoſuiſſet. Nuſquam tamen oppoſuit. Oppoſuit ſemper plenarium illud Concilium, de quo toties loquitur. Sic eodem libro, cap. 9. *Si auctoritas Cypriani ſequenda eſt, magis eam ſequendam eſſe in unitate ſervandâ, quam in Eccleſiæ conſuetudine commutandâ. Si autem Concilium ejus attenditur, huic eſt univerſæ Eccleſiæ poſterius Concilium præponendum, cujus ſe eſſe membrum gaudebat, & ut ſe in totius corporis compage retinendâ cæteri imitarentur, ſæpius admonebat. Nam & Concilia poſteriora prioribus apud poſteros præponuntur, & univerſum partibus ſemper jure optimo præponitur.*

Denique alio loco (d). controverſiam iſtam exponens ſic ait. *Duo erant eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romanæ ſcilicet, & Carthaginenſis Epiſcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholicâ conſtituti, quorum Stephanus baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat. Cyprianus autem in hæreſi vel ſchiſmate baptizatos, tanquam non habentes baptiſmum Chriſti baptizandos in Eccleſiâ Catholicâ exiſtimabat.* Vides ut in nullo iterandum eſſe baptiſmum Stephanus juxta Auguſtinum vellet. Non dubitabat Auguſtinus quin ille erraſſet, quandoquidem conſtantiſſimè ſemper docuit nullum eſſe collatum ab hæreticis baptiſmum in nomine Patris, Filii, & Spiritûs S. non celebratum.

(d) *Aug. de unico bapt. cap.* 14.

ARTICULUS V.

Ne illi quidem qui baptizari hæreticos nolebant Stephani judicium omni ex parte ſecuti ſunt.

QUæ ſub finem præcedentis articuli attigi tertium nobis, ac firmiſſimum argumentum ſubminiſtrant, quo evincamus Stephani infallibilitatem innumeris olim ignotam fuiſſe. Id enim inde colligimus, quòd ejus judicio nec tres celeberrimæ Synodi, Arelatenſis, Nicæna, & Conſtantinopolitana, ſteterunt, nec Eccleſia univerſa acquievit, quippe quæ Synodorum illarum ſtatuta, paucis, de quibus dixi, exceptis, tam concorditer admiſit. Definierunt illæ, & ferè omnes ab eo tempore agnoverunt, irritum & invalidum eſſe eorum hæreticorum baptiſmum, qui ſolemnem illam à Chriſto præſcriptam formulam non adhibebant, quales erant illis temporibus plurimi.

Atqui Stephanus non quorundam duntaxat, ſed omnium omnino hæreticorum, baptiſmum admittebat. Negant quidem iſtud Nat. Alexander, Em. à Schelſtrate, Ant. Pagi, aliique non pauci. Negant admiſſum à Stephano quemvis indiſcriminatim hæreticorum baptiſmum, ſed eum duntaxat qui fuerit in nomine ſacroſanctæ Trinitatis celebratus. Ego contrà cum Launoio ac Dupino contendo non eorum tantùm hæreticorum, qui Trinitatem invocarent, ſed aliorum etiam quorumvis baptiſmum à Stephano ſuſceptum, & iterari vetitum fuiſſe.

Stephani quidem Epiſtolæ cum aliis antiquitatis monumentis temporum injuriâ perierunt. Tripliciter tamen quæ fuerit ejus ſententia ſcire poſſumus.

Pri-

Primùm ex fragmento quodam epiſtolæ ejus ad Cyprianum, quod nobis iſte ſervavit; deinde ex diſputationibus Cypriani ac Firmiliani, quæ meliorem ſortem habuere; denique ex teſtimonio Veterum quorundam, qui Stephani epiſtolam, vel alia ſaltem monumenta, quæ nobis tempus invidit, videre potuerunt.

Et fragmentum quidem epiſtolæ Stephani ſic habet (a). *Si quis ergo à quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipſi hæretici propriè alterutrum ad ſe venientem non baptizent, ſed communicent tantùm.* Inde ego duplex argumentum elicio. (a) *Apud Cyp. epiſt. 74. ad Pomp.*

Primum ex eo peto quòd Stephanus nihil excipiat, nihil diſtinguat, ſed univerſaliter prohibeat ne qui hæretici baptizentur. *Si quis*, inquit, *à quacunque hæreſi venerit ad nos.* Non ait, *ab hac vel illâ hæreſi*, ut dicendum ptofectò fuit, ſi ex tunc graſſantibus hæreſibus quarundam baptiſmum repeti voluit, ſed in univerſum, *A quacunque hæreſi.* Certè in legibus ferendis, & in controverſiis definiendis, ſolent ac debent verba librari, eaque eligi, quæ pravum omnem ſenſum explodant, ſaltem quæ non inſinuent. Quare extra culpam Stephanus nequaquam fuiſſet, ſi dum quaſdam duntaxat hæreſes intelligebat, omnes dixiſſet.

Id verò inde firmatur, quòd vel omnino nulli, vel ſaltem pauciſſimi, hæretici tunc temporis fuerint, qui & verbis legitimis baptizarent, & intelligi à Stephano potuerint. Quidam omnino non baptizabant. *Iſtorum*, inquit Lupus (b), *quidam ſpernebant elementum aquæ, ſolius balſami unctione initiabant. Quin & aliqui proſcribebant omne viſibile elementum, garrientes à ſolâ internâ fide dari nobis perfectam redemptionem.* Alii ſolis neſcio quibus ſine (b) *Lup. in Tert. pag. 662.*

elemento profanis verbis ſuos ſequaces ſecrabant. Eorum qui baptizabant plerique abſurdas & ab eâ quam Chriſtus præſcripſit alieniſſimas formulas adhibebant, quarum nonnullas refert Irenæus lib. I. cap. 18. Huc revocanda univerſa Gnoſticorum colluvies, quæ Trinitatem, quam non agnoſcebat inter baptizandum invocaſſe putanda non eſt. Quare horum omnium baptiſmum irritum fuiſſe dubium non eſt. *Marcionitas*, inquit Lupus (c), *Valentinianos, Baſilidianos, Carpocratianos, Simonianos, Manichæos, & omnes generatim duplicis Divinitatis Gnoſticos Fabulones eſſe rebaptizandos, conſtanter docent Timotheus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter, ac in literis ad* Naucrationem *S. Theodorus Abbas in Studii Monaſterio. Et canon VII. Conſtantinopolitanus per eos qui ſunt de regione Galatiæ omnino intelligit jam dictos Fabulones, & mandat rebaptizari. Et hæc pars eſt omnino vera atque ſequenda.*

(c) *Lup. in Tert. pag.* 661.

Quibus verbis uterentur Samoſateniani, Montaniſtæ, ac Sabelliani non ſatis conſtat. Sed ut ut ſit illorum baptiſmum abjecerunt Synodi Nicæno & Conſtantinopolitana. Quare ſi vel iſtorum, vel reliquorum, de quibus dixi, baptiſmum Stephanus ratum habuit, erravit. Si verò utroſque excepit, difficile dictu eſt quos intellexerit, non enim Novatianos in mente habuit, quandoquidem de iis tantùm locutus eſt, qui aliarum ſectarum hæreticos ad ſe venientes non baptizabant. Id verò de Novatianis dici non poteſt, qui cum ipſos Catholicos, à quibus in Diſciplinâ duntaxat, vel potiùs in uno Diſciplinæ capite, diſſidebant, ad ſe deficientes iterum tingerent, hæriticos, quibuſcum nihil commune habebant, abſque baptiſmo damiſiſſe putandi non ſunt. Iſtis verò, & reliquis, quos dixi, demptis, quos alios intelligere Stephanus potuerit, non ita patet. Hoc ſaltem certum; ſi qui fuerint qui ritè bap-

 tiza-

tizarent, pauciſſimos illos præ reliquis fuiſſe. Paucos verò omnes dici abſurdum eſt, & non poteſt Stephano citra contumeliam imputari.

Alterum argumentum inde deſumo, quòd, ut jam monui, de iis hæreticis loqui ſe Stephanus dicat, qui alterutrum ad ſe venientem non baptizabant. Quinam autem iſti fuerunt? Non Novatiani, ut jam dixi. Non Montaniſtæ, quemadmodum ex Tertulliano ſatis patet. De Sabellianis etiam & Samoſatenianis parum eſt veriſimile, ſed de variis Gnoſticorum ſectis veriſimillimum. Illæ etenim cum in præcipuo errorum ſuorum fundamento, duplici ſcilicet divinitate, conſentirent, & nonniſi in levibus quibuſdam apicibus diſſiderent, debuerunt ſe invicem fratrum loco habere. Ut ut ſit de iſtis ea Stephani verba Firmilianus intellexit, ſic enim ait. *Sed & ad illam partem benè à vobis reſponſum eſt, ubi Stephanus in epiſtolâ ſuâ dixit hæreticos quoque ipſos in baptiſmo convenire, & quod alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantùm, quaſi & nos hoc facere debeamus. Quo in loco etſi vos jam probaſtis ſatis ridiculum eſſe ut quis ſequatur errantes, illud tamen ex abundanti addimus non eſſe mirum ſi quid hæretici agant, qui etſi in quibuſdam minoribus diſcrepant, in eo tamen quod eſt maximum unum & eundem conſenſum tenent, ut blaſphement Creatorem, quædam ſibi ſomnia & phantaſmata ignoti Dei confingentes; quos utique conſequens eſt ſic conſentire in baptiſmi ſui veritate, ut conſentiunt in repudiandâ Divinitatis veritate. De quibus quoniam longum eſt ad ſingula eorum, vel ſceleſta, vel ſupervacua reſpondere, ſatis eſt breviter illud in compendio dicere, eos qui non teneant verum Dominum Patrem, tenere non poſſe, nec Filii, nec Spiritûs S. veritatem.* Hæc ille, in quibus ſi non erravit, lis finita eſt. Quin enim Gnoſtici perperam baptizarent, dubium nullum eſt. Quare cum illorum baptiſmum

tiſmum Stephanus ſuſceperit, nulli ſunt quorum initiationes vanas putarit.

II. Hactenus ex ipſis Stephani verbis diſputavimus. Nunc videndum quid illi tribuerint, adverſarii fateor, ſed æquiſſimi, & ſanctiſſimi, Cyprianus ac Firmilianus, quos vel perſpicaciâ ad mentem illius percipiendam, vel ſinceritate ad exponendam deſtitutos nemo dixerit. Sic igitur Cyprianus (d), poſt relata Stephani verba. *A quacumque hæreſi venientem baptizari in Eccleſiâ vetuit, id eſt omnium hæreticorum baptiſmata juſta eſſe & legitima judicavit. Et cum ſingula hæreſes ſingula baptiſmata, & diverſa peccata habeant, hic cum omnium baptiſmo communicans univerſorum delicta, in ſinum ſuum coacervata congeſſit.* Vides ut primùm *quamcunque hæreſim* dicat, tum *omnes hæreſes*, nec iis locutionibus contentus tertiam adjungat, & de *univerſis* pronunciaſſe Stephanum teſtetur.

(d) Cyp. epiſt. 74. ad Pomp.

Clara illa ſunt, ſed hæc clariora. *Cum nulla omnino hæreſis, ſed neque aliquod ſchiſma, habere ſalutaris baptiſmi ſantificationem foris poſſit, cur in tantum Stephani fratris noſtri obſtinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptiſmo, item Valentini, & Apelletis, & cæterorum blaſphemantium in Deum Patrem contendat filios Deo naſci.* Et dubitabitur poſt iſta num Gnoſticorum baptiſmum Stephanus ſuſceperit, nominatim Marcioniticum, quem fuiſſe irritum ipſe præter Lupum Natalis agnoſcit (e), & ex eo probat, quod decem Marcionitarum millia à ſe baptizata Theodoretus glorietur.

Aliud occurit non contemnendum. Gloriabatur Stephanus traditionis illius, quam defendebat, auctores Apoſtolos fuiſſe, & inſtituiſſe illos dicebat, ut ad Eccleſiam venientes hæretici abſque novo baptiſmo admitterentur. Audacem hanc affirmationem eo Cyprianus & Firmilianus confutant, quòd

hære-

hæretici, de quibus diſputabatur, diu poſt extinctos Apoſtolos prodierint, atque adeo non potuerint Apoſtoli de eorum baptiſmo quicquam decernere. Sic Cyprianus. *Ut nemo infamare Apoſtolos debeat, quaſi illi hæreticorum baptiſmata probaverint, aut eis ſine Eccleſiæ baptiſmo communicaverint, quando talia de hæreticis Apoſtoli ſcripſerunt, & hoc cum nondum hæretica peſtes acriter prorupiſſent, necdum quoque Marcion de Ponto emerſiſſet, cujus magiſter Cerdon ſub Hygino tunc Epiſcopo, qui in Urbe nonus fuit, Romam venit, quem Marcion ſecutus additis ad crimen augmentis imprudentiùs cæteris & abruptiùs in Deum Patrem Creatorem blaſphemare inſtituit.*

Nec aliter Firmilianus. *Et quidem quantum ad id pertinet, quod Stephanus dixit, quaſi Apoſtoli eos qui ab hæreſi veniant baptizari prohibuerint, & hoc cuſtodiendum poſteris tradiderint, pleniſſimè vos reſpondiſtis, neminem tam ſtultum eſſe, qui hoc credat Apoſtolos tradidiſſe, quando etiam ipſas hæreſes conſtet execrabiles ac deteſtandas poſtea extitiſſe. Cum & Marcion Cerdonis diſcipulus inveniatur ſerò poſt Apoſtolos, & poſt longa ab eis tempora ſacrilegam adverſus Deum traditionem induxiſſe: Apelles quoque blaſphemiæ ejus conſentiens multa alia nova & graviora fidei ac veritati inimica addiderit. Sed & Valentini, & Baſilidis tempus manifeſtum eſt, quod & ipſi poſt Apoſtolos, & poſt longam ætatem adverſus Eccleſiam Dei ſceleratis mendaciis ſuis rebellaverint. Cæteros quoque hæreticos conſtat pravas ſuas ſectas, & inventiones perverſas, prout quiſque errore ductus eſt, poſtea induxiſſe: Quos omnes manifeſtum eſt à ſemetipſis damnatos eſſe, & ante diem judicii inexcuſabilem ſententiam adverſus ſemetipſos dixiſſe: Quorum baptiſma qui confirmat, quid aliud quam cum ipſis ſe adjudicat, & ſe ipſe participem talibus faciendo condemnat!*

Hæc ille, in quibus duo manifeſta ſunt; alterum

rum notari Stephanum tanquam baptiſmum hæreticorum, de quibus loquitur, approbantem; alterum quæſtionem cò deduci, utrum ſit credibile Apoſtolos hæreticorum diu poſt obitum ſuum exortorum, & nominatim Valentini, Apelletis, Cerdonis, ac Marcionis, approbaſſe, quod abſurdè & ſycophanticè diceretur, ſi iſtorum hæreticorum baptiſmum Stephanus non ſecus ac Firmilianus ipſe approbabat.

Dupliciter ergo Nat. Alexander fallitur, & dum Firmilianum à Cypriano diſſociat, quo cum optimè conſentire ſuperiora oſtendunt; & dum ab iſto malè perceptam Stephani mentem contendit. Quaſi verò Natalis, qui nihil Stephani præter unicam periodum legit poſt mille & quadringentos annos quid in quæſtione tunc temporis verſaretur ſcire meliùs poſſit quàm Cyprianus, tantus Eccleſiæ Doctor, cui tantum ingenii acumen, tam rara eruditionis ſupellex ſuppetebat, qui ipſam Stephani manum ob oculos habebat, & totius diſputationis molem humeris quaſi geſtabat. Credat ille, ſi libet, at ſolus ni fallor, credet.

III. Nunc quid ſequentium temporum Scriptores prodant videndum. Primus occurrit Euſebius, cujus hæc ſunt (e). *Ad hunc Stephanum Dionyſius primam ex illis epiſtolis de baptiſmate compoſitis ſcripſit, propterea quod erat id temporis non exigua quæſtio & controverſia concitata, utrum oporteret eos, qui ſe à quocunque hæreſis genere revocaſſent, lavacro baptiſmatis repurgare, cum ex conſuetudine ab antiquis ductâ temporibus in ejuſmodi hominibus in Eccleſiam recipiendis ſola preces cum manuum impoſitione adhiberi ſolerent.* Vides ut hæreſes non diſtinguat, ſed de quocunque earum genere diſputatum teſtetur.

(e) *Euſ. lib. 7. cap. 2.*

Duraſſe hanc in Eccleſiâ Romanâ conſuetudinem teſtis eſt locupletiſſimus S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, *Antequam Ariminenſis*

Synodus fieret, antequam Lucifer exularet, Hilarius Romanæ Eccleſiæ Diaconus ab hæreticis venientes in eo quod prius acceperant baptiſmate ſuſcipiebat. Diaconus eras, ô Hilari, & à Manichæis baptizatos recipiebas. Diaconus eras, & Ebionis baptiſma comprobabas. Repentè poſtquam exortus eſt Arius ſolus tibi diſplicere cæpiſti. Legat & ipſius Hilarii libellos, quos adverſus nos de hæreticis rebaptizandis edidit, & ibi reperiet ipſum Hilarium confiteri à Julio, Malcho, Sylveſtro, & cæteris Veteribus Epiſcopis ſimiliter in pœnitentiam omnes hæreticos ſuſceptos.

Auguſtinus (f). *Duo erant eminentiſſimarum Eccleſiarum Romanæ ſcilicet & Carthaginenſis Epiſcopi, Stephanus, & Cyprianus, ambo in unitate Catholicâ conſtituti, quorum Stephanus baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat. In nullo*, inquit. Audiendi igitur non ſunt qui in plurimis iterari voluiſſe baptiſmum dicunt. Extat apud Bzovium (g), atque alibi diſputatio quædam Jacobi Fornerii tunc Cardinalis, & aliquanto pòſt Pontificis Benedicti XII. Avenione cum Fratricellis habita, in qua objicientibus iſtis *quòd in his quæ pertinent ad fidem & mores quicquid eſt determinatum ſemel per ſummum Pontificem, non poteſt per alium revocari*, reſpondit Cardinalis *negando aſſertionem, & præſuppoſitam propoſitionem. Nam Stephanus Papa determinavit quòd nullus baptizatus per quoſcunque hæreticos veniens ad Eccleſiam Catholicam rebaptizaretur. S. autem Cyprianus cum multis Epiſcopis in Africâ celebrans Concilium determinavit oppoſitum, ſcilicet quòd baptizati à quibuſcunque hæreticis, ſi ad Eccleſiam Catholicam veniant, ſunt baptizandi, reprobans in hoc Stephanum Papam, ut patet in Cypriani epiſtolis ad Jubajanum, ad Stephanum, & Pompeium Concilium autem Nicænum utramque opinionem S. Stephani, & S. Cypriani correxit, determinans quòd bapti-*

(f) *Aug. de unico bapt. cap.* 14.

(g) *Bzov. ad ann.* 1335. *n.* 3.

baptizati ab hæreticis non ſervantibus formam Eccleſiæ venientes ad Eccleſiam baptizentur, ab aliis verò hæreticis baptizati non rebaptizentur; ut non ſit contra articulum baptiſmi, & unum baptiſma.

Ex dictis patet nullorum non hæreticorum baptiſmum à Stephano admiſſum, ejus proinde ſententiam poſteris improbatam, qui plerorumque hæreticorum baptiſmum repudiabant, & iterandum cenſebant. Nunc videndum quibus argumentis inducti multi aliam ſententiam Stephano adſcribant.

ARTICULUS VI.

Solvuntur argumenta Natalis Alexandri.

NAt. Alexander, qui operoſiùs cæteris hanc controverſiam tractat, octo argumenta profert, quibus oſtendat non omnium, ſed eorum duntaxat qui Trinitatem invocarent, hæreticorum baptiſmum à Stephano ſuſceptum. Ea nobis nunc expendenda.

Probatur, inquit, *primò ex epiſtolâ Firmiliani, ad S. Cyprianum, ex qua perſpicuum eſt Stephanum ſuppoſuiſſe ſemper baptiſmum verbis Evangelicis conferri debere, ut ratum eſſet. Illud quoque abſurdum, inquit Firmilianus, quòd non putant quærendum eſſe quis ſit ille qui baptizaverit, eo quòd qui baptizatus ſit gratiam conſequi potuerit invocatâ Trinitate, nominatim Patris, Filii, & Spiritûs S.*

Reſpondeo invocationem illam Trinitatis, de qua adverſarii Firmiliani, eam non eſſe quæ à baptizante hæretico conciperetur, ut abſque fundamento Natalis præſupponit, ſed alteram ab hac diſtinctam, & vel eam quæ in ſolemni baptizati ab hæreticis reconciliatione

ſub

ſub manu Epiſcopi poſtmodum fieret, vel eam quam ipſe baptizatus privatim funderet. Priori præcedentia magis favent, poſteriori ſequentia, neutra verò nobis officit.

Id ut pateat obſerva hanc fuiſſe eorum mentem, qui hæreticorum baptiſmum iterari nolebant, inutilem quidem eum eſſe, quamdiu qui ſuſceperat in hæreſi manebat, ſed tunc ejus fructum percipi, cum ad Eccleſiam rediens per impoſitionem manuum Epiſcopi Spiritum S. accipiebat. Sic auctor tractatûs de baptiſmo hæreticorum à Rigaltio primùm, tum ab aliis editi, quique eandem quam Stephanus ſententiam defendit, *Invocatio*, inquit (a), *nominis Jeſu ideo tantùm patrocinari poteſt, ſi ritè ſuppleta poſtea fuerit.* Et paulo pòſt; *Hæretici jam baptizati aquâ in nomine Jeſu Chriſti tantùm in Spiritu S. baptizandi ſunt.* Rurſus aliquanto pòſt. *Et uſque adeo omne illud hæreticorum baptiſma intercedente aliquo intervallo temporis corrigi poteſt, ſi quis ſupervixerit, & fidem correxit.*

(a) pag. 27. edit. Oxon.

Id ipſum eſt quod Firmilianus in præcedentibus confutat, ſic enim ait: *Quale eſt ut cum Paulum poſt Joannis baptiſma iterato diſcipulos ſuos baptizaſſe videamus, nos eos qui ab hæreſi ad Eccleſiam veniunt, poſt inlicitam & profanam eorum tinctionem baptizare dubitemus? Niſi ſi his Epiſcopis, de quibus nunc, minor fuit Paulus, ut hi quidem poſſint per ſolam manûs impoſitionem venientibus hæreticis dare Spiritum S. Paulus autem idoneus non fuerit, qui ab Joanne baptizatis Spiritum S. per manûs impoſitionem daret, niſi eos priùs etiam Eccleſiæ baptiſmo baptizaſſet.* Hæc ille, in quibus cum de impoſitione manuum reconciliatoria manifeſtè diſputet, abſurdum non eſt ſi de eadem in ſequentibus dixiſſe exiſtimetur.

Sed præſtat fortè iſta intelligere de eâ Trinitatis invocatione, quæ auctorem habeat, non baptizantem,

tem, ſed baptizatum. Eò reſpicere mihi videntur ea ipſa quæ nobis opponuntur. *Non putant*, inquit Firmilianus, *quærendum eſſe quis ſit ille qui baptizaverit, eo quòd qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit invocatâ Trinitate.* Ut baptizatus gratiam conſequitur, ſic invocaſſe Trinitatem exiſtimandus. Sed manifeſtiora ſunt quæ ſequuntur. *Deinde*, inquit, *hæc erit ſapientia quam ſcribit Paulus eſſe in his qui perfecti ſunt. At quis eſt in Eccleſiâ perfectus & ſapiens qui hoc, aut defendat, aut credat, quòd invocatio hæc nominum nuda ſufficiat ad remiſſionem peccatorum, & baptiſmi ſanctificationem? Cum hæc tunc utique proficiant, quando & qui baptizat habet Spiritum S. & baptiſma quoque ipſum non ſit ſine Spiritu conſtitutum. Sed dicunt eum qui quomodocunque foris baptizatur MENTE ET FIDE SUA baptiſmi gratiam conſequi poſſe; quod & ipſum ſine dubio ridiculum eſt, quaſi de cœlo adducere ad ſe poſſit, aut mens prava juſtorum ſanctificationem, aut fides falſa credentium veritatem. Non omnes autem qui nomen Chriſti invocant audiri, & invocationem ſuam conſequi aliquid gratiæ poſſe, Dominus ipſe manifeſtat, dicens &c.* Vide ut de eâ invocatione loquatur, per quam quiſque *mente & fide ſuâ* aliquid conſequatur.

Secundum argumentum ex Cypriano deſumitur, quod ſanè mirum, cum viderimus ſuprà contendere Natalem non fuiſſe benè perceptam à Cypriano, & quidem eadem illâ ad Pompeium epiſtolâ, Stephani mentem. Sed videamus quid ex illo proferatur. Hæc deſcribit Natalis. *Aut ſi effectum baptiſmi majeſtati nominis tribuunt, ut qui in nomine Chriſti ubicunque & quomodocunque baptizantur, innovati & ſanctificati judicentur, &c.* Quid hîc Natali, vel feratur, vel metatur ego certè non video, nec videt, ut puto, Lector quantumvis occulatus. *Cyprianus*, inquit ille, *teſtatur Stephanum baptiſmum*

mum hæreticorum ratum habuiſſe, ob vim & efficaciam verborum Evangelicorum, quibus confertur. Ego verò Cyprianum id quod ait Natalis teſtari nego. Loquitur, fateor, de majeſtate nominis Chriſti. De vi & efficacià verborum Evangelicorum non loquitur.

Tertii argumenti hæc eſt ſumma. Euſebius aſſerit Stephanum veterem conſuetudinem ſecutum. Sed qui veterem morem ſequitur non errat. Poſſem ego Euſebium hac in parte rejicere, quippe qui hoc ipſo loco graviſſimè lapſus ſit, dicens primum omnium Cyprianum cenſuiſſe hæreticos rebaptizandos, quod falſiſſimum eſſe nemo neſcit. Poſſem hoc argumentum ſic retorquere. Firmilianus affirmat ſe vetuſtum quoque morem ſequi. Sed qui veterem morem ſequitur, non errat. Par argumentum, & vel utrumque probum, vel quod verius, neutrum. Sed his miſſis Euſebius ait Stephanum veterem morem ſecutum. Fateor, & revera ſecutus eſt, ſaltem ex parte. Ergo non erravit. Nego ſequi, tum quia ex parte à veteri more receſſit, tum quia non conſtat quæ fuerit moris illius origo.

Pergit Natalis, & Concilium Arelatenſe quarto loco profert, quod cum Afros rebaptizantes hæreticos ſingulari canone percellat, Romanis minimè pepercisſet, ſi in contrario errore verſati eſſent. Sed quis non videt nihil neceſſe fuiſſe ut Romani nominatim pulſarentur; cum ſufficeret eorum errorem corrigi? Statuit enim Synodus ut ii ex hæreticis, qui rogati an crederent in Patrem, Filium, & Spiritum S. non reſponderent hanc Trinitatem baptizarentur. Multa autem prohibere potuerunt, ne Romani expreſſè notarentur. Potuit id dari majeſtati Urbis, ſplendori Eccleſiæ, aliis. Poterant Romani à nimiâ Stephani facilitate aliquantulum receſſiſſe. Ut ut ſit multo veriſimiliùs iſt-

hinc colligeretur ſolos rebaptizaſſe Afros, quandoquidem ſoli ut rebaptizantes notantur, quàm non baptizaſſe Romanos. Prius tamen illud falſum eſſe quæ ſuprà obſervavimus ſatis oſtendunt.

Quinti, ſexti, & ſeptimi argumentorum eadem eſt ratio. Auguſtinus, inquit Natalis, Stephani decreto vindicatam conſuetudinem ac traditionem paſſim aſſerit. Vincentius Lirinenſis hunc fuiſſe totius negotii exitum ait, ut retenta ſit antiquitas, exploſa novitas. Facundus Hermianenſis aſſerit Eccleſiam Stephani potiùs, quàm Cypriani ſententiam tenere. Vera hæc omnia, modò non tam ad tempora Cypriani, quàm ad illa, quibus tres iſti Scriptores vivebant, reſpiciatur. Cypriani ætate verior illius erat quàm Stephani ſententia, & plures illum quàm iſtum ſequebantur, eo quòd plures tunc eſſent hæretici qui perperam, quàm qui ritè baptizarent. Auguſtini contrà, Vincentii, & Facundi tempore Stephano magis quàm Cypriano Chriſtiani adhærebant, extinctis magnâ ex parte veteribus illis ſectis, quæ baptiſmi partim materiam, partim formam corruperant, & totum ferè terrarum orbem inundantibus Novatianis, Donatiſtis, Arianis, Semiarianis, Apollinariſtis, Pelagianis, Neſtorianis, Eutychianis, aliiſque non paucis, quos ad ſe redeuntes Eccleſia non baptizabat. Eo rerum ſtatu Stephani potiùs quàm Cypriani veſtigia Catholici premebant, & ille magis quàm iſte pro veritate ſtetiſſe videbatur. Quare nihil mirum ſi ſuperiorem illum, & traditionis vindicem Scriptores iſti dicunt.

Octavum argumentum nos non pulſat. Si Stephanus erravit, inquit Natalis, erravit tota Eccleſia. Eſto. Quid tum? An hoc tunc duntaxat contigit?

OB-

OBSERVATIO III.

Ne ipſius quidem Nicænæ I. Synodi decretis omnes olim acquieverunt.

ADſuiſſe Nicæno Concilio Sylveſtri Legatos conſtat. Præfuiſſe etiam Adverſarii contendunt. Conſenſiſſe omnibus in eo geſtis Sylveſtrum ipſum, & approbationem ſuam dediſſe, dubitari nolunt. Quare non eſt adverſus illos diſputandum ut obtineatur non potuiſſe Nicænis decretis repugnari ſalvâ manente Romani Præſulis auctoritate. Ultrò id agnoſcunt. Ac proinde quiſquis oſtendet non omnes Nicænæ Synodi definitionibus acquieviſſe, is eadem operâ oſtendet non fuiſſe exiſtimatum, ab omnibus ſaltem, Sylveſtrum errare neſcium.

Atqui prius illud probari multipliciter poteſt. Plurima enim ſunt, quæ licet Concilium iſtud ſanxerit, non pauci etiam inter eos qui Catholici reputabantur, non admiſerunt.

ARTICULUS I.

Concilii Nicæni decreta de baptiſmo atque ordinationibus hæreticorum, nec non de celebratione Paſchatis, multi abjecere.

PRimùm reſpuerunt non pauci hujus Synodi ſtatuta circa baptiſmum & ordinationes hæreticorum, & circa celebrationem Paſchatis. Malo rem totam Chriſtiani Lupi, quàm meis, verbis referre. *In*

(a) *Lup. in Concil. tom. 4. pag. 766.* *Canonicis*, inquit (a), *ad S. Amphilochium literis magnus Baſilius conſtanter perſiſtit in ſui anteceſſoris Firmiliani ſententiâ, foris accepti baptiſmatis exſufflationem docens etiam tunc fuiſſe rem adiaphoram, circa quam quiſque abundare poſſit in ſuo ſenſu, & ſua Eccleſiæ, aut regionis conſuetudinem manu tenere. Ita cenſet etiam de Novatianenſibus, quorum non ſolùm baptiſma, ſed etiam ordinationes honoravit, & ſuſcipi juſſit octavus canon Nicænus....... Nicænum de Paſchalis feſtivitatis die decretum à multis per Orientalem Diœceſim Eccleſiis ac Monaſteriis dudum fuiſſe ex eodem fundamento non admiſſum ſcribunt S. Joannes Chryſoſtomus ac Theodoretus. Etiam illa traditum ſibi ab Apoſtolis morem credebant à generali Synodo, aut non poſſe, aut certè non debere damnari. Etiam tertium decimum, qui cunctis in quævis crimina lapſis extremum Sacramentalis reconciliationis viaticum deinceps donari mandat in exitu canonem quadam dudum Eccleſiæ non admiſerunt.*

Hæc ille, quibus addendum diu poſt Nicænam Synodum Quartodecimanos fuiſſe Pictos ac Scotos, nec eâ de cauſâ reliquarum Eccleſiarum communionem amiſiſſe, ut multis oſtendit Natalis Alexander ſec. II. diſſert. V. art. ult.

En tibi igitur Patres, en tibi Eccleſias Conciliorum omnium celeberrimi decerta non ſuſcipientes, & recta illa non eſſe, quin potiùs cum Apoſtolicâ traditione pugnantia, exiſtimantes. An ergo illud, an ejus approbatorem Sylveſtrum errare neſcium putarunt?

Sperat quidem elabi ſe poſſe Lupus aiendo Patres iſtos atque Eccleſias non exiſtimaſſe hæc decreta pertinuiſſe ad dogmata fidei, in quibus ſolis Conciliorum ſe infallibilitas prodit, ſed fuiſſe de rebus ad regimen & diſciplinam Eccleſiæ ſpectantibus, quæ

abſ-

abſque ullo infallibilitatis diſpendio mutari in dies poſſe omnes conſentiunt.

Sed hunc iis ſenſum tribuendo ſtupidiſſimos illos, ac ridiculos facit, quippe qui ipſam Sacramentorum validitatem rem eſſe diſciplinæ exiſtimarint. Quærebatur num baptiſmus ab hæreticis collatus ratus eſſet, ſuumque effectum ſortiretur, ita ut eandem gratiam ſupernaturalem, quam Orthodoxorum baptiſma dabat, ille quoque communicaret. Quærebatur rurſus utrum hæreticorum ordinationes valerent, an repeti deberent. Quis quantumvis bardus, atque obeſæ naris, exiſtimare poſſet iſtud ad diſciplinam pertinere? De Paſchate dixi jam ſuprà.

ARTICULUS II.

Ipſum Nicænæ Synodi de fide decretum, ipſum ὁμοούσιον, multi non admiſerunt.

SEd en tibi aliquid gravius, quodque ad fidem pertinere nunquam Adverſarii negabunt. Definitum à Nicænâ Synodo Filii τὸ ὁμοούσιον quis ignorat? Multi tamen conſtantiſſimè id abjecere, & dicendum duntaxat ὁμοιούσιον arbitrabantur. Sic Semiariani omnes, quorum principes juxta Natalem Alexandrum fuerunt Baſilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, Sylvanus Tarſenſis, Sophronius Pompeiopolitanus, Eleuſius Cyzicenus, Macedonius Conſtantinopolitanus, Marcus Arethuſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Euſebius Samoſatenus, & Meletius Antiochenus.

Horum plerique eò uſque progreſſi ſunt, ut in Synodo Ancyranâ, ex diverſis provinciis coactâ,

 anathe-

anathema pronunciaverint adverſus eos qui Filium eſſe Patri ὁμοούσιον dicerent. Refert Synodalem Epiſtolam Epiphanius, multis anathematiſmis ſtipatam, quorum extremus hic eſt. *Si quis Patrem, poteſtate ſimul & ſubſtantiâ Filii Patrem aſſerens, conſubſtantialem* ὁμοούσιον, *vel ejuſdem cum Patre ſubſtantia Filium eſſe dicat, anathema ſit.* Hær. 73. pag. 858. 859.

Ne quis autem hac in re Epiphanio fidem deroget, ſuccedat alter teſtis, & quidem locupletiſſimus, Baſilius Magnus, cujus hæc ſunt epiſt. 74. *Mox verò ubi fortuitò adeptus* (Euſtathius Sebaſtenus) *eſſet Epiſcopatum, anathematiſmum contra homoouſion in Synodo Ancyræ habitâ ſcripſiſſe deprehenditur.*

Atqui non obſtante hoc auſo, quod intolerandum certè fuit, ſi ſuprema fidei norma Nicæna Synodus erat, Catholici iſti reputabantur, non hæretici. Probat id Natalis Alexander (a), prolatis diſertiſſimis Athanaſii, Hilarii, Theodoreti, & Sozomeni teſtimoniis, quæ apud ipſum videre quivis poteſt. Ego duo ex Athanaſio deſcribam.

(a) *Nat. ſec.* 4. *diſſ.* 15.

Sic igitur ille libro de Synodis. *Adverſus eos qui ex omni parte Synodum conviciis carpunt iſta pauca ad refutationem ſuffecerint. Adverſus autem eos qui omnia Synodi ſcripta recipiunt, de ſolo autem conſubſtantiali ambigunt, non ut adverſus inimicos affici nos decet. Neque enim veluti adverſus Ariomanitas, aut quaſi bellum geſturi Patribus contradicimus, ſed veluti fratres cum fratribus diſceptamus, ut cum quibus nobis eadem ſit ſententia, controverſia autem de verbis. Nam cum profiteantur Filium ex Patris ſubſtantiâ, & non ex aliâ ſubſiſtentiâ eſſe, nec creaturam eum, nec opus exiſtere, ſed genuinum & naturalem Patris fœtum, & æternaliter cum Patre eſſe, cum ejus & ratio, & ſapientia ſit, non longè abſunt à recipiendo conſubſtantiali. Talis eſt Baſilius ex Ancyrâ &c.*

Idem

Idem aliquanto pòſt. *Cæterùm quia affirmant Epiſcopos qui Samoſatenſem condemnarunt dixiſſe Filium non eſſe Patri conſubſtantialem, ac jam deinde ipſos ob reverentiam honoremque eorum qui ita locuti ſunt ab hac voce abhorrere, rectum fuerit reverenter cum iis de eâ re diſceptationes facere, nam arietare cum illis prorſus indecorum eſt, quia omnes Patres ſunt. Rurſus dijudicare iſtos benè, illos malè dixiſſe nequaquam ſanctum eſt. Omnes enim in Chriſto dormierunt. Quapropter neque contentioſius agendum eſt, neque numerus eorum qui congregati fuere in comparationem mittendus, ne videantur trecenti illi Nicæenſes eos qui pauciores ſunt perſtringere, neque tempora metienda ſunt, ne priores videantur poſteriores exautorare. Omnes enim iſti (quemadmodum dixi) Patres ſunt. Sed tamen neque iſti quaſi novum aliquid ſapientes id in ſcripta retulerunt, neque ſui fiduciâ voces in Scripturâ non ſolemnes defendunt, ſed à Patribus incitati eorum vocabulis uti voluerunt.*

Hæc ille. Jam ſi quis nimiam hanc tolerantiam fuiſſe dicat, nec aſſentiar, nec repugnabo. Non enim hac in parte inquiro rectene an ſecus Veteres illi cenſuerint. Hoc unum dico, eo ipſo quod ita cenſuerunt ſatis patere non eodem apud illos loco atque ordine habita fuiſſe Conciliorum à Romano Præſule confirmatorum decreta, quo nunc apud Adverſarios habentur. Id ſi detur de reliquo nolim contendere.

AR-

ARTICULUS III.

Convocata fuit Sardicenſis Synodus ad hoc ut Nicænum de fide judicium novo examini ſubjiceret.

EST adhuc aliud circa Nicænam Synodum obſervatione digniſſimum. Ferventibus circa illius decreta diſſenſionibus Sardicenſe Concilium indixerunt Impp. Conſtans & Conſtantius, idque eo animo, ut quid eſſet ſentiendum inquireretur, & poſtmodum definiretur, quo ipſo præſupponebant certum non eſſe utrum Nicænæ definitioni ſtandum eſſet.

Id verò tantùm abeſt ut Sardicenſes improbarint, ut contra laudaverint. Sic enim in Synodicâ ſuâ ad Julium Romanum epiſtolâ, quam exhibent Hilariana fragmenta à Nicolao Fabro edita, & ex iis Baronius ad annum 347. n. 24. *Tria fuerunt quæ tractanda erant. Nam & ipſi religioſiſſimi Imperatores permiſerunt ut de integro univerſa diſcuſſa diſputarentur, & ante omnia de ſanctâ fide, & de integritate veritatis, quam violaverunt. Secunda de perſonis &c.*

Huc proculdubio reſpiciebat Andreas Rhodiorum Metropolita, dum in Florentinâ Synodo ſeſſ. 7. dicebat; *Synodus Sardicenſis ſancivit rectam & ſanam eſſe à trecentis decem & octo Patribus Nicenis editam fidem, atque ab omni Chriſtiano ſuſcipiendam.* Iſtud verò non ſuperfluum duntaxat, ſed ridiculum inſuper erat, ſi generalis Synodi à Romano Pontifice approbatæ, & confirmatæ decretis, falſum nunquam ſubeſſe in confeſſo apud Chriſtianos erat.

OBSER-

OBSERVATIO IV.

Quæ Veteres de Liberii lapſu dixerunt, clarè oſtendunt non dubitaſſe illos quin errare Pontifex poſſit

ARTICULUS I.

Exhibentur quæ de Liberii lapſu Veteres dicunt.

NEmo neſcit Liberium, qui diu pro veritate *Sec.* 2. fortiſſimè ſteterat, tandem ærumnis fractum, vel ut mavult Baronius, occupatæ à Felice ſedis deſiderio tabeſcentem, tandem in Arianæ hæreſeos ſubſcriptionem conſenſiſſe. Hunc ejus lapſum ego iſthac in parte non urgeo, quippe qui non quæro utrum Pontifex errare revera queat, ſed utrum poſſe Veteres exiſtimarint. Hoc unum contendo, Veteres, dum de iſto caſu verba fecerunt, palàm oſtendiſſe non dubitare ſe quin Liberius ipſi hæreſi ſuffragatus ſit. Manifeſtum id faciunt diſertiſſima plurimorum teſtimonia.

Agmen ducet unus ex Liberii Presbyteris, qui ſi hodie viveret Cardinalis diceretur, Oroſius nomine, qui Collegæ ſui Euſebii Martyris corpus ſepulturæ mandavit, ejuſque paſſionem ſcripſit, quam valde corruptam Mombritius ediderat, ſed longè integriorem ex quatuor manu ſcriptis codicibus Baluzius dedit Miſcell. lib. 2. Illam ego, quoniam brevis eſt, & multa continet obſervatione digniſſima, totam deſcribam. Sic ergo habet.

Eodem tempore quo Liberius de exilio revocatus fuerat à Conſtantio A. hæretico, in eodem tantùm dog-

dogmate ut non rebaptizarent populum, ſed unâ communione contaminarent plebem, Euſebius Presbyter urbis Romæ cœpit declarare Liberium hæreticum, & amicum Conſtantii. Cumque multi ſanctâ confeſſione, & Catholicâ fide vitarent communionem Liberii per Euſebii Presbyteri doctrinam occupantur Eccleſiæ a Liberio, ejicitur Felix de Epiſcopatu, ſubrogatur Liberius, tenetur Euſebius Presbyter, & quòd in domo ſuâ, quam ipſe conſtruxerat populum congregaret, & quia confortaret plebem ſanctam. Tunc Conſtantius Imperator aggreditur cum Liberio Euſebium Presbyterum, dicens; Tu ſolus Chriſtianus es in urbe Româ? *Euſebius Presbyter reſpondit*, Sic confidimus in Domino, quia fideles nos inveniet Chriſtus, ſicut & baptizati ſumus, & benedictionem quam à B. Julio ſuſcepimus, tenemus. *Liberius dixit*: Nos cujus fungimur vice? Nonne Julii anteceſſoris noſtri? *Euſebius Presbyter dixit*: Si perſeveraſſes in fide, quam in perſecutione primò tenere viſus fueras. *Liberius dixit*, Præſente Auguſto tam contumacem me exiſtimas? *Euſebius dixit*: Res ipſa te docet & declarat. *Imperator Conſtantius dixit*. Et quid eſt inter fidem & fidem: *Euſebius Presbyter reſpondit*: Quantum ad nos peccatores, integrè tenentes ſumus. Quantum ad vos inſania Diaboli, & invidia ſuperſtitionis veſtræ, ut Felicem Epiſcopum, quem vos non tacuiſtis Catholicum, & Domimum Jeſum Chriſtum invocantem, purum Sacerdotem ab omnibus declaratum, in damnationis cauſam exilio direxiſtis, qui tamen in prædiolo ſuo orationibus vacat. Et quidem juſſu tuo Chriſtianis occiſionem & necem præcepiſti inferri, maximè Clericis, & Presbyteris, & Diaconibus. *Tunc iratus Conſtantius ſubrogatu Liberii includit Euſebium Presbyterum in quodam cubiculo domûs ſuæ, quod humile erat in latitudine pedibus quatuor, & ibi multis menſibus in*

oratio-

oratione conſtanter perſeverans, incluſus tamen, poſt menſes ſeptem dormitionem accepit XIX. Kal. ſept. cujus corpus collegerunt Gregorius & Oroſius Presbyteri parentes ejus, & ſepelierunt in cryptâ juxta corpus B. Sixti Martyris & Epiſcopi viâ Appiâ in cimiterio Caliſti, ubi & titulum ejus ſcribentes poſuerunt pro commemoratione ejus, Euſebio homini Dei. *Eodem tempore auditum à Conſtantio Imp. eo quod Gregorius, & Oroſius Presbyteri collegerunt corpus Euſebii Presbyteri, & in eadem cryptâ vivum præcepit includi Gregorium. Tunc Oroſius Presbyter collegit ſemivivum B. Gregorium noctu occultè propter Conſtantium A. & emiſſo Spiritu ſepelivit eum juxta corpus S. Euſebii Presbyteri. Qui etiam Oroſius hæc geſta conſcripſit. Ab eodem die intra Eccleſias juſſu Conſtantii Imp. quiſquis inventus fuiſſet non ſic confiteri, vel participari ſicut Liberius, indiſcuſſus gladio puniretur. Quapropter in plateis, & in vicis, & in Eccleſiis, ſive in balneis gladio trucidabantur, perſequente Conſtantino Chriſtianos unà cum Liberio. Mortuo autem Liberio levatur Damaſus, qui voce publicâ damnavit Liberium factâ Synodo cum Epiſcopis XXVIII. & Presbyteris XXV. & ceſſavit perſecutio, non tamen multum tempus, donante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.*

In his multa obſervanda. I. Declaratum ab Euſebio Martyre Liberium hæreticum. II. Multos Catholicâ fide vitaſſe communionem Liberii. III. Animatam ab Euſebio plebem ne cum Liberio communicaret. IV. Negaſſe Euſebium perſeveratum à Liberio in fide. V. Punitos gladio quotquot nollent idem quod Liberius confiteri. VI. Damnatum à Damaſo, ejuſque Synodo Liberium, quæ omnia in rem noſtram diſertiſſima ſunt.

Conſentit illis quæ ex Oroſio deſcripſi Vetus Breviarium Romanum in feſto S. Euſebii Confeſſo-

ris,

ris. *B. Euſebius Presbyter, cum præſente Conſtantino* (legendum Conſtantio, quæ duo nomina ſæpiſſimè confunduntur) *fidem Catholicam conſtantiſſimè defenſaret, & Liberium Papam doleret Ariana perfidia conſenſiſſe, ab irato Conſtantino Imp. Ariano includitur in quodam cubiculo domûs ſuæ &c.*

Hilarius in fragmentis. *Anathema tibi à me dictum, Liberi, & ſociis tuis. Iterum tibi anathema, & tertiò prævaricator Liberi.* Et alio eorundem fragmentorum loco. *Perfidiam apud Sirmium conſcriptam, quam dicit Liberius Catholicam à Demophilo ſibi expoſitam, hi ſunt qui conſcripſerunt.* Et libro ad Conſtantium A. *Vertiſti uſque ad Romam bellum tuum; eripuiſti illinc Epiſcopum, & ô te miſerum! qui neſcio utrum majori impietate relegaveris, quàm remiſeris.*

Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, in Fortunatiano. *Fortunatianus natione Afer..... in hoc habetur deteſtabilis, quòd Liberium Romanæ urbis Epiſcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus ſollicitavit, ac fregit, ad ſubſcriptionem hæreſeos impulit.* Et in Chronico: *Liberio in exilium ob fidem truſo omnes Clerici juraverunt, ut nullum alium ſuſciperent. Verùm cum Felix ab Arianis fuiſſet in Sacerdotium ſubſtitutus, plurimi perjuraverunt, & poſt annum cum Felice ejecti ſunt, quia Liberius tædio victus exilii, & in hæretica pravitate ſubſcribens Romam quaſi victor intraverat.*

(a) Phil. lib. 4. cap. 3.

Photius ex Philoſtorgio in excerptis (a). *Tunc etiam eundem Liberium, & unà cum eo Oſium Epiſcopum, contra conſubſtantialis vocabulum, & contra Athanaſium ſubſcripſiſſe ait Philoſtorgius, cum Synodus quadam illic collecta eſſet, & ſupra memoratos in ſententiam ſuam pertraxiſſet.*

(b) Soz. lib. 4. cap. 15.

Sozomenus (b). *Haud multo pòſt Imperator ab urbe Romà Sirmium reverſus cum occidentales Epi-*

ſcopi

ſcopi legationem ad eum miſiſſent, Liberium Beroea ad ſe accerſivit. Cumque adeſſent Legati Epiſcoporum Orientis, convocatis Sacerdotibus qui in comitatu erant Liberium ἐβιάζετο ὁμολογεῖν μὴ εἶναι τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ὁμοούσιον, *Coegit Filium Patri non eſſe conſubſtantialem profiteri.* Sic enim illud ἐβιάζετο reddendum, non ut Valeſius, *cœpit compellere*, quæ diluta eſt interpretatio, nec Græcæ voci ſatis reſpondet. [c] *Aux. de ordin. lib. 1. cap. 25.*

Auxilius (c). *Quis neſcit quòd Liberius, heu proh dolor! Arianæ hæreſi ſubſcripſerit, & per ejus tranſgreſſionem nefandiſſima ſcelera ſunt commiſſa?* (d) *Idem lib. 2. cap. 1.* Et alibi (d). *Qui* (Liberius) *Arianæ hæreſi ſubſcripſit.* (e) *Pet. Dam. epiſt. 16.*

Petrus Damiani (e). *Porrò Liberius perfidiæ deceptus errore Arianæ hæreſi ſubſcripſiſſe dignoſcitur, ac per ejus tranſgreſſionem nefandiſſima ſcelera ſunt commiſſa. Multi quoque Sacerdotes & Clerici per ejus malitiam ſunt perempti, reſervati verò Catholici non ſolùm ab Eccleſiis, ſed etiam à locis ſunt prohibiti. Liberius itaque factus Apoſtata ſex annorum ſpatia ſupervixit.*

Hermannus Contractus ad ann. D. 345. *Romæ Liberius XXXIV. Papa ordinatur, quo ab Arianis ejecto, Felix locum ejus occupat annum unum. Sed Liberius hæreſi ſubſcribens rediit, & Felix ejicitur.*

Marianus Scotus ad ann. D. 355. *Liberius tædio victus exilii, & in hæreticam pravitatem ſubſcribens Romam quaſi victor intraverat.*

Florentius Vigornienſis ad ann. 349. *Tandem Liberius tædio victus exilii in hæreticâ pravitate ſubſcribens Romam quaſi victor intravit.*

Altiſſiodorenſis Monachus à Camuzato editus fol. 50. *Indignatus Conſtantius Felicem depoſuit, & Liberium revocavit, qui deinceps tædio victus exilii in hæreticâ pravitate ſubſcripſit. Facta eſt proinde perſecutio in Clero & populo, ita ut intra Eccleſiam Presbyteri*

byteri & Clerici tum ab Arianis, non prohibente Liberio, ſint necati.

Abbas Urſpergenſis ad ann. 355. *Liberius verò exilii tædio victus hæreſi ſubſcripſit, Romamque quaſi victor intravit.*

Matthæus Veſtmonaſterienſis. *Anno gratiæ* 360. *Conſtantius Imperator Liberium Romanæ ſedis Epiſcopum ad perſecutionem Arianorum expulit in exilium, quò pergentem Fortunatius Aquileienſis Epiſcopus primus ſollicitavit & fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſeos intruſit.*

ARTICULUS II.

Præcluduntur duo effugia quibus deſcripta præcedenti articulo teſtimonia eludere Adverſarii conantur.

DIſerta ea omnia, nec eludi ullâ ratione poſſunt. Cavillantur Adverſarii, fateor. Negant confeſſionem illam, cui Liberius ſubſcripſit, hæreticam fuiſſe, eaque ſolùm de cauſâ dici hæreſi conſenſiſſe contendunt, quòd & cum Arianis communicaverit, & Athanaſium, fortiſſimum veritatis defenſorem damnaverit.

Sed vana & ludicra ea eſſe quivis videt. De tribus diverſiſſimis criminibus Liberium Veteres accuſant, de communione cum Arianis initâ, de damnatione Athanaſii, & de approbatione hæreſi datâ. Secernenda illa ſunt, non confundenda. Quid v. g. apertius illis quæ habet Philoſtorgius, Liberium contra conſubſtantialis vocabulum, & contra Athanaſium, ſubſcripſiſſe? Duo ergo ſimul damnavit, τὸ ὁμοούσιον, & Athanaſium, nec unum in alterò comprehenditur.

Ad

Ad hæc quod Philoſtorgius & Sozomenus aſſerunt negatum ab illo τὸ ὁμοούσιον, effugia omnia præcludit. Non enim in genere tantùm teſtantur patrocinatum illum hæreſi fuiſſe, ſed qua ratione illi faverit ſpeciatim indicant, τὸ ſcilicet ὁμοούσιον negando.

Denique aperta ſunt Hilarii verba. *Perfidiam apud Sirmium conſcriptam, quam dicit Liberius Catholicam, hi ſunt qui conſcripſerunt.* Ergo juxta Hilarium mera perfidia fuit, quæ Catholica confeſſio Liberio dicebatur. Ergo meræ perfidiæ, meræ hæreſi, Hilario teſte, Liberius acquievit. Perſpicua iſta, nec neceſſe admodum eſſet quænam ea confeſſio fuerit operoſè inquirere: Inquiremus tamen articulo ſequente.

Nec eſt quod Adverſarii elabi ſe poſſe ſperent dicendo exiſtimaſſe quidem Veteres Liberium erraſſe, ſed ut privatum, non ut Pontificem, eo quòd nihil ille definierit, ſed oblatæ duntaxat formulæ ſubſcripſerit. Non eſt iſtud effugium reliquis tutius.

Primùm enim perinde eſt definire, & definitis acquieſcere Symbolum illud, cui Liberius ſubſcripſit, Concilium aliquod ediderat, ut oſtendit Valeſius (a), & Philoſtorgius ac Sozomenus apertè innuunt. *Cum Synodus quadam illic collecta eſſet,* inquit ille. Iſte verò adfuiſſe aſſerit & Occidentalium, & Orientalium Epiſcoporum Legatos, & convocatos inſuper Sacerdotes qui in Comitatu erant. Quid quod Hilarius eorum nomina ſervavit. Erat ergo definitio quædam, non ſecus ac Symbolum Nicænum, vel Conſtantinopolitanum. Jam ſi definitis accedat Romani Pontificis conſenſus, nihil illis deeſſe exiſtimatur. Sanè non aliis quàm hiſce verbis Nicænam Synodum confirmatam à Sylveſtro fuiſſe Adverſarii dicunt: *Quæ in veſtrum,*

(a) *Val. in Soz. lib. 4. cap. 15.*

noſtrum-

noſtrumve manavere myſterium, meum chirographum offero in veſtro ſancto Concilio quicquid conſtituiſtis unà parem dare conſenſum. Sic ſimilem confirmationem non aliter petiiſſe putatur Conſtantinopolotana. I. quàm dicendo, *His omnibus tanquam legitimè ſecundum Eccleſiæ canones conſtitutis, obſecramus veſtram ſanctitatem ut conſentiat.*

Quid quod omnes à Pontificibus editæ fidei profeſſiones totidem definitiones cenſendæ ſunt. Tunc enim definire Concilia & Pontifices dicuntur, cum id quod docent ad fidem pertinere ſignificant. Cum ergo Symbolum quoddam, profeſſioque fidei fuerit, id cui Liberius ſubſcripſit, quicquid eo continebatur definiviſſe negandus non eſt.

Nihil ergo deerat, ſolâ exceptâ veritate. Si quid tamen defuiſſet, suppleviſſet abundè id quod Liberius ad Orientales ſcribebat: *Quicunque à pace & concordiâ noſtrâ, quæ per orbem terrarum volente Deo firmata eſt, diſſenſerit, ſciat ſe ſeparatum à noſtrâ communione.* Nihil ſanè expreſſius dici potuit.

Denique audivimus ſuprà Oroſium teſtantem coactos Romanos fuiſſe ſic ut Liberium confiteri, intentatâ in repugnantes capitis pœnâ. Quomodo ergo negari Liberius poteſt definiiſſe? An obligare arctiùs potuit quàm cogendo? vel cogere efficaciùs quàm necando?

Prætermittendum non eſt id quod Sozomenus narrat, dimiſſum Sirmio Liberium hac lege, ut Eccleſiam ſimul cum Felice adminiſtraret. *Scripſerunt*, inquit (b), *etiam Epiſcopi, qui Sirmium convenerant, ad Felicem, qui tum Romanæ Eccleſiæ præſidebat, & ad Clerum ejuſdem civitatis, ut Liberium ſuſciperent, utque ambo Apoſtolicam ſedem gubernarent, & ſimul Sacerdotio fungerentur, abſque ullâ diſſenſione.*

(b) Soz. lib. 4. cap. 15.

Non

Non quæro utrum rectè & canonicè ſtatuerint, ſed hoc duntaxat rogo, num qui ita ſtatuerunt dici poſſint exiſtimaſſe annexam Pontificatui infallibilitatem fuiſſe. An illam quoque, non ſecus ac Sacerdotium, partiri inter duos poterant? An rem tam abſurdam credi poſſunt in animum induxiſſe? Inſanierunt proculdubio ſi hujuſmodi cogitationes aluerunt. Quare cum utrumque infallibilem fore non putarent, utrumque errori obnoxium exiſtimaſſe cenſendi ſunt.

ARTICULUS III.

Quænam fuerit ea formula, cui Liberius ſubſcripſit.

Sufficere ad vindicandum argumentum noſtrum iſta poterant, quandoquidem non quæritur nunc utrum Liberius erraverit, ſed utrum erraſſe Veteribus viſus ſit. Parum igitur refert ſcire quænam ea fuerit formula cui ſubſcribere coactus eſt. Nihilominus quoniam variæ ſunt hac de re eruditorum ſententiæ, nec ſatis, meâ quidem ſententiâ elucidata quæſtio iſta hactenus fuit, liceat nobis cum bonâ Lectoris veniâ hunc illi articulum dare.

Certum eſt, & à multis jam obſervatum, Liberium bis ſubſcripſiſſe, ſemel Berœæ, ubi exulabat, iterum Sirmii, quò fuit ab Imperatore vocatus. Prioris ſubſcriptionis auctor illi Demophilus fuit, poſterioris Conſtantius ipſe. Priorem ipſe nobis aperit, ſic enim ait (a). *Ego Athanaſium non defendi, ſed quia ſuſceperat illum bonæ memoriæ Julius deceſſor meus, verebar ne ab aliquo fortè prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit,*

(a) *Lib. epiſt. 7. ad Orient.*

cuit, juſtè vos illum condemnaſſe, mox conſenſum meum commodavi ſententiis veſtris, literaſque ſuper nomine ejus per fratrem noſtrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem noſtrum Conſtantium. Itaque amoto Athanaſio à communione omnium, cujus nec epiſtolia à me ſuſcipienda ſunt, dico me cum omnibus vobis, & cum univerſis Epiſcopis Orientalibus, ſeu per diverſas provincias, pacem & unanimitatem habere. Nam ut veriùs ſciatis me verâ fide per hanc epiſtolam ea loqui, Dominus meus & frater communis Demophilus, qui dignatus eſt pro ſuâ benevolentiâ fidem veſtram, & Catholicam exponere quæ Sirmium à pluribus fratribus & Coepiſcopis noſtris tractata, expoſita, & ſuſcepta eſt ab omnibus, qui in præſenti fuerunt, hanc ego libenti animo ſuſcepi, in nullo contradixi, conſenſum accommodavi, hanc ſequor, hæc à me tenetur. Sanè petendum credidi ſanctitatem veſtram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis conſentaneum eſſe, dignemini communi concilio ac ſtudio laborare, quatenus de exilio dimittar, & ad ſedem, quæ mihi divinitus credita eſt, revertar. Adhuc igitur exulabat, & redeundi licentiam nondum impetraverat, imò ad eam impetrandam Arianorum interceſſionem implorabat, cum tamen ſuſceptam à ſe fuiſſe ablatam à Demophilo fidem profitebatur. De poſteriori ſubſcriptione latè S. Sozomenus, ut poſtmodum viſuri ſumus.

Quale fuerit Symbolum illud, cui jam Berœæ ſubſcripſit, non ſatis conſtat. Sirmienſe quidem fuiſſe, & in iis quæ jam deſcripſi Liberius, & in fragmentis Hilarius, produnt. Sed tres habentur conſcriptæ ab Arianis in eâ civitate fidei formulæ. Prima ea eſt quam Patres Concilii adverſus Photinum congregati anno 351. ediderunt, quamque Hilarius ut orthodoxam defendit. Secunda ea eſt cui Oſius anno 357. ſubſcripſit, quamque idem ille Hilarius Oſii & Potamii blaſphemiam vocat. Hæc & τὸ ὁμο-

ὐσιον,

ὐσιον, & τὸ ὁμοιούσιον ex æquo tollit, & Patrem Filio majorem apertè profitetur. Tertia eſt quam anno 359. Marcus Arethuſius conſarcinavit, quæque Ariminenſi Concilio exhibita eſt.

Tertiæ iſti ſubſcribere non potuit Liberius, utpote nondum confectæ. Jam enim anno 357. ille ceciderat. Sed pro primâ militat Baronius, illumque ſecuta recentiorum ingens turba, ſperans hac ratione purgari Liberium poſſe, quippe qui nonniſi formulæ ab Hilario defenſæ & approbatæ ſubſcripſerit.

Sed iſti dupliciter falluntur. Primùm eo quòd quicquid Hilarius dicat, ne hæc quidem Sirmienſis formula ſatis pura ſit, ſed apertiſſima præ ſe ferat Arianæ labis indicia. Quomodo enim defendi tres iſti anathematiſmi poſſunt? *Si quis Chriſtum Deum, Deique Filium ante ſecula eſſe dicens, eundem non confiteatur in creatione omnium rerum Patri miniſtraſſe, anathema ſit. Si quis audiens Dominum Patrem, & Dominum Filium, aut Dominum Patrem & Filium, aut Dominus ex Domino dicens, duos dixerit Deos, anathema ſit. Non enim Filium exæquamus Patri, ſed ſubjectum illi eſſe intelligimus. Si quis Filium non volente Patre genitum eſſe dicat, anathema ſit. Non enim coactus Pater, vel neceſſitate ductus, cum nollet genuit Filium, ſed ſimul ac voluit ſine tempore & ſine paſſione ex ſe genitum illum oſtendit.* Scio hæc ab Hilario incruſtari, & quidem bono animo. Sed an ſatis feliciter Lectorum eſto judicium. Ut ut ſit longè aliter magnus Athanaſius cenſuit, quemadmodum Ant. Pagi atque alii obſervarunt.

Non ergo ſatis meâ ſententiâ Liberius purgaretur, etſi iſti duntaxat formulæ ſubſcripſiſſe comperiretur. Sed non ſubſcripſit. Patet hoc eo quòd Hilarius, qui primam illam Sirmienſem formulam probat, & nihil habere non orthodoxum dicit, eam

cui Liberius ſubſcripſit meram perfidiam vocet. *Perfidiam*, inquit (b), *apud Sirmium deſcriptam, quam dicit Liberius Catholicam à Demophilo ſibi expoſitam, hi ſunt qui conſcripſerunt*. Quæ verò fragmentis iſtis quidam opponunt, tam feliciter diluit Blondellus (c) noſter, ut nihil cum aliqua veri ſpecie reponi queat. Porrò Baronio erroris occaſio fuere Socrates & Sozomenus, qui tres, vel ad minimum duos, Epiſcoporum conventus Sirmii celebratos in unum confudere, unde ingens Annaliſtæ errorum cumulus. Sed eos diluerunt non pauci, nominatim Petavius, Larroquanus, Hermantius, Pagius.

(b) *Hil. in fragm.*

(c) *Blond. de la prim. pag. 478.*

Non fuit ergo primum Sirmienſe Symbolum id cui Liberius nomen ſuum appoſuit. Secundum eſſe putarunt ex Adverſarii Nic. Faber (d), & ex noſtris Blondellus ac Larroquanus. Sed quominus ita putemus duo obſtant. Alterum quòd ſecundam illam Sirmienſem formulam Hilarius ſemper Oſio & Potamio tribuat, illam verò cui Liberius ſubſcripſit, duobus & viginti Epiſcopis, inter quos nec Oſius, nec Potamius recenſentur. Alterum quod videatur iſta formula Anomœorum hæreſim continere, cui tamen non parum infenſi erant Baſilius Ancyranus, Sylvanus, & Macedonius, Semiariani, quibus illam Hilarius tribuit, cui Liberius calculum appoſuit ſuum. Quænam ergo fuerit non ſatis liquet, imò periiſſe illam vero ſimilius mihi videtur. Sed ut ut ſit hæreticam fuiſſe Hilarius prodit, qui vidit, quique de nimiâ ſeveritate nunquam accuſabitur ab iis qui quantâ cum benignitate etiam hæreticis Symbolis orthodoxum ſenſum aptare ſtuduerit, perſpectum habent.

(d) *Fab. praef. ad fragm. Hil.*

De illâ quoque formulâ, cui præſente Conſtantio Liberius ſubſcripſit, ambigitur. Nemo illam ex Veteribus repræſentat. Sozomenus tantùm admonet (e), fuiſſe ex anterioribus conſarcinatam.

(e) *Soz.*

Inſta-

Inſtabant, inquit, *& Imperatorem ad hoc impelle-bant, Baſilius, Euſtathius, & Eleuſius, qui præcipua apud ipſum auctoritate pollebant. Qui cum ea quæ contra Paulum Samoſatenſem, & contra Photinum Epiſcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochenſis Baſilicæ editam in unum tunc librum conjeciſſent, perinde quaſi quidam ſub obtentu vocabuli conſubſtantialis propriam hæreſim ſtabilire conarentur, effecerunt ut Liberius & Athanaſius, Alexander, Severianus, & Creſcens, Africæ Epiſcopi ei formulæ conſentirent.* lib. 4. cap. 15.

Illa ſi hodie extaret, de ejus veritate vel falſitate pronunciari facilè poſſet. Nunc, cum temporum injuriâ perierit, aliunde petenda ſunt eorum quæ continebat indicia. Hoc nemo primùm negabit in re nobis obſcurâ & incompertâ iis credendum, qui rem ipſam propriis oculis viderunt. Iſti verò, ut vidimus, magno conſenſu teſtantur hæreticam formulam illam fuiſſe. Sunt etiam qui quid illa contineret aperiunt. Horum numero Philoſtorgius, qui contra conſubſtantialis vocabulum ſubſcripſiſſe Liberium dicit. Sic Sozomenus, juxta quem Conſtantius Liberium coegit Filium non eſſe Patri conſubſtantialem profiteri.

Ad hæc jam ſuprà Sozomenus monuit id cujus ſubſcriptionem Conſtantius Liberio extorſit, ex Concilio Antiocheno contra Paulum Samoſatenum, aliiſque fuiſſe conſarcinatum. Atqui Concilium iſtud τὸ ὁμοούσιον apertè rejecerat. Cui ergo dubium fiet quominus id præcipuè ex iſto Concilio Symboli illius auctores excerpſerint, quod errori ſuo favere exiſtimabant, cum præſertim eò reſpiciens Sozomenus dicat, *Perinde quaſi quidam ſub obtentu vocabuli conſubſtantialis propriam hæreſim ſtabilire conarentur.*

Nec ſpes eſt ulla poſſe iſta convelli iis quæ Sozome-

ARTICULUS III.

Convocata fuit Sardicenſis Synodus ad hoc ut Nicænum de fide judicium novo examini ſubjiceret.

Est adhuc aliud circa Nicænam Synodum obſervatione digniſſimum. Ferventibus circa illius decreta diſſenſionibus Sardicenſe Concilium indixerunt Impp. Conſtans & Conſtantius, idque eo animo, ut quid eſſet ſentiendum inquireretur, & poſtmodum definiretur, quo ipſo præſupponebant certum non eſſe utrum Nicænæ definitioni ſtandum eſſet.

Id verò tantùm abeſt ut Sardicenſes improbarint, ut contra laudaverint. Sic enim in Synodicâ ſuâ ad Julium Romanum epiſtolâ, quam exhibent Hilariana fragmenta à Nicolao Fabro edita, & ex iis Baronius ad annum 347. n. 24. *Tria fuerunt quæ tractanda erant. Nam & ipſi religioſiſſimi Imperatores permiſerunt ut de integro univerſa diſcuſſa diſputarentur, & ante omnia de ſanctâ fide, & de integritate veritatis, quam violaverunt. Secunda de perſonis &c.*

Huc proculdubio reſpiciebat Andreas Rhodiorum Metropolita, dum in Florentinâ Synodo ſeſſ. 7. dicebat; *Synodus Sardicenſis ſancivit rectam & ſanam eſſe à trecentis decem & octo Patribus Nicenis editam fidem, atque ab omni Chriſtiano ſuſcipiendam.* Iſtud verò non ſuperfluum duntaxat, ſed ridiculum inſuper erat, ſi generalis Synodi à Romano Pontifice approbatæ, & confirmatæ decretis, falſum nunquam ſubeſſe in confeſſo apud Chriſtianos erat.

OBSER-

OBSERVATIO IV.

Quæ Veteres de Liberii lapſu dixerunt, clarè oſtendunt non dubitaſſe illos quin errare Pontifex poſſit

ARTICULUS I.

Exhibentur quæ de Liberii lapſu Veteres dicunt.

NEmo neſcit Liberium, qui diu pro veritate fortiſſimè ſteterat, tandem ærumnis fractum, vel ut mavult Baronius, occupatæ à Felice ſedis deſiderio tabeſcentem, tandem in Arianæ hæreſeos ſubſcriptionem conſenſiſſe. Hunc ejus lapſum ego iſthac in parte non urgeo, quippe qui non quæro utrum Pontifex errare revera queat, ſed utrum poſſe Veteres exiſtimarint. Hoc unum contendo, Veteres, dum de iſto caſu verba fecerunt, palàm oſtendiſſe non dubitare ſe quin Liberius ipſi hæreſi ſuffragatus ſit. Manifeſtum id faciunt diſertiſſima plurimorum teſtimonia. *Sec. 4.*

Agmen ducet unus ex Liberii Presbyteris, qui ſi hodie viveret Cardinalis diceretur, Oroſius nomine, qui Collegæ ſui Euſebii Martyris corpus ſepulturæ mandavit, ejuſque paſſionem ſcripſit, quam valde corruptam Mombritius ediderat, ſed longè integriorem ex quatuor manu ſcriptis codicibus Baluzius dedit Miſcell. lib. 2. Illam ego, quoniam brevis eſt, & multa continet obſervatione digniſſima, totam deſcribam. Sic ergo habet.

Eodem tempore quo Liberius de exilio revocatus fuerat à Conſtantio A. hæretico, in eodem ſancito dog-

dogmate ut non rebaptizarent populum, ſed unâ communione contaminarent plebem, Euſebius Presbyter urbis Romæ cœpit declarare Liberium hæreticum, & amicum Conſtantii. Cumque multi ſanctâ confeſſione, & Catholicâ fide vitarent communionem Liberii per Euſebii Presbyteri doctrinam occupantur Eccleſiæ a Liberio, ejicitur Felix de Epiſcopatu, ſubrogatur Liberius, tenetur Euſebius Presbyter, & quòd in domo ſuâ, quam ipſe conſtruxerat populum congregaret, & quia confortaret plebem ſanctam. Tunc Conſtantius Imperator aggreditur cum Liberio Euſebium Presbyterum, dicens; Tu ſolus Chriſtianus es in urbe Româ? *Euſebius Presbyter reſpondit,* Sic confidimus in Domino, quia fideles nos inveniet Chriſtus, ſicut & baptizati ſumus, & benedictionem quam à B. Julio ſuſcepimus, tenemus. *Liberius dixit:* Nos cujus fungimur vice? Nonne Julii anteceſſoris noſtri? *Euſebius Presbyter dixit:* Si perſeveraſſes in fide, quam in perſecutione primò tenere viſus fueras. *Liberius dixit,* Præſente Auguſto tam contumacem me exiſtimas? *Euſebius dixit:* Res ipſa te docet & declarat. *Imperator Conſtantius dixit.* Et quid eſt inter fidem & fidem: *Euſebius Presbyter reſpondit:* Quantum ad nos peccatores, integrè tenentes ſumus. Quantum ad vos inſania Diaboli, & invidia ſuperſtitionis veſtræ, ut Felicem Epiſcopum, quem vos non tacuiſtis Catholicum, & Domimum Jeſum Chriſtum invocantem, purum Sacerdotem ab omnibus declaratum, in damnationis cauſam exilio direxiſtis, qui tamen in prædiolo ſuo orationibus vacat. Et quidem juſſu tuo Chriſtianis occiſionem & necem præcepiſti inferri, maximè Clericis, & Presbyteris, & Diaconibus. *Tunc iratus Conſtantius ſubrogatu Liberii includit Euſebium Presbyterum in quodam cubiculo domûs ſuæ, quod humile erat in latitudine pedibus quatuor, & ibi multis menſibus in oratio-*

oratione conſtanter perſeverans, incluſus tamen, poſt menſes ſeptem dormitionem accepit XIX. Kal. ſept. cujus corpus collegerunt Gregorius & Oroſius Presbyteri parentes ejus, & ſepelierunt in cryptâ juxta corpus B. Sixti Martyris & Epiſcopi viâ Appiâ in cimiterio Caliſti, ubi & titulum ejus ſcribentes poſuerunt pro commemoratione ejus, Euſebio homini Dei. *Eodem tempore auditum à Conſtantio Imp. eo quod Gregorius, & Oroſius Presbyteri collegerunt corpus Euſebii Presbyteri, & in eadem cryptâ vivum præcepit includi Gregorium. Tunc Oroſius Presbyter collegit ſemivivum B. Gregorium noctu occultè propter Conſtantium A. & emiſſo Spiritu ſepelivit eum juxta corpus S. Euſebii Presbyteri. Qui etiam Oroſius hac geſta conſcripſit. Ab eodem die intra Eccleſias juſſu Conſtantii Imp. quiſquis inventus fuiſſet non ſic confiteri, vel participari ſicut Liberius, indiſcuſſus gladio puniretur. Quapropter in plateis, & in vicis, & in Eccleſiis, ſive in balneis gladio trucidabantur, perſequente Conſtantino Chriſtianos unà cum Liberio. Mortuo autem Liberio levatur Damaſus, qui voce publicâ damnavit Liberium factâ Synodo cum Epiſcopis XXVIII. & Presbyteris XXV. & ceſſavit perſecutio, non tamen multum tempus, donante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.*

In his multa obſervanda. I. Declaratum ab Euſebio Martyre Liberium hæreticum. II. Multos Catholicâ fide vitaſſe communionem Liberii. III. Animatam ab Euſebio plebem ne cum Liberio communicaret. IV. Negaſſe Euſebium perſeveratum à Liberio in fide. V. Punitos gladio quotquot nollent idem quod Liberius confiteri. VI. Damnatum à Damaſo, ejuſque Synodo Liberium, quæ omnia in rem noſtram diſertiſſima ſunt.

Conſentit illis quæ ex Oroſio deſcripſi Vetus Breviarium Romanum in feſto S. Euſebii Confeſſoris,

ris. *B. Euſebius Presbyter, cum præſente Conſtantino* (legendum Conſtantio, quæ duo nomina ſæpiſſimè confunduntur) *fidem Catholicam conſtantiſſimè defenſaret, & Liberium Papam doleret Ariana perfidia conſenſiſſe, ab irato Conſtantino Imp. Ariano includitur in quodam cubiculo domûs ſuæ &c.*

Hilarius in fragmentis. *Anathema tibi à me dictum, Liberi, & ſociis tuis. Iterum tibi anathema, & tertiò prævaricator Liberi.* Et alio eorundem fragmentorum loco. *Perfidiam apud Sirmium conſcriptam, quam dicit Liberius Catholicam à Demophilo ſibi expoſitam, hi ſunt qui conſcripſerunt.* Et libro ad Conſtantium A. *Vertiſti uſque ad Romam bellum tuum; eripuiſti illinc Epiſcopum, & ô te miſerum! qui neſcio utrum majori impietate relegaveris, quam remiſeris.*

Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, in Fortunatiano. *Fortunatianus natione Afer..... in hoc habetur deteſtabilis, quòd Liberium Romanæ urbis Epiſcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus ſollicitavit, ac fregit, ad ſubſcriptionem hæreſeos impulit.* Et in Chronico: *Liberio in exilium ob fidem truſo omnes Clerici juraverunt, ut nullum alium ſuſciperent. Verùm cum Felix ab Arianis fuiſſet in Sacerdotium ſubſtitutus, plurimi perjuraverunt, & poſt annum cum Felice ejecti ſunt, quia Liberius tædio victus exilii, & in hæretica pravitate ſubſcribens Romam quaſi victor intraverat.*

(a) Phil. lib. 4. cap. 3.

Photius ex Philoſtorgio in excerptis (a). *Tunc etiam eundem Liberium, & unà cum eo Oſium Epiſcopum, contra conſubſtantialis vocabulum, & contra Athanaſium ſubſcripſiſſe ait Philoſtorgius, cum Synodus quædam illic collecta eſſet, & ſupra memoratos in ſententiam ſuam pertraxiſſet.*

(b) Soz. lib. 4. cap. 15.

Sozomenus (b). *Haud multo pòſt Imperator ab urbe Româ Sirmium reverſus cum occidentales Epi-*

ſcopi legationem ad eum miſiſſent, Liberium Beroea ad ſe accerſivit. Cumque adeſſent Legati Epiſcoporum Orientis, convocatis Sacerdotibus qui in comitatu erant Liberium ἐβιάζετο ὁμολογεῖν μὴ εἶναι τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ὁμοούσιον, *Coegit Filium Patri non eſſe conſubſtantialem profiteri.* Sic enim illud ἐβιάζετο reddendum, non ut Valeſius, *cœpit compellere*, quæ diluta eſt interpretatio, nec Græcæ voci ſatis reſpondet. [c] *Aux. de ordin. lib. 1. cap. 25.*

Auxilius (c). *Quis neſcit quòd Liberius, heu proh dolor! Arianæ hæreſi ſubſcripſerit, & per ejus tranſgreſſionem nefandiſſima ſcelera ſunt commiſſa?* (d) *Idem lib. 2. cap. 1.* Et alibi (d). *Qui* (Liberius) *Arianæ hæreſi ſubſcripſit.* (e) *Pet. Dam. epiſt. 16.*

Petrus Damiani (e). *Porrò Liberius perfidiæ deceptus errore Arianæ hæreſi ſubſcripſiſſe dignoſcitur, ac per ejus tranſgreſſionem nefandiſſima ſcelera ſunt commiſſa. Multi quoque Sacerdotes & Clerici per ejus malitiam ſunt perempti, reſervati verò Catholici non ſolùm ab Eccleſiis, ſed etiam à locis ſunt prohibiti. Liberius itaque factus Apoſtata ſex annorum ſpatia ſupervixit.*

Hermannus Contractus ad ann. D. 345. *Romæ Liberius XXXIV. Papa ordinatur, quo ab Arianis ejecto, Felix locum ejus occupat annum unum. Sed Liberius hæreſi ſubſcribens rediit, & Felix ejicitur.*

Marianus Scotus ad ann. D. 355. *Liberius tædio victus exilii, & in hæreticam pravitatem ſubſcribens Romam quaſi victor intraverat.*

Florentius Vigornienſis ad ann. 349. *Tandem Liberius tædio victus exilii in hæreticâ pravitate ſubſcribens Romam quaſi victor intravit.*

Altiſſiodorenſis Monachus à Camuzato editus fol. 50. *Indignatus Conſtantius Felicem depoſuit, & Liberium revocavit, qui deinceps tædio victus exilii in hæreticâ pravitate ſubſcripſit. Facta eſt proinde perſecutio in Clero & populo, ita ut intra Eccleſiam Preſbyteri*

byteri & Clerici tum ab Arianis, non prohibente Liberio, ſint necati.

Abbas Urſpergenſis ad ann. 355. *Liberius verò exilii tædio victus hæreſi ſubſcripſit, Romamque quaſi victor intravit.*

Matthæus Veſtmonaſterienſis. *Anno gratiæ* 360. *Conſtantius Imperator Liberium Romanæ ſedis Epiſcopum ad perſecutionem Arianorum expulit in exilium, quò pergentem Fortunatius Aquileienſis Epiſcopus primus ſollicitavit & fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſeos intruſit.*

ARTICULUS II.

Præcluduntur duo effugia quibus deſcripta præcedenti articulo teſtimonia eludere Adverſarii conantur.

DIſerta ea omnia, nec eludi ullâ ratione poſſunt. Cavillantur Adverſarii, fateor. Negant confeſſionem illam, cui Liberius ſubſcripſit, hæreticam fuiſſe, eaque ſolùm de cauſâ dici hæreſi conſenſiſſe contendunt, quòd & cum Arianis communicaverit, & Athanaſium, fortiſſimum veritatis defenſorem damnaverit.

Sed vana & ludicra ea eſſe quivis videt. De tribus diverſiſſimis criminibus Liberium Vereres accuſant, de communione cum Arianis initâ, de damnatione Athanaſii, & de approbatione hæreſi datâ. Secernenda illa ſunt, non confundenda. Quid v. g. apertius illis quæ habet Philoſtorgius, Liberium contra conſubſtantialis vocabulum, & contra Athanaſium, ſubſcripſiſſe? Duo ergo ſimul damnavit, τὸ ὁμοούσιον, & Athanaſium, nec unum in alterò comprehenditur.

Ad

Ad hæc quod Philoſtorgius & Sozomenus aſſerunt negatum ab illo τὸ ὁμοούσιον, effugia omnia præcludit. Non enim in genere tantùm teſtantur patrocinatum illum hæreſi fuiſſe, ſed qua ratione illi faverit ſpeciatim indicant, τὸ ſcilicet ὁμοούσιον negando.

Denique aperta ſunt Hilarii verba. *Perfidiam apud Sirmium conſcriptam; quam dicit Liberius Catholicam, hi ſunt qui conſcripſerunt.* Ergo juxta Hilarium mera perfidia fuit, quæ Catholica confeſſio Liberio dicebatur. Ergo meræ perfidiæ, meræ hæreſi, Hilario teſte, Liberius acquievit. Perſpicua iſta, nec neceſſe admodum eſſet quænam ea confeſſio fuerit operosè inquirere: Inquiremus tamen articulo ſequente.

Nec eſt quod Adverſarii elabi ſe poſſe ſperent dicendo exiſtimaſſe quidem Veteres Liberium erraſſe, ſed ut privatum, non ut Pontificem, eo quòd nihil ille definierit, ſed oblatæ duntaxat formulæ ſubſcripſerit. Non eſt iſtud effugium reliquis tutius.

Primùm enim perinde eſt definire, & definitis acquieſcere Symbolum illud, cui Liberius ſubſcripſit, Concilium aliquod ediderat, ut oſtendit Valeſius (a), & Philoſtorgius ac Sozomenus apertè innuunt. *Cum Synodus quædam illic collecta eſſet,* inquit ille. Iſte verò adfuiſſe aſſerit & Occidentalium, & Orientalium Epiſcoporum Legatos, & convocatos inſuper Sacerdotes qui in Comitatu erant. Quid quod Hilarius eorum nomina ſervavit. Erat ergo definitio quædam, non ſecus ac Symbolum Nicænum, vel Conſtantinopolitanum. Jam ſi definitis accedat Romani Pontificis conſenſus, nihil illis deeſſe exiſtimatur. Sanè non aliis quàm hiſce verbis Nicænam Synodum confirmatam à Sylveſtro fuiſſe Adverſarii dicunt: *Quæ in veſtrum, noſtrum-*

(a) *Val. in Soz. lib. 4. cap. 15.*

noſtrumve manavere myſterium, meum chirographum offero in veſtro ſancto Concilio quicquid conſtituiſtis unà parem dare conſenſum. Sic ſimilem confirmationem non aliter petiiſſe putatur Conſtantinopolotana. I. quàm dicendo, *His omnibus tanquam legitimè ſecundum Eccleſiæ canones conſtitutis, obſecramus veſtram ſanctitatem ut conſentiat.*

Quid quod omnes à Pontificibus editæ fidei profeſſiones totidem definitiones cenſendæ ſunt. Tunc enim definire Concilia & Pontifices dicuntur, cum id quod docent ad fidem pertinere ſignificant. Cum ergo Symbolum quoddam, profeſſioque fidei fuerit, id cui Liberius ſubſcripſit, quicquid eo continebatur definiviſſe negandus non eſt.

Nihil ergo deerat, ſolâ exceptâ veritate. Si quid tamen defuiſſet, suppleviſſet abundè id quod Liberius ad Orientales ſcribebat: *Quicunque à pace & concordiâ noſtrâ, quæ per orbem terrarum volente Deo firmata eſt, diſſenſerit, ſciat ſe ſeparatum à noſtrâ communione.* Nihil ſanè expreſſius dici potuit.

Denique audivimus ſuprà Oroſium teſtantem coactos Romanos fuiſſe ſic ut Liberium confiteri, intentatâ in repugnantes capitis pœnâ. Quomodo ergo negari Liberius poteſt definiiſſe? An obligare arctiùs potuit quàm cogendo? vel cogere efficaciùs quàm necando?

Prætermittendum non eſt id quod Sozomenus narrat, dimiſſum Sirmio Liberium hac lege, ut Eccleſiam ſimul cum Felice adminiſtraret. *Scripſerunt*, inquit (b), *etiam Epiſcopi, qui Sirmium convenerant, ad Felicem, qui tum Romanæ Eccleſiæ præſidebat, & ad Clerum ejuſdem civitatis, ut Liberium ſuſciperent, utque ambo Apoſtolicam ſedem gubernarent, & ſimul Sacerdotio fungerentur, abſque ullâ diſſenſione.*

(b) Soz. lib. 4. cap. 15.

Non

Non quæro utrum rectè & canonicè ſtatuerint, ſed hoc duntaxat rogo, num qui ita ſtatuerunt dici poſſint exiſtimaſſe annexam Pontificatui infallibilitatem fuiſſe. An illam quoque, non ſecus ac Sacerdotium, partiri inter duos poterant ? An rem tam abſurdam credi poſſunt in animum induxiſſe ? Inſanierunt proculdubio ſi hujuſmodi cogitationes aluerunt. Quare cum utrumque infallibilem fore non putarent, utrumque errori obnoxium exiſtimaſſe cenſendi ſunt.

ARTICULUS III.

Quænam fuerit ea formula, cui Liberius ſubſcripſit.

SUfficere ad vindicandum argumentum noſtrum iſta poterant, quandoquidem non quæritur nunc utrum Liberius erraverit, ſed utrum erraſſe Veteribus viſus ſit. Parum igitur refert ſcire quænam ea fuerit formula cui ſubſcribere coactus eſt. Nihilominus quoniam variæ ſunt hac de re eruditorum ſententiæ, nec ſatis, meâ quidem ſententiâ elucidata quæſtio iſta hactenus fuit, liceat nobis cum bonâ Lectoris veniâ hunc illi articulum dare.

Certum eſt, & à multis jam obſervatum, Liberium bis ſubſcripſiſſe, ſemel Berœæ, ubi exulabat, iterum Sirmii, quò fuit ab Imperatore vocatus. Prioris ſubſcriptionis auctor illi Demophilus fuit, poſterioris Conſtantius ipſe. Priorem ipſe nobis aperit, ſic enim ait (a). *Ego Athanaſium non defendi, ſed quia ſuſceperat illum bonæ memoriæ Julius deceſſor meus, verebar ne ab aliquo fortè prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit,*

(a) *Lib. epiſt. 7. ad Orient.*

cuit, juſtè vos illum condemnaſſe, mox conſenſum meum commodavi ſententiis veſtris, literaſque ſuper nomine ejus per fratrem noſtrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem noſtrum Conſtantium. Itaque amoto Athanaſio à communione omnium, cujus nec epiſtolia à me ſuſcipienda ſunt, dico me cum omnibus vobis, & cum univerſis Epiſcopis Orientalibus, ſeu per diverſas provincias, pacem & unanimitatem habere. Nam ut veriùs ſciatis me verâ fide per hanc epiſtolam ea loqui, Dominus meus & frater communis Demophilus, qui dignatus eſt pro ſuâ benevolentiâ fidem veſtram, & Catholicam exponere quæ Sirmium à pluribus fratribus & Coepiſcopis noſtris tractata, expoſita, & ſuſcepta eſt ab omnibus, qui in præſenti fuerunt, hanc ego libenti animo ſuſcepi, in nullo contradixi, conſenſum accommodavi, hanc ſequor, hæc à me tenetur. Sanè petendum credidi ſanctitatem veſtram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis conſentaneum eſſe, dignemini communi concilio ac ſtudio laborare, quatenus de exilio dimittar, & ad ſedem, quæ mihi divinitus credita eſt, revertar. Adhuc igitur exulabat, & redeundi licentiam nondum impetraverat, imò ad eam impetrandam Arianorum interceſſionem implorabat, cum tamen ſuſceptam à ſe fuiſſe ablatam à Demophilo fidem profitebatur. De poſteriori ſubſcriptione latè S. Sozomenus, ut poſtmodum viſuri ſumus.

Quale fuerit Symbolum illud, cui jam Berœæ ſubſcripſit, non ſatis conſtat. Sirmienſe quidem fuiſſe, & in iis quæ jam deſcripſi Liberius, & in fragmentis Hilarius, produnt. Sed tres habentur conſcriptæ ab Arianis in eâ civitate fidei formulæ. Prima ea eſt quam Patres Concilii adverſus Photinum congregati anno 351. ediderunt, quamque Hilarius ut orthodoxam defendit. Secunda ea eſt cui Oſius anno 357. ſubſcripſit, quamque idem ille Hilarius Oſii & Potamii blaſphemiam vocat. Hæc & τὸ ὁμο-

ὅσιον,

ὕσιον, & τὸ ὁμοιέσιον ex æquo tollit, & Patrem Filio majorem apertè profitetur. Tertia eſt quam anno 359. Marcus Arethuſius conſarcinavit, quæque Ariminenſi Concilio exhibita eſt.

Tertiæ iſti ſubſcribere non potuit Liberius, utpote nondum confectæ. Jam enim anno 357. ille cecidit. Sed pro primâ militat Baronius, illumque ſecuta recentiorum ingens turba, ſperans hac ratione purgari Liberium poſſe, quippe qui nonniſi formulæ ab Hilario defenſæ & approbatæ ſubſcripſerit.

Sed iſti dupliciter falluntur. Primùm eo quòd quicquid Hilarius dicat, ne hæc quidem Sirmienſis formula ſatis pura ſit, ſed apertiſſima præ ſe ferat Arianæ labis indicia. Quomodo enim defendi tres iſti anathematiſmi poſſunt? *Si quis Chriſtum Deum, Deique Filium ante ſecula eſſe dicens, eundem non confiteatur in creatione omnium rerum Patri miniſtraſſe, anathema ſit. Si quis audiens Dominum Patrem, & Dominum Filium, aut Dominum Patrem & Filium, aut Dominus ex Domino dicens, duos dixerit Deos, anathema ſit. Non enim Filium exæquamus Patri, ſed ſubjectum illi eſſe intelligimus. Si quis Filium non volente Patre genitum eſſe dicat, anathema ſit. Non enim coactus Pater, vel neceſſitate ductus, cum nollet genuit Filium, ſed ſimul ac voluit ſine tempore & ſine paſſione ex ſe genitum illum oſtendit.* Scio hæc ab Hilario incruſtari, & quidem bono animo. Sed an ſatis feliciter Lectorum eſto judicium. Ut ut ſit longè aliter magnus Athanaſius cenſuit, quemadmodum Ant. Pagi atque alii obſervarunt.

Non ergo ſatis meâ ſententiâ Liberius purgaretur, etſi iſti duntaxat formulæ ſubſcripſiſſe comperiretur. Sed non ſubſcripſit. Patet hoc eo quòd Hilarius, qui primam illam Sirmienſem formulam probat, & nihil habere non orthodoxum dicit, eam

cui Liberius ſubſcripſit meram perfidiam vocet. *Perfidiam*, inquit (b), *apud Sirmium deſcriptam, quam dicit Liberius Catholicam à Demophilo ſibi expoſitam, hi ſunt qui conſcripſerunt.* Quæ verò fragmentis iſtis quidam opponunt, tam feliciter diluit Blondellus (c) noſter, ut nihil cum aliqua veri ſpecie reponi queat. Porrò Baronio erroris occaſio fuere Socrates & Sozomenus, qui tres, vel ad minimum duos, Epiſcoporum conventus Sirmii celebratos in unum confudere, unde ingens Annaliſtæ errorum cumulus. Sed eos diluerunt non pauci, nominatim Petavius, Larroquanus, Hermantius, Pagius.

(b) *Hil. in fragm.*

(c) *Blond. de la prim. pag. 478.*

Non fuit ergo primum Sirmienſe Symbolum id cui Liberius nomen ſuum appoſuit. Secundum eſſe putarunt ex Adverſarii Nic. Faber (d), & ex noſtris Blondellus ac Larroquanus. Sed quominus ita putemus duo obſtant. Alterum quòd ſecundam illam Sirmienſem formulam Hilarius ſemper Oſio & Potamio tribuat, illam verò cui Liberius ſubſcripſit, duobus & viginti Epiſcopis, inter quos nec Oſius, nec Potamius recenſentur. Alterum quod videatur iſta formula Anomœorum hæreſim continere, cui tamen non parum infenſi erant Baſilius Ancyranus, Sylvanus, & Macedonius, Semiariani, quibus illam Hilarius tribuit, cui Liberius calculum appoſuit ſuum. Quænam ergo fuerit non ſatis liquet, imò periiſſe illam vero ſimilius mihi videtur. Sed ut ut ſit hæreticam fuiſſe Hilarius prodit, qui vidit, quique de nimiâ ſeveritate nunquam accuſabitur ab iis qui quantâ cum benignitate etiam hæreticis Symbolis orthodoxum ſenſum aptare ſtuduerit, perſpectum habent.

(d) *Fab. praf. ad fragm. Hil.*

De illâ quoque formulâ, cui præſente Conſtantio Liberius ſubſcripſit, ambigitur. Nemo illam ex Veteribus repræſentat. Sozomenus tantùm admonet (e), fuiſſe ex anterioribus conſarcinatam.

(e) *Soz.*

Inſta-

Inſtabant, inquit, *& Imperatorem ad hoc impellebant, Baſilius, Euſtathius, & Eleuſius, qui præcipua apud ipſum auctoritate pollebant. Qui cum ea quæ contra Paulum Samoſatenſem, & contra Photinum Epiſcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochenſis Baſilica editam in unum tunc librum conjeciſſent, perinde quaſi quidam ſub obtentu vocabuli conſubſtantialis propriam hæreſim ſtabilire conarentur, effecerunt ut Liberius & Athanaſius, Alexander, Severianus, & Creſcens, Africæ Epiſcopi ei formulæ conſentirent.* lib. 4. cap. 15.

Illa ſi hodie extaret, de ejus veritate vel falſitate pronunciari facilè poſſet. Nunc, cum temporum injuriâ perierit, aliunde petenda ſunt eorum quæ continebat indicia. Hoc nemo primùm negabit in re nobis obſcurâ & incompertâ iis credendum, qui rem ipſam propriis oculis viderunt. Iſti verò, ut vidimus, magno conſenſu teſtantur hæreticam formulam illam fuiſſe. Sunt etiam qui quid illa contineret aperiunt. Horum numero Philoſtorgius, qui contra conſubſtantialis vocabulum ſubſcripſiſſe Liberium dicit. Sic Sozomenus, juxta quem Conſtantius Liberium coegit Filium non eſſe Patri conſubſtantialem profiteri.

Ad hæc jam ſuprà Sozomenus monuit id cujus ſubſcriptionem Conſtantius Liberio extorſit, ex Concilio Antiocheno contra Paulum Samoſatenum, aliiſque fuiſſe conſarcinatum. Atqui Concilium iſtud τὸ ὁμοούσιον apertè rejecerat. Cui ergo dubium fiet quominus id præcipuè ex iſto Concilio Symboli illius auctores excerpſerint, quod errori ſuo favere exiſtimabant, cum præſertim eò reſpiciens Sozomenus dicat, *Perinde quaſi quidam ſub obtentu vocabuli conſubſtantialis propriam hæreſim ſtabilire conarentur.*

Nec ſpes eſt ulla poſſe iſta convelli iis quæ Sozome-

zomenus addit. *Sed & confeſſionem à Liberio viciſſim ſuſceperunt, qua eos qui Filium ſecundum ſubſtantiam, & per omnia Patri ſimilem non eſſe aſſererent, alienos ab Eccleſiâ pronunciabat.* Oſtendunt iſta, fateor, Liberium Anomœis, qui non tantùm τὸ ὁμοούσιον, ſed etiam τὸ ὁμοιούσιον negabant, non conſenſiſſe. Sed non conſenſiſſe Semiarianis, qui cum τὸ ὁμοούσιον negarent τὸ ὁμοιούσιον defendebant, non oſtendunt. Cumque erraſſe Semiarianos, & Veteres putarint, & Adverſarii fateantur, erraſſe Liberium, qui illis adhæſit, manifeſtum eſt.

Gravius nonnullis videtur, quod idem ille Sozomenus, teſtatur Eudoxium, & qui cum illo Aetii erroribus favebant, ſparſis rumoribus divulgaſſe Liberium quoque conſubſtantialis vocabulum condemnaſſe, & Filium Patri diſſimilem confeſſum eſſe, quibus innuere videtur falſos illos rumores fuiſſe. Sed vel reſpondendum ex parte tantùm fuiſſe falſos illos rumores, cum Liberius τὸ ὁμοιούσιον nunquam negaſſet, vel dicendum potiùs cum Doct. Blondello mendum iſthic ſubeſſe, & pro ὁμοούσιον legendum ὁμοιούσιον, additâ literula ι, quæ excidere facilè potuit.) Sanè hoc pacto ſenſus liquidiùs fluit. Ad hæc ſi non fuiſſe negatum à Liberio τὸ ὁμοούσιον Sozomenus innuit, non poteſt ab apertiſſimæ contradictionis labe purgari, ſiquidem præcedente periodo teſtatus eſt coactum fuiſſe Liberium Filium non eſſe Patri ὁμοούσιον profiteri.

OBSER.

OBSERVATIO V.

Exortæ IV. ſeculo circa unam, vel trinam hypoſtaſim lites manifeſtum faciunt exiſtimatum Pontificem errori obnoxium.

NOn Arianos ſolùm ab Orthodoxis ſejunxerunt ortæ quarto ſeculo circa Trinitatem diſputationes. Ipſi quoque Orthodoxi in partes eâ de cauſâ ſciſſi ſunt. Occaſio diſſidii vox *Hypoſtaſis*, qua alii ſubſtantiam deſignari contendebant, eaque de cauſâ nonniſi unam in divinis agnoſcebant; alii contrà perſonam, vel ſubſiſtentiam, eo nomine innui volebant, quare tres, & quidem diſtinctas, prædicabant. Erat, fateor, quæſtio de voce, atque adeo mera λογομαχία, nec illud ipſum oculatiores latebat, nominatim Athanaſium cum Alexandrinâ Synodo, & Nazianzenum. Sed plurimi de re ipſâ agi putabant, quare ſibi invicem hæreſeos dicam impingere non verebantur. Qui unam hypoſtaſim agnoſcebant, Adverſarios Arianiſmi inſimulabant; qui tres, Sabellianiſmum diſſentientibus imputabant. Teſtis Baronius (a). *Quod ad Hypoſtaſis*, inquit, *vocem ſpectat, inter Catholicos, non autem hæreticos (quod teſtatur Hieronymus ſcribens ad Damaſum) de ejus proprietate, cum in re idem ſentirent, non levis oborta eſt controverſia, cum tamen ſic contradicentes inter ſe contrariæ partes altera alteram hæreſis inſimularet, impingens hæc illi Arianiſmum, huic verò illa Sabellianiſmum.* Sec. IV.

(a) Bar. ann. 362. n. 188.

Fervebat præcipuè hæc controverſia in Oriente, cujus Metropolis Antiochia tripliciter ſcindebatur. Ariani Euzoium Epiſcopum agnoſcebant, trium hypoſtaſeon defenſores Meletium, unius

Paulinum. Ariani omnes civitatis Baſilicas occupabant, unâ exceptâ, quam Paulino reliquerant. Meletiani extra urbem Synaxes ſuas habebant, eaque de cauſâ *Campenſes* dicebantur. Ut ut ſit alii aliorum communionem refugiebant, & merum erat, atque apertiſſimum ſchiſma, hæreſis etiam nomine utrinque infamatum.

Quid tum Romana Eccleſia? Unius hypoſtaſis defenſoribus multipliciter favebat. Primùm enim Marcellum Ancyranum propter aſſertam unam hypoſtaſim Epiſcopatu dejectum reſtituerat, & in communionem receperat Julius Pontifex. Hanc enim illi impactam fuiſſe hæreſim teſtis eſt Baſilius Magnus. *Scitis*, inquit (b), *quàm omnem ſpem noſtram irritam faciat dogma Marcelli, quod neque Filium propriâ ac diſcretâ hypoſtaſi præditum confitetur, ſed productum, & ad eum ipſum iterum reverſum, ex quo proceſſerat, tradit, neque Paracletum propriam habere hypoſtaſim concedit: Ita ut non aberret, ſi quiſquam hanc hæreſim prorſus alienam eſſe a Chriſtianiſmo determinet, ac corruptum quendam Judaiſmum appellet.* Illum tamen abſolvit in Synodo Romanâ Julius, & Eccleſiæ ſuæ reſtitui juſſit.

(b) *Baſil. epiſt. 74. ad Orient.*

Fecit id ipſum aliquanto pòſt Sardicenſis Synodus, quam tanto favore proſecuti ſunt Romani Pontifices. Quid quod in Synodicâ ſuâ ad totius orbis Epiſcopos epiſtolâ Sardicenſes Patres unam hypoſtaſim diſertè agnoſcunt. Sic enim ajunt. *Hæreticorum cohors contendit diverſas eſſe hypoſtaſes Patris, & Filii, & Spiritûs S. & eas eſſe ſeparatas. Nos autem hanc accepimus, & didicimus, & hanc habemus Catholicam traditionem, & fidem, atque confeſſionem, unam eſſe hypoſtaſim, quam ipſi hæretici ſubſtantiam vocant.* Hæc igitur ſententia Romanæ Ec-

Eccleſiæ, quæ Sardicenſem Synodum tantopere commendabat, non potuit non imputari.

Ad hæc cum Paulino, qui teſte Acacio Berrhoenſi in epiſtolâ ad Cyrillum (c), tres hypoſtaſes dicere palàm recuſabat, communionem ſemper coluerunt Romani Pontifices, ejuſque partes pro viribus defenderunt, Meletio contrà trium hypoſtaſeon aſſertori adverſati ſunt, & communicare cum eo nunquam voluerunt.

(c) *Extat in Concil. Epheſ. n. 15.*

Sed non eſt neceſſe ut argumenta operosè conquiramus, quibus id quod dixi evincatur. Habemus apertiſſimam Romanæ Eccleſiæ in hac causâ definitionem. Non loquor de eâ quæ Liberio tribui ſolet, & habetur in operibus Athanaſii. Arguit illam ſuppoſitionis Lud. Du Pin (d). Illam dico quam in Synodo Romanâ Damaſus edidit, quæque extat in Synodicâ epiſtolâ apud Sozomenum, (e), & Theodoretum (f), in hæc verba: *Spiritum autem S. ejuſdem quoque eſſe ſubſtantiæ.* Τῆς αὐτῆς ὑποςάσεως, *credere debemus. Eum verò qui aliter ſentiat, à communione noſtrâ alienum eſſe decrevimus.*

(d) *Du Pin Bibl. Eccl. in Athan.*
(e) *Soz. lib. 6. cap. 23.*
(f) *Theod. lib. 2. cap. 8.*

Manifeſtum igitur erat Romanam Eccleſiam, ejuſque Pontificem, unam duntaxat hypoſtaſim agnoſcere. Quare hoc ſe præcipuè defendit Hieronymus eâ de causâ hæreſeos inſimulatus, dum ad Marcum Celedenſem ait (f): *Sabellianæ impietatis arguor tres ſubſiſtentes, veras, integras, perfectaſque perſonas indefeſſâ voce pronuncians. Si ab Arianis, meritò. Si ab Orthodoxis, qui hujuſmodi arguunt fidem Orthodoxi eſſe deſierunt; aut ſi eis placet hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc eſt cum Damaſo Petroque condemnent.*

(f) *Hier. epiſt. 77.*

Quotquot igitur iſtud dogma hæreticum dicebant, non poterant exiſtimare Romanos Præſules extra errandi periculum conſtitutos. Patet id nomina-

mina-

minatim in Baſilio, quem acerrimum fuiſſe trium hypoſtaſeon aſſertorem ex ejus verbis ſuprà allatis ſatis patuit. Non dubitavit ille hac de cauſâ Occidentales, & nominatim Romanum Præſulem, erroris arguere. Sic enim ad Gregorium Nazianzenum ait (g). *Quæ igitur per ipſos literis nunciare conveniat, vel quomodo pauci cum illis qui epiſtolas mittunt, ipſe planè dubito. Si offendas brevi eos qui ad nos veniant, dignare nos certiores facere. Mihi ſiquidem illud Diomedis ſubit dicere;* Ne preceris, quoniam, *inquit*, vir eſt ſuperbus. *Nam proculdubio cum leniùs tractantur elati animi ſolito, inſolentiores plerumque fieri ſolent. Etenim ſi Dominus ſit nobis propitius, quonam alio adminiculo indigemus? Sin autem ira Dei permanſerit, quale nobis auxilium ab Occidentalium faſtu & ſupercilio aderit? Qui veritatem neque norunt, neque diſcere ſuſtinent, verùm falſis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ priùs in Marcello patrarunt, nempe cum iis, qui veritatem ipſis annunciant, contendentes, hæreſim autem per ſe ipſos ſtabilientes. Ego ſanè ipſe abſque communi literarum figurâ volebam ad eorum Anteſignanum ſcribere, de Eccleſiaſticis quidem nihil niſi per ænigmata, quoniam nec intelligunt noſtratum veritatem, neque viam, qua poſſunt addiſcere, amplectuntur.*

(g) *Baſ. epiſt.* 10.

Hæc ille, quæ ut initio dicebamus, anſam Ch. Lupo dederunt Baſilium iis accenſendi, qui Romani Pontificis infallibilitatem impugnarunt. Nec aliter Baronii Breviator Spondanus (h). *Perſenſerat,* inquit, *ipſe quidem jam antea aliquomodo has ſimultates, cum ad Euſebium Samoſatenum ſcribens Occidentales ſupercilii & faſtûs accuſavit, nec non inſcitiæ, atque erroris: Nempe ob veterem controverſiam de vocibus ſubſtantiâ, & ſubſiſtentiâ, ſeu uſiâ & hypoſtaſi, de quibus dictum eſt in Concilio Alexandrino. Quæ licet tunc ſopita viſa eſſet auctoritate Athanaſii decernentis*

(h) *Spond. ann.* 372. *n.* 3.

tis haud curandum eſſe de ſyllabis, ubi nulla eſſet in re diſcrepantia, tamen eadem iterum hoc tempore refricata Occidentales qui nollent cum Orientalibus tres hypoſtaſes in Trinitate dicere, quòd ea vox apud eos ſuſtantiam ſignificaret, ab iiſdem Orientalibus hæreſis inſimulati ſunt, ut pluribus queritur Hieronymus in epiſtolâ circa hæc eadem tempora ad Damaſum Papam ſcriptâ. Sed quàm juſtè id fieret docent ea quæ ſuperius eâ de re diſputata ſunt. Quapropter his poſtea à S. Baſilio accuratiùs conſideratis tantùm abeſt ut in priori de Occidentalium, vel faſtu, vel hæreſi, ſententiâ (quam perturbatio animi, ut ſanctiſſimis quoque viris interdum accidere conſuevit, induxerat) perſeveraverit, ut contrà ſcriptis anno ſequenti ad eos officii ac ſubmiſſionis plenis literis eoſdem illibatos in fide permanere, & Apoſtolicum depoſitum illæſum ſervare prædicaverit.

An perſtiterit in ſiniſtrâ illâ de Occidentalium hæreſi opinione Baſilius, parum refert. Hoc ex Spondani confeſſione ſaltem liquet, aliquandiu ſaltem & Baſilium, & reliquos Orientales exiſtimaſſe, Occidentales errare. Sufficit hoc, ut ſi non ſemper errantes, ſemper ſaltem errori obnoxios illos putarint.

OBSERVATIO VI.

Zozimi pro Celeſtio judicium & Afri Epiſcopi ſpreverunt, & ipſe aliquanto pòſt revocavit.

Sec. V. Damnatus ab Innocentio Celeſtius, eo mortuo æquiorem fore ſibi Zozimum ſperans illum adiit, & libellum obtulit, quo cæteros quidem errores verborum involucris fraudulenter tegebat, ſed peccatum originale apertiſſimè negabat. Hæc erant illius verba, quæ Auguſtino (a), debemus. *Infantes autem debere baptizari in remiſſionem peccatorum, ſecundum regulam univerſalis Eccleſiæ, & ſecundum Evangelii ſententiam, confitemur, quia Dominus ſtatuit regnum cœlorum nonniſi baptizatis poſſe conferri, quod quia vires naturæ non habent, conferre neceſſe eſt per gratiæ libertatem. In remiſſionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à Catholico ſenſu alienum eſt, quia peccatum non cum homine naſcitur, quod poſtmodum exercetur ab homine, quia non naturæ delictum, ſed voluntatis eſſe demonſtratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diverſa baptiſmatis genera facere videamur, & hoc præmunire neceſſarium eſt, ne per myſterii occaſionem ad Creatoris injuriam malum, antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.* Vides ut peccatum ex traduce à Catholico ſenſu longè alienum, & Creatori contumelioſum, eſſe diſertiſſimè pronunciet.

(a) Aug. de pecc. orig. cap. 5. & 6.

Veriſi-

Veriſimile eſt doctrinam de peccato originali longè minùs notam ac perſpectam tunc temporis fuiſſe, quàm poſt iſtas concertationes fuit. Certè Theodorus Mopſueſtenus illam paulò antè, uno ſcilicet, aut altero anno, acerrimè impugnaverat, & adverſus Hieronymi dialogos quinque libros ſcripſerat, quibus nemo reſpondit, nec eâ de cauſâ Theodorus reprehenſus à quoquam fuit. Ad hæc Innocentius, qui Pelagium & Celeſtium anathemate confixit, reliquos quidem eorum errores denotaverat, ſed de peccato originali nihil expreſſè dixerat. Statuerat tantùm debere infantes baptiſmo regenerari, quod Celeſtius non negabat, imò expreſſè profitebatur. Quare mirum non eſt ſi Zozimus gratiæ tantùm intentus, circa quam errores ſuos Celeſtius egregiè diſſimulabat, hanc peccati originalis inficiationem, vel non obſervavit, vel neglexit, & pugnare cum fide non putavit.

Ut ut ſit hanc Celeſtii profeſſionem, qua error ille tam apertè docebatur, ut orthodoxam ſuſcepit, poſtquam hæreticus hac de re interpellatus ſanctiſſimè proteſtatus eſt vera atque intima animi ſui ſenſa eâ contineri. En quid eâ de re dicat ipſe Zozimus epiſtolâ ad Afros Epiſcopos, quam ex vetere Mſ. Bibliothecæ Vaticanæ Baronius exſcripſit (b). *Celeſtius Presbyter noſtro ſe ingeſſit examini, expetens ea quæ de ſe Apoſtolicæ ſedi aliter quàm oportuit eſſent inculcata purgari. Et licet multæ occupationes majoribus vinculis Eccleſiaſticorum negotiorum curam noſtram ſollicitudinemque diſtraherent, tamen ne paternitatis veſtræ de adventu ac diſcuſſione prædicti diutiùs penderet expectatio, poſthabitis omnibus die cognitionis reſedimus in S. Clementis Baſil. câ..... Omnia igitur quæ priùs fuerant acta diſcuſſimus, ſicut geſtorum huic epiſtolæ cohærentium inſtructione diſcetis. Intromiſſo Celeſtio libellum ejus, quem dederat, fecimus recitari.*

(b) *Bar. ad ann.* 417.

ri. Nec hoc contenti utrum hæc, quæ ſcripſiſſet, corde loqueretur, an labiis, ſæpenumero exploravimus, cum de occultis animorum ſolius Dei noſtri poſſit eſſe judicium, cui non tantùm cogitata, ſed cogitanda jam præſtò ſunt. Quid voces ejus contineant compendioſius duximus ad ſanctitatem veſtram legenda cognoſci. Unum ſanè movet nos, ut cum in præſenti ibi Celeſtium habueritis, nihil liquidò judicatum ſit. Ad literas Herotis & Lazari priori relatione deſtinatâ, equidem hoc fervore fidei præfeſtinatum eſſe promptiſſimum eſt. Et quibuſdam interjectis. *Unde in præſenti cauſâ nihil præcox immaturumque cenſuimus, ſed innoteſcere ſanctitati veſtræ ſuper abſolutâ Celeſtii fide noſtrum examen, cui etiam prior libellus ab eo intra Africam teſtimonio apud nos eſſe debuiſſet, ne inexploratis, famaque jactantibus tam facilè crederetur. Quare intra ſecundum menſem aut veniant qui præſentem redarguant aliter ſentire, quàm libellis & confeſſione contexuit, aut nihil poſt hæc tam aperta & manifeſta, quæ protulit dubii ſanctitas veſtra reſediſſe cognoſcat. Ipſum ſanè Celeſtium, & quoſcunque, qui eo tempore ex diverſis regionibus aderant, Sacerdotes admonui has tendiculas quæſtionum, & inepta certamina, quæ non ædificant, ſed magis deſtruunt, ex illâ curioſitatis contagione profluere, dum unuſquiſque ingenio ſuo, intemperanti eloquentiâ ſuprà ſcriptâ abutitur. Cum in hoc etiam magnorum virorum nonnunquam cum ipſis auctoribus ſcripta periclitantur poſt permultam temporis miſeriam interpretantis arbitrio, ut divinè profectum ſit, Ex multiloquio non vitari peccatum, & S. David poſtularet circumſtantiam labiis ſuis, orique cuſtodiam. Charitatem veſtram tam Apoſtolicæ ſedis auctoritate, quàm mutuâ amoris affectione commoneo, ut jam ingenia veſtra ſanctarum omnium Scripturarum, quæ ſecundum traditionem Patrum atque majo-*

majorum præcepta ſunt, præceptis obſervationibuſque ſufficiant.

Hactenus Zozimus, quem mitiſſimo Auguſtino excuſari non ignoro. *Cum hoc*, inquit (c), *Celeſtius in ſuo libello poſuiſſet inter illa duntaxat, de quibus ſe adhuc dubitare, & inſtrui velle confeſſus eſt, in homine acerrimi ingenii, qui profectò ſi corrigeretur plurimis profuiſſet, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus eſt, quia & hoc Catholicæ mentis eſt, ſi qua fortè aliter ſapit, quàm veritas exigit, non ea certiſſimè definire, ſed definita ac demonſtrata reſpuere.* (c) *Aug. ad Boniſ. lib. 2. cap. 3.*

Sed ſcio quoque non admodum feliciter hunc illi conatum ſucceſſiſſe. *Lolio vitilitare*, ait doctiſſ. Voſſius (d), *credibile eſt, quiſquis non videt ut ſudet magnus Antiſtes, quo ſtrumam Zozimi διβάφω veſtiat, & occultet. Quid enim aliud quàm σοφὸν φάρμακον eſt quod affert, ut Papa libellum non Catholicum rectè Catholicum judicaſſe videatur? At ipſe Auguſtinus cum totâ Synodo pro hæretico habuit. Nam Patres Concilii Africani*, cui dux Aurelius, ingeniumque Auguſtinus erat, *Proſpero teſte, in epiſtolâ ad Zozimum, quemadmodum ibidem Auguſtinus ſubjicit, diſertim ſcribunt* non ſufficere quòd (*Celeſtius*) ſe generaliter Epiſcopi (*Innocentii*) literis conſentire fatebatur, ſed apertè eum debere anathematizare quæ in libello ſuo prava poſuerat, ne ſi id non feciſſet, multi parum intelligentes in libello ejus illa fidei venena à ſede Apoſtolicâ crederent approbata, propterea quòd ab ea dictum erat eum libellum eſſe Catholicum. *Stultum igitur* (ſic pergit Voſſius) *ſit dubitare, quin Zozimus ante acceptas Africanorum Patrum literas multum Celeſtio faverit.* (d) *Voſſ. Hiſt. Pel. lib. 1. cap. 28.*

Sed ut iſtud clariùs pateat, hoc cum Scholaſticis

ſticis omnibus & Canoniſtis obſervandum, longè aliud eſſe ſi quis dicat Scriptorem aliquem eſſe Catholicum, vel non eſſe hæreticum, aliud ſi id ipſum de quapiam illius Scriptoris propoſitione pronunciet. Poteſt eſſe Catholici Scriptoris propoſitio hæretica. Ad hoc etenim ut propoſitio ſit hæretica nihil aliud requiritur, niſi ut cum fide directè pugnet. Sed ad hoc ut Scriptor ſit hæreticus non ſufficit ut propoſitionem hæreticam doceat, ſed requiritur inſuper ut doceat cum pertinaciâ. Quare modò Scriptor aliquis ſe ſuaque Eccleſiæ ſubjiciat, quo pertinaciam exuere cenſetur, etiamſi aliquid pravi doceat, damnatur quidem ejus doctrina, ſed is ipſe non damnatur, ut Janſenii Yprenſis, & innumerorum aliorum exemplo conſtat.

Eſt ergo longè aliud dicere Celeſtium, aliud ejus libellum eſſe Catholicum. Prius ad factum, poſterius ad jus pertinet. Potuerit Zozimus in eo citra infallibilitatis diſpendium Celeſtii fraude decipi, per me licet. At in poſteriori certè non potuit. Iſtum verò poſteriorem duntaxat errorem urgeo, & dilui Auguſtini excuſatione pernego. Sive enim ſincerè, ſive fraudulenter ſeſe Celeſtius Zozimi judicio ſubjecerit, & qualiſcunque is fuerit, hæretica ſemper fuit peccati originalis negatio, & Catholica dici non niſi per errorem potuit. Dixit tamen, ut vidimus, Zozimus. Quî ergo erraſſe negari poteſt?

Sed revera longè aliam fuiſſe Zozimi mentem, quàm quæ illi ab Auguſtino affingitur, meâ ſententiâ manifeſtum eſt. Si, ut vult Auguſtinus, & docilem Celeſtium, & confeſſionem ejus hæreticam putavit, nonne debuit illi ſimul & ſemel, & docilitatem gratulari, & hæreſis ejurationem imperare, vel ad minimum ſuadere? An potuit illum in tam tetri erroris voragine relinquere, quem ad amplecten-

ſtendam veritatem promptum & facilem exiſtimabat? An diſſimulare vel momento potuit, rectè quidem in reliquis habere fidei profeſſionem quam ediderat, ſed in articulo de peccato originis pugnare manifeſtè cum Univerſæ Eccleſiæ fide? Non dixit tamen. Quin potiùs hoc ab hæritico poſtulavit, ut ſinceram eſſe hanc ſuam profeſſionem modis omnibus confirmaret. Siccine fieri in judiciis Eccleſiaſticis ſolet? Siccine errores & hæreſes diſſimulantur? Quid colligere inde Celeſtius debuit, niſi veriſſima eſſe quæcunque in confeſſione ſuâ dixerat, & nihil aliud ſibi faciendum, quàm ut in eorum fide ac defenſione perſtaret?

Verùm eſto. Cauſas habuerit cur coram Celeſtio diſſimularet Zozimus. An celare illas Africanos Patres æquum fuit? Nonne rem totam aperire illis debuit? Illis, inquam, quos paululum infenſos, & penè dixerim, iniquos erga Celeſtium exiſtimabat? Nonne docere illos neceſſe fuit quare errorem illum non exertè damnaſſet? An fecit tamen? An quicquam hujusmodi, vel dixit, vel innuit? Nonne contrà queſtus eſt quòd Afri paulò properantiùs egiſſent, & cauſâ non ſatis expenſâ Celeſtium damnaſſent? Et quod mihi multorum argumentorum loco eſt, nonne Celeſtii accuſatores expreſſè provocavit, ut intra unum atque alterum menſem aliter credere Celeſtium, quam haberet ejus profeſſio, probatum darent? An neceſſe iſtud fuiſſet, ſi hæreticam eſſe ipſam profeſſionem conſtitiſſet? Quid de arcanis ſenſibus quærendum fuit, cum ipſa verba publicæ luci expoſita idoneam ac ſufficientem damnationis materiam exhiberent?

Sed ut omnis tergiverſandi anſa præcidatur, en quid idem ille Zozimus in aliâ quadam ad eoſdem Afros ſcriptâ epiſtolâ dicat (e). *Poſtquam*, inquit, *à nobis Celeſtius Presbyter auditus eſt, & quid de fide* (e) *Zoz. epiſt. 4.*

L ſen-

ſentiret evidenter expreſſerit, eadem quoque, quæ in libello contulerat repetitis crebrò profeſſionibus roboravit. De ejus nomine pleniùs ad dilectionem veſtram ſcripta direximus. Ecce epiſtolam Hieroſolymitani Epiſcopi Praglii, qui in locum quondam S. Joannis Epiſcopus eſt ordinatus, accepimus, qui cauſæ Pelagii enixus adſtipulator intervenit. Literas quoque ſuas idem Pelagii purgationem continentes abundantiſſime miſit, quibus & profeſſionis ſuæ fidem, quid ſequeretur, quidve damnaret, ſine aliquo fuco ut ceſſarent totius interpretationis inſidiæ cumulavit. Harum recitatio publica fuit. Omnia quidem paria, & eodem ſenſu, ſententiiſque formata, quæ Celeſtius antè protulerat, continebant. Utinam ullus veſtrûm, dilectiſſimi fratres, recitationi literarum intereſſe potuiſſet. Quod ſanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit? Quæ admiratio ſingulorum? Vix fletu quidem ſe, & lacbrymis temperabant. Tales etiam abſolutæ fidei infamari potuiſſe? Eſtne ullus locus, in quo Dei gratia, vel adjutorium prætermiſſum ſit? Vides ut utrumque illum, Pelagium, inquam, & Celeſtium *abſolutæ fidei* viros appellet. Vides ut infamari eos potuiſſe ipſe cum ſuis Romanis admiretur? Qui hoc, ſi peccatum originis ad fidem pertinere putabatur?

Sed audi ſequentia, quibus in accuſatores Pelagii, Celeſtiique paulò acerbiùs invehitur. *Mirum eſt*, inquit, *ſi iſti laicum virum ad bonam frugem longâ erga Deum ſervitute nitentem falſis literis percellere Voluerunt, qui in fratres & Coepiſcopos tanta machinati ſunt, qui tot tempeſtates Eccleſiæ reddiderunt. Non decet Epiſcopalem auctoritatem, & præcipuè prudentiam veſtram, ad levium ſuſurrorum ſcripta pendere. Ecce Pelagius Celeſtiuſque Apoſtolicæ ſedi in literis ſuis, & confeſſionibus ſuis præſtò ſunt. Ubi Eros? Ubi Lazarus, erubeſcenda factis & damnationibus nomina? Ubi illi adoleſcentes, Timaſius ac Jacobus?* Quare

Quare tandem ſic concludit. *Si Deo noſtro cordi fuit propter oves perditas Verbum carnem fieri, & ex Domino formam ſervientis induere, ut diu interceptam redderet libertatem, ſit vobis gaudium eos, quos falſi indices criminabantur, agnoſcere à noſtro corpore, & Catholicâ veritate nunquam fuiſſe divulſos. Certè hoc quod noſtra expectatio deſiderabat eluxit, ut damnanda damnarent, & ſequenda ſequerentur. Si paterfamilias reditu filii gratulabatur, qui mortuus fuerat, & revixit, perierat, & inventus eſt, & jubet in uſum ejus ſtolam mundam, hoc eſt inſigne candidæ mentis, afferri, & vitulum ſaginatum, quantùm hæc uberior exultatio eſt fidei, non mortuos eſſe, nec periiſſe, de quibus falſa vulgata ſunt? Miſimus igitur ad dilectionem veſtram exemplaria Scripturarum, quas Pelagius miſit, quarum lectionem non ambigimus parem vobis in Domino de abſolutâ ejus fide judicium.* His quid apertius dici poſſit mihi certè non apparet. Ait, repetit, inculcat, integram eſſe Pelagii & Celeſtii fidem, imò talem ſemper fuiſſe, nunquam illos à Catholicâ veritate fuiſſe divulſos, ſequenda ſecutos, damnanda damnaſſe, fuiſſe illos per falſos indices, per falſos rumores infamatos. Et dicatur tamen, qui ſic loquitur, alterius eorum hæreſim de peccato originis probè obſervaſſe?

Longè alia fuit Facundi Hermianenſis ſententia, ut ex iſtis apparet (f). *Invenient poſtremò B. quoque Zozimum Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem, contra S. Innocentii deceſſoris ſui ſententiam, qui primus Pelagianam hæreſim condemnavit, fidem ipſius Pelagii, ejuſque complicis Celeſtii, quem in Eccleſiâ Carthaginenſi convictum, atque appellantem Apoſtolicam ſedem & ipſe geſtis diſcuſſerat, tanquam veram & Catholicam laudantem, inſuper etiam Africanos culpantem Epiſcopos, quod ab illis hæretici crederentur, cum nec dum ipſi Africanis Epiſcopis dolos eorum multo manifeſtiùs detegentibus memoratos Pelagium & Celeſtium putaret orthodoxos.*

(f) Fac. lib. 7. cap. 3.

Denique nec Africani Epiſcopi huic Zozimi judicio acquieverunt, nec in eo Zozimus ipſe perſtitit. Illi non obſtante Zozimi approbatione Celeſtium damnarunt, & hunc nominatim canonem ediderunt. *Placuit ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur.... anathema ſit.* Iſte verò ab iis monitus Celeſtium tandem ac Pelagium damnavit, ut ex Auguſtino & Proſpero ſat liquet.

Nec ipſe igitur, nec Africani Patres, dubitarunt quin poſſet Romanus Præſul errare, id tanquam Orthodoxum approbans, quod meram hæreſim contineret.

OBSERVATIO VII.

Quæ in Neſtorii cauſâ geſta ſunt apertiſſimè oſtendunt Romani Pontificis judicio parum tunc temporis delatum.

ARTICULUS I.

Celeſtini de Neſtorio judicium multi ſprevere.

QUanti olim fieret Romani Præſulis auctoritas nunquam evidentiùs patuit, quam quo tempore Neſtorius hæreſes ſuas propalavit. Rem ad Celeſtinum Cyrillus detulit. Ille verò Neſtorio Significavit, ut niſi errores ſuos intra decem dies revocaret, & cum Romanâ atque Alexandrinâ Eccleſiâ in poſterum doceret, ab Eccleſiæ Catholicæ communione dejectum, & Sacerdotio deſtitutum ſe reputaret. Tum vices in hac cauſâ ſuas Cyrillo delegavit. Cyrillus habitâ Alexandriæ Synodo ejus nomine ad Neſtorium epiſtolam ſcripſit duodecim anathematiſmis munitam, cui ut Neſtorius ſubſcriberet, popoſcit. Renuit Neſtorius, & ad Concilium provocavit. Provocationem, ut in primâ parte vidimus, admiſit Theodoſius, admiſit Concilium, quo ipſo patet neminem dubitaſſe, quin eſſet errori obnoxium Pontificis judicium. *Sec. V.*

Sed eſt id ſuprà oſtenſum. Nunc ut ad ſpecialiora pergamus, obſervandum cumprimis nihil in iis novitatibus, quas Neſtorius effutiebat, magis diſplicuiſſe, quàm quòd S. Virginem Dei-param dici nollet. Hoc illi præcipuè Cyrillus objicit ſuâ ad Celeſti-

num epiſtolâ. Hoc ſibi dolere Celeſtinus teſtatur, dum in tribus epiſtolis infanda circa Virgineum partum à Neſtorio doceri conqueritur. Hoc illi ut revocet ſuadet Cyrillus eâ epiſtolâ, quam fuiſſe à Concilio ſolemniter approbatam nemo negat. Hac denique præcipuè de cauſâ Neſtorium Synodus damnavit, ut ex iis quæ damnationem præceſſerunt ſatis patet. Quare nihil eſt quod minori cum Romanæ ſedis, totiuſque Ephiſinæ Synodi reverentiâ negari poſſit, quam B. Virginem eſſe Dei-param.

Obſervat tamen Facundus quoſdam Catholicos, ſuo etiam tempore, id improbaſſe. *Inſinuandum*, inquit (a), *eſt quod hanc quoque confeſſionem, qua B. Mariam verè & propriè dicimus Matrem Dei, quidam etiam communicantes Eccleſiæ putent non debere ſuſcipi. Ad quæ* Sirmondus. *Tametſi de Mariâ Virgine, quin verè & propriè dicenda ſit Dei-para,* θεοτόκος, *ambigere inter Catholicos integrum non erat poſt Synodum Epheſinam, quæ liquidò id ſanxit contra Neſtorium, non defuiſſe tamen qui de eâ voce his temporibus immeritò contenderent, præter Facundum oſtendit ex Juſtiniani literis Joannes Papa in eadem epiſtolâ ad Senatores.*

(a) Fac. lib. 1. cap. 4.

Rectè iſtud Sirmondus, ſic enim ait in eâ epiſtolâ Joannes II. *Juſtinianus ſiquidem Imperator filius noſter, ut ejus epiſtolæ tenore cognoviſtis, de his tribus quæſtionibus orta certamina fuiſſe ſignavit.... An propriè & veraciter mater Dei noſtri Chriſti Maria ſemper virgo debeat appellari.*

Nec eſt quòd dicas ex ipſo Facundo (b) Catholicos iſtos veneratos eſſe Synodum Epheſinam. Potuerunt illam in aliis venerari, in hoc illi repugnare. Nonne Gregorius I. multoties dixit ſe quatuor prima Concilia ut quatuor Evangelia venerari? Canones tamen Conſtantinopolitanos, Epheſinos, & Chalcedonenſes non admittebat. Simile aliquid facere Catholici iſti potuerunt. A R-

(b) Fac. lib. 1. cap. 6.

ARTICULUS II.

Duodecim Cyrilli anathematiſmos, & Epheſina Synodus, & Celeſtinus probarunt.

SEd en tibi aliquid graviùs, & quo quæſtionem iſtam profligari ingenui omnes mecum agnoſcent. Cyrilli anathematiſmi, de quibus dixi, fuerant jam in anteceſſum à Celeſtino probati, quo ſcilicet tempore Neſtorio præceperat, ut cum Alexandrinâ Eccleſiâ in poſterum ſentiret. Fuerunt rurſus ab Epheſinâ Synodo confirmati. Lectos in eâ fuiſſe nemo dubitat. Approbatos pariter fuiſſe non ambigebat Chriſt. Lupus quo tempore Conciliorum acta illuſtrabat, ſic enim ait (c.) *Reſpondeo capitula* (ſic anathematiſmos vocat) *eſſe omnino probata, & per Romanam Eccleſiam, & per Epheſinam Synodum, & quidem in judicio contradictorio.* Sed aliquanto pòſt ſententiam mutavit. Cum enim ederet vetuſtum Codicem, quo continentur epiſtolæ Epheſini Concilii occaſione ſcriptæ, quæſtionem iſtam de novo expendit, & longè aliter determinavit. Negavit approbatam eam epiſtolam fuiſſe, cui anathemathiſmi annexi ſunt, ſed alteram duntaxat ab hac diſtinctam. Similia habet Lud. Du Pin in hiſtoriâ Concilii Epheſini, ſimilia Garnerius in Liberatum cap. 6.

(c) *Lup. tom.* 2. *pag.* 422.

Ego longè aliter ſentio. Plurima in his certa ſunt, & vel ex Actorum lectione ſatis patent. Certum I. non unam Cyrilli epiſtolam, ſed duas, eamque nominatim de qua agitur, lectas in Concilio fuiſſe. Teſtantur hoc acta pag. m. 263. nec iſtud quiſquam negat. Certum II. neminem in totâ Synodo quicquam in eâ epiſtolâ culpaſſe, contrà quæſitum

quid Neſtorius reſpondiſſet. Certum III. juſſum fuiſſe ut epiſtola in acta referretur. Certum IV. act. 2. lectâ Celeſtini epiſtolâ omnes Epiſcopos acclamaſſe, *Hoc juſtum judicium. Novo Paulo Celeſtino, novo Paulo Cyrillo, Celeſtino cuſtodi fidei, Celeſtino cum Cyrillo concordi, Celeſtino univerſa Synodus gratias agit. Unus Celeſtinus, unus Cyrillus, una fides Synodi, una fides orbis terrarum.*

Sufficerent iſta fortaſſe ad oſtendendum approbatam illam epiſtolam fuiſſe, ſi non ita ut ſingula ejus verba fidei norma deinceps eſſent, ſaltem ut hæreſi carere agnoſceretur. Sed quod longè gravius eſt, quodque non fuiſſe à Lupo ac Dupino obſervatum valde miror, tota Synodus in relatione ſuâ ad Theodoſium ſic ait. *Ac principio quidem Cyrilli religioſiſſimi, ſanctiſſimique, epiſtolas de fide conſcriptas,* τὰς περὶ τῆς πίστεως ἐπιστολάς, *cum hac expoſitione* (Symbolo Nicæno) *contulimus, collataſque dogmatibus ac ſententiis conſentaneas comperimus, nec ullâ in re doctrinam ejus à pia illâ expoſitione diſcrepantem.* Vide ut non de unâ, ſed de duabus ad minimum Cyrilli epiſtolis Patres loquantur, quarum alteram hanc eſſe, de qua dicimus, nemo negabit, cum nonniſi duæ lectæ fuerint. Aiunt tamen collatas illas cum Symbolo Nicæno, illique conſentire, & nulla in re diſcrepare compertas. Quid dici apertiùs potuit?

Aliud momentum accedit, inde ſumptum quòd cum Joannes Antiochenus Cyrilli anathematiſmos damnaſſet, ipſumque eâ de cauſâ Cyrillum depoſuiſſet, fuerit ille propter id ipſum à Synodo degradatus. Notanda cumprimis hæc verba ex relatione ad Theo-
pag. m 349. doſium. *Quæ temerè, vaneque fuerant nugati, & contra omnem Canonum ordinem adverſus Cyrillum ſanctiſſimum Archiepiſcopum, & adverſus Memnonem piiſſimum Coepiſcopum noſtrum ſcripto mandaverant, ea irrita, & prorſus vana eſſe judicavimus. Etenim*

ju-

judicium quod lege & juſtitiâ nullâ ex parte nititur, aliud nihil eſt, niſi merum convicium. Qui latam adverſus anathematiſmos ſententiam damnant, iniquam, atque irritam pronunciant, nonne eo ipſo anathematiſmos approbant, atque confirmant?

Nihil ergo nimium Cyrillus dixit cum hæc ad Theodoſium ſcripſit; *Fidei namque meæ rectitudini teſtimonium perhibuit & Romana Eccleſia, & ſancta quoque Synodus ex univerſo orbe congregata. Quòd enim nullâ ex parte ab Evangelicâ & Apoſtolicâ traditione aberraverim, immò quòd rectam, minimeque obliquam ſacrorum dogmatum ſemitam teneam, & poſtea quàm epiſtolas quas ad Neſtorium perſcripſeram, legiſſent, communi ſententiâ confeſſi ſunt omnes, & quidem ſcripto in ipſâ fide monimentorum, rerumque geſtarum.*

Non erravit Joannes Antiochenus, non errarunt reliqui Orientales Epiſcopi illi adhærentes, qui id ipſum in editis à Lupo epiſtolis millies teſtantur, eaque præcipuè de cauſâ Synodum Epheſinam execrari ſe profitentur.

Non erravit Liberatus, cujus hæc ſunt (d). (d) *Lib. Brev. cap. 6.* *Joannes Antiochenus cognoſcens ita acta quæ ſuprà diximus, & poſt hæc quæ geſta fuerant in damnatione Neſtorii, & illa duodecim capitula Cyrilli in ipſo Concilio ſuſcepta & confirmata, indignabatur valde contra Cyrillum tanquam ſeditionis authorem.*

Non erravit Vigilius in decreto adverſus Ruſticum & Sebaſtianum. *Synodicam*, inquit, *beatæ recordationis Cyrilli epiſtolam ad Neſtorium, cum duodecim capitulis S. Synodus Epheſina I. ſuſcepit, & beata Chalcedonenſis Synodus ad convincendas Neſtorii veſanias in definitione fidei legitur poſuiſſe.*

Non erravit Facundus, qui ſic ait (e). (e) *Fac. lib. 7. cap. 5.* *Cum poſt damnationem ipſius Neſtorii, Orientales Epiſcopi, atque ipſe reverentiſſimus Ibas, cum S. Joanne Antiocheno*

Ephe-

Epheſum pervenirent, de capitulis tantum B. Cyrilli, quod ibi fuerint approbata conqueſti ſunt, ſicut eorum ſcripta declarant.

Non erravit Gregorius II. in profeſſione fidei ad Germanum CP. tranſmiſſâ. *Hunc S. Cyrilli anathematiſmum cum reliquis omnibus anathematiſmis recepit tertia ſancta ac Oecumenica Synodus, quo ſenſu Sanctus ediderat. Manifeſtum enim eſt SS. Patres in dictâ S. Synodo congregatos totam tertiam dicti Patris epiſtolam adverſus impium Neſtorium Epiſcopum CP. ſcriptam, abſque ullâ retractationis hæſitatione ſuſcepiſſe. Scimus autem extremam dictæ epiſtolæ partem dictos duodecim anathematiſmos continere.*

Sic quantamcunque auctoritatem Concilium Epheſinum habuit, tantam Cyrilli anathematiſmi habuerunt. Cumque Epheſini Concilii acta à Celeſtino approbata, & confirmata fuiſſe adverſarii haud quaquam negent, quinimo pro virili parte contendant, manifeſtum eſt non potuiſſe hoſce Cyrilli anathematiſmos ſalvâ Romani Pontificis poteſtate damnari.

Id verò clariùs adhuc patebit obſervanti fuiſſe iſtos inſuper à Celeſtino ſpecialiter approbatos, quemadmodum agnoſcit ipſe Lupus, ſic enim ait (f). *Et quidem quod Celeſtinus Pontifex, ac Romana Eccleſia comprobaverint capitula, non eſt dubitandum. Etenim in opuſculo, quo blaſphema S. Cyrilli capitulis oppoſita Neſtorii capitula refutat Marius Mercator præfatur,* Epiſcopis Cyrilli capitula priora poſuimus, quæ Romana Eccleſia approbavit vero judicio, *hoc eſt Synodali, maturo, irrefragabili.* Quare quiſquis Cyrilli anathematiſmos abjecit, is & Epheſinæ Synodi, & Celeſtini, qui tum Synodum, tum ſpeciatim anathematiſmos probavit, auctoritatem proculcaſſe comperitur.

(f) *Lup. in Epiſt. pag. 48.*

AR-

ARTICULUS III.

Cyrilli anathematiſmos, etſi à Synodo & à Celeſtino probatos, multi damnarunt.

ATqui hiſce non obſtantibus anathematiſmos illos abjecere non pauci. Miſſis enim Orientalibus, de quibus poſtmodum, alios Lupus profert ſpectatiſſimæ fidei Patres, qui mentem hac de re ſuam apertiſſimè expoſuerunt. Rem ego totam Lupi ipſius verbis explicabo. Sic igitur ille (g). (g) *Lup. tom. I. pag.* 421.

Domnus Patriarcha palàm Orthodoxus, damnari à Latrocinio (Concilio Epheſino II.) *maluit quàm capitulis conſentire.*

Pergit quibusdam interjectis. *Eadem fuit mens Maximiani pro Neſtorio in ſedem Conſtantinopolitanam ordinati, plurimiſque per Celeſtinum Pontificem encomiis ornati, de quo, ac ejus Synodo Liberatus Diaconus:* Scripſerunt & Epiſcopi Conſtantinopoli Cyrillo, quia amicitiarum modum, & pacem Eccleſiarum ſanctarum non aliter fieri conveniret, niſi omnia, quæ ab ipſo in cauſſâ ſcripta ſunt epiſtolis, & tomis, & libris evacuentur. *Et infrà.* Culparunt Joannem Antiochenum, cur à Cyrillo non expetierit capitulorum damnationem.

Gennadium Anatolii in ſede eadem poſt Concilium Chalcedonenſe ſucceſſorem quis eſſe neſciat & orthodoxum, & ſanctum? Ejus merita & miracula refert in collectaneis Theodorus Lector. Ejuſdem tamen in Cyrilli capitula invectivas audiamus à Facundo Hermianenſi. Væ mihi à malis! Heu, heu! Unde enim quiſquam in præſenti aliunde ſumat exordium? Quales Cyrilli Ægyptii, & quantas blaſphemias incurri!

Quis

Quis revera det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Quoniam extendit lingua ejus mendacium, & non fidem. Væ malo Alexandriæ familiari ejus, & proprio jam iſti ſecundo. *Alludit ad Cyrilli patrum, & in ſede Alexandrinâ proximum anteceſſorem Theophilum, ejuſque in S. Joannem Chryſoſtomum violentias. Dicit hunc tentare in ipſam fidem orthodoxam quod ipſe perfecit in innoxiam perſonam, & pergit:* Omnem ſupereminentem blaſphemiam jaculatus eſt adverſus SS. Patres, adverſus eorum priores Apoſtolos, adverſus ipſum Salvatorem in reſurrectione meditatus eſt. Adſumptam quidem humanitatem ex nobis, & pro nobis injuriat. Divinam ejus naturam impaſſibilem paſſionibus ſubjacere contendit, quod ſexto capitulo dicat ipſum Deum Verbum eſſe paſſum carne. *Impugnat Gennadius & primum capitulum, quo Deus Verbum adſeritur carnaliter natus ex Virgine, & exclamat:* Anathematizaturus te eſt Deus, paries dealbate. Juſtiſſimum enim eſt te ſimiliter Ananiæ Judæorum Principi Sacerdotum linguam adverſus Chriſti diſcipulos moventem, ſimilem ab eis indignationem experiri.

Pergit quibuſdam interjectis Lupus. *De Joanne item Antiochena Eccleſiæ Presbytero ſcribit in Catalogo Gennadius Maſſilienſis.* Impugnat aliquas Cyrilli Alexandrini ſententias, docens incautè ab illo prolatas adverſus Neſtorem, quæ nunc fomentum ſunt, & robur addunt Timotheanis.

Et apud Photium in Bibliothecâ Baſilius Cilix ejuſdem Eccleſiæ Presbyter ſub Anaſtaſio Auguſto, & Flaviano ſecundo Patriarchâ, impugnat libros Joannis Scythopolitani, & capitula Cyrilli, præſertim duodecimum.

Etiam ab Acacio Berrhœenſi Epiſcopo, iſtius ſeculi ſummo luminari, fuiſſe improbata gloriatur Theodoretus in literis ad Domnum Patriarcham Antiochenum.

Ex-

Extrema hæc de Acacio Berrheenſi verba lucem accipiunt ex epiſtolis de quibus ſuprà, ab iſto Lupo aliquanto pôſt vulgatis, ex illis etenim patet Acacium iſtum, qui propter ſenium Epheſum accedere non potuit, ab Imperatore Theodoſio conſultum quid factu opus eſſet ad componendas Cyrilli & Joannis Antiocheni circa Neſtorium lites, reſpondiſſe utrumque, & Cyrillum, inquam, & Neſtorium amovendos, idque Conſilium Theodoſio mirè placuiſſe, etſi aliquanto pôſt aliud inierit.

Addendus iſtis omnibus Iſidorus Peluſiota, de quo Garnerius (h). *Cum ex Oriente didiciſſet quo haberentur loco capitula, poſt animos à Theodoreto commotos, Cyrillum admonuit de cavendo unius naturæ errore, retinendaque Athanaſii de duabus naturis inconfuſis doctrinâ. Admonuit, inquam, verbis, quæ ut ab errante zelo oriebantur, ita acrimoniæ multum habebant, parum decori.* (h) Garn. in Hiſt. Theodor. cap. 4.

Reſpicit ad epiſtolam libri I. 323. quæ ſic habet. *Cum multa Scripturæ teſtimonia, tum multa cum actione conjuncta contemplationes veram Dominicæ Incarnationis doctrinam certiſſimè nobis declarant, etiamſi mentis ac linguæ noſtræ vim & facultatem hoc myſterium excedat. Quod autem verus, ac rerum omnium ſummus Deus homo verè factus ſit, nec ab eo quod erat demigrans, & quod non erat aſſumens, ex duabus naturis unus filius exiſtens, ortûs ac finis expers, recens & ſempiternus, ne ipſe quidem inficias ieris, ut qui plurimas de his rebus ſancti Patris noſtri magni Athanaſii comprobationes habeas, hoc eſt ejus viri, qui ad divinarum rerum intimos ſinus eximiè penetravit.*

Hæc ille, in quibus eam, quam Garnerius ſuggillat, acrimoniam, atque immodeſtiam, non obſervo. Sed ut ut ſit de eo, quod noſtra parum refert

fert, habemus ex Veteribus multos, orthodoxiæ laude florentiſſimos, quibus non obſtante & Romanâ, & Epheſinâ approbatione, Cyrilli anathematiſmi ſummopere diſplicuerunt, & exiſtimati ſunt erroribus ſcatere. Quî hoc ſi Romanus Præſul errare non poſſe putabatur?

ARTICULUS IV.

Tota Orientis Diœceſis Epheſinum Concilium diu abjecit.

ULteriùs progreſſi ſunt Orientales Epiſcopi, numero ducenti, qui non iſtos duntaxat Cyrilli anathematiſmos, ſed univerſam Synodum Epheſinam, quamvis totâ Romani Pontificis auctoritate munitam, diu rejecerunt, & in quinquaginta, aut circiter, diverſis conventibus adverſus illam proteſtati ſunt, ut ex vetuſtis illis epiſtolis, quas Chriſtiani Lupi beneficio habemus ſatis patet.

Noli autem exiſtimare hæreticos iſtos fuiſſe, & Neſtorii labe infectos. Ita quidem nonnulli ſuſpicati ſunt, hac præcipuè de cauſâ, quod à Neſtorio decepti, non exiſtimarent illum ita ſentire, ut revera ſentiebat, eaque de cauſâ ſententiæ in eum latæ ſubſcribere nollent. Sed ut ut ſit errores ejus deteſtabantur. Sic de Joanne Antiocheno Orientalium Anteſignano exertè Lupus (i). *Joannes*, inquit, *nunquam blaſphemia, ſed ſoli Neſtoriana, innoxiam credens, perſonæ favis.*

(i) *Lup. in epiſt. pag.* 71.

Patet hoc eâ Orientalium iſtorum confeſſione, quam idem, quem dixi, Lupus edidit. Sic illa habet. *Confitemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, Deum perfectum, & ho-*

hominem perfectum ex animâ rationali & corpore ante ſecula quidem ex Patre natum ſecundum Deitatem, in fine verò dierum eundem propter nos, & propter noſtram ſalutem de Mariâ Virgine ſecundum humanitatem: Conſubſtantialem Patri eundem ſecundum Divinitatem, & Conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem. Duarum verò naturarum unitio facta eſt, propter quam unum Chriſtum, unum Dominum, unum Filium confitemur. Secundum hunc inconfuſæ unionis intellectum confitemur ſanctam Virginem Dei genitricem, propter quod Deus Verbum incarnatus eſt, & in humanitate, & ex ipſâ conceptione ſibimet univit templum, quod ex ipſâ ſuſcepit.

Quid puriùs, quid rectiùs, quid ab hæreſi Neſtorianâ magis abhorrens fingi poteſt? Atqui non tunc tantùm cum poſt tantas altercationes pax inita eſt, hanc confeſſionem Orientales ediderunt, ſed ipſo ferè concertationum initio. Quare candidè & ingenuè Lupus (k). *Synodalem Joannis Antiocheni Epiſtolam, quâ Epheſinam fidei definitionem, Neſtorii damnationem, ac ſucceſſoris Maximiani ordinationem admiſit, atque ita cum S. Cyrillo, & omni Eccleſiâ pacem fecit, omnes huc uſque credidimus fuiſſe ex integro novam, ſcriptam iſto tempore. Erravimus. Etenim ejus pars eſt dudum anterior, utpote pars præſentis relationis. Uti Joannes Cyrillum de Apollinario atque Eunomio, ita hic illum frequenter accuſavit de Neſtorio. Hinc dum pacem inierunt, neuter conſtanter voluit erraſſe in dogmate, aut opere; uterque voluit alterius acta & ſenſa duntaxat non plenè intellexiſſe. Hinc uti Cyrillus ſua capitula anathematizare conſtantiſſimè detrectavit, ita & ille, nec quoad apicem voluit à ſuis ſcriptis retrocedere. Proinde iſtam ipſam fidei profeſſionem, quam in medio litigii æſtu ad Principem miſerat, voluit admitti in pacem, & à Cyrillo confirmari. Et cum omni ſuâ Diœceſi Cyrillus libenter admiſit & confirmavit.*

[k] *Lup. ibid.*

Hæc

Hæc Lupus verè quidem, ſed non ſat plenè. Addendum erat tunc cum inita pax fuit hoc fuiſſe Cyrillum inter, & Joannem, reliquoſque Orientales diſcrimen, quòd iſti profeſſionis illius, quam in ipſis concertationibus ediderant, ne voculam quidem retractare, imò ne interpretari quidem, coacti ſint; Cyrillus contrà anathematiſmos ſuos ita emollire debuerit, ut retractaſſe innumeri putarint. Illi rurſus anathematiſmis, etiam emollitis, non ſubſcripſerint, ſubſcripſerit autem Orientalium confeſſioni Cyrillus. Docet nos ea omnia Facundus (l). *Hinc*, inquit, *creditus eſt B. Cyrillus non rectam priùs in ſuis capitulis tenuiſſe ſententiam, ſed admonitione Orientalium poſtea eſſe correptus, quoniam cum ipſa unitas Eccleſiarum fieret, non Orientales Patres ejus capitulis ſubſcribere compulſi ſunt, ſed ipſe potiùs expetitus eſt directa ſibi ab eis confeſſioni ſubſcribere. Ipſamque capitulorum ſuorum retractationem non ideo eum poſt Epheſinam Synodum feciſſe aliqui crediderunt, ut quæ clauſa quibuſdam fuerant panderentur, & quæ videbantur obſcura clareſcerent, ſed potiùs ut priſtinum in eis emendaret errorem, quòd putabatur, ſicut adhuc Eutychiani putant, quòd unam in eis dixerit Chriſti naturam. Hinc ergo contigit ut converſione B. Cyrilli facta unitas crederetur. Et revera cui non ſurriperet iſta ſuſpicio (de humanis cordibus loquimur, & humana corda geſtamus) cum nihil Orientales Patres, qui hæc capitula corrigenda judicaverunt, corrigere cogerentur, B. autem Cyrillus non ſolùm fidei confeſſioni, quam ſicut neceſſarium crediderunt illi dictaverant, expetitus antè ſubſcriberet, ſed etiam ipſa ſua capitula retractaret.*

(l) *Fac. lib. 6. cap. ult.*

Nec eſt prætereundum id quod Lupus & Garnerius obſervant, jam ante Epheſinam Synodum, & ſtatim poſt acceptas Celeſtini literas ſcripſiſſe ad Neſtorium Orientales, ut errores ſuos recantaret. *Joan-*

Joannes Patriarcha Antiochenus, inquit Lupus (m), *etiam exeruit omnes ſua eloquentiæ vires. Collegit & ipſe ſuæ Diœceſeos Synodum literas Apoſtolicas publicavit, eiſque edixit ab omnibus obediendum. Neſtorium deturbatis Eccleſiis, & negatâ, quam omnis ſemper agnovit orthodoxa antiquitas, voce Dei-para, graviter arguit, hortatus ad matura cum viris cordatis, quibus detur plena effandi libertas conſilia, & ad imperatam à Romanâ Eccleſiâ palinodiam, non futuram ignominioſam nupero exemplo communis magiſtri Theodori Epiſcopi Mopſueſteni.* (m) Lup. tom. I. pag. 392.

Semper igitur Orthodoxi Orientales iſti fuerunt. Audiatur ipſe Celeſtini ſucceſſor Sixtus, poſt initam pacem hæc ad Cyrillum ſcribens. *Non ſe exuli veſtro* (Neſtorio) *ſanctus frater noſter Joannes addiderat: non ejus blaſphemâ prædicatione deceptus. Nam quantum rerum exitus docet, ſuſpendit ſuam ſententiam, non negavit: nam quid in inventorem malorum poſſet aliud judicare, niſi quod probatur ipſe per Sacerdotes ſuos, cujus agebatur cauſa, ſentire?*

Audiantur Chalcedonenſis Synodi Patres, hæc in ſuâ ad Marcianum A. relatione ſcribentes. *Sapientiſſimus Joannes Antiochenus Epiſcopus, qui hæreticorum maledicta repellens, & Apoſtolicæ doctrinâ rectiſſimum dogma declarans, totius Orientis confeſſionem velut ex uno ore ſanctiſſimo Proclo, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, deſtinavit.*

Audiatur denique H. Noris (n). *Rejeciendus planè eſt Ricciolius, in cujus Catalogo Præſulum Antiochenorum part. 1. tom. 3. Chronol. ita legitur.* Joannes hæreticus 427. *Fuit enim Joannes Orthodoxus, ut datis ad eundem literis Sixtus Papa, Cyrillus, ac Proclus oſtendunt.* [n] Nor. Hiſt. Pel. lib. 2. cap. 9.

ARTICULUS V.

Expenditur reſponſum quo obſervatorum pleraque diluere tentavit Chriſt. Lupus.

QUi hæc ſibi objecerit nemo mihi præter Lupum hactenus viſus. Iſte verò jejunè admodum reſpondet. Sic enim ait (o). *Reſpondeo Epheſinam Synodum ab Epiſcopis Orientalibus judicatam fuiſſe, non legitimam & plenam, ſed mancam, & varie vitioſam, utpote factam ſine Patriarchâ Antiocheno, ſine debito examine, & per humanos affectus & corruptiones, ad inſtar conventûs Seleucienſis, aut Ariminenſis, ſeu latrocinii Epheſini, in quo ſub Religionis prætextu & vulnere privatas injurias novimus vindicatas.*

[o] Lup. tom. 1. pag. 426.

Sed in hoc reſponſo duo obſervanda. Alterum quod id totum argumentum non attingit. Hoc nos non ex eo tantùm petimus; quòd Epheſinam Synodum multi abjecerint, ſed ex eo quoque quòd Celeſtini de Cyrilli anathematiſmis judicio non acquieverint. Id nos ſuprà planum fecimus. Quicquid ergo de Synodo Epheſinâ cenſerent, iſti certè Celeſtinum errare neſcium haudquaquam exiſtimabant, quandoquidem approbatos ab eo Cyrilli anathematiſmos erroribus ſcatere arbitrabantur.

Alterum quod in iſto Lupi reſponſo obſervatione digniſſimum mihi videtur, hoc eſt, quòd ſic reſpondendo dat manus. Exiſtimarunt ergo Veteres illi Synodi illegitimæ, variè vitioſæ, ſine debito examine, & per humanos affectus ac corruptiones, atque adeo perperam procedentis & quod caput eſt malè circa fidem decernentis, & meras hæreſes appro-

probantis, acta & ſtatuta poſſe à Romanâ ſede ſuſcipi ac confirmari.

Hoc ſi mihi detur, quæ controverſia adhuc ſupereſt? Quid ego ampliùs poſtulo? Nonne id habeo quod extorquere Adverſariis totâ hac diſputatione allaboro, hoc ſcilicet, quòd ignota Veteribus fuerit Romani Præſulis poteſtas errare neſcia? Quo enim pacto agnoviſſe illam dici poſſunt, qui errantis, ac malè decernentis Synodi geſta approbari ab illo poſſe non dubitabant?

OBSERVATIO VIII.

Id ipſum Eutychianiſmi hiſtoria multipliciter oſtendit.

I. Damnatus à Flaviano, ejuſque Synodo, *Sec. V* Eutyches, Romani, Alexandrini, Hieroſolymitani, & Theſſalonicenſis Epiſcorum Concilium appellavit. Tum ad Leonem nominatim querelas ſuas detulit. Iſte re diligenter excuſſâ Flaviani judicium approbavit, nobili illâ ad ipſum Flavianum epiſtolâ, qua vix quicquam aut elegantius, aut accuratius, habent Eccleſiaſticæ tabulæ. Finita tunc lis videbatur, & erat profectò ſi tunc temporis ſumma fuit, Romani Pontificis poteſtas. Sed longè aliter Veteres cenſebant. Ut à Flaviano ad Leonem, ſic à Leone ad Concilium Eutyches provocavit, ejuſque provocationi, ut vidimus, ita omnes detulerunt, ut eâ ſolùm de cauſâ coactum fuerit Concilium Epheſinum II.

II. In iſto verò Concilio abſolutus Eutyches, damnatus Flavianus fuit. Quî fieri iſtud potuit, ſi

perſuaſum omnibus erat non poſſe Romanam ſedem errare? Dices perperam proceſſiſſe Concilium iſtud, & Dioſcori fraudibus circumventum fuiſſe. Fuit, fateor, & res id ipſa clamat. Sed quæro qua ratione omnia pro lubitu adminiſtrare, & Epiſcopos omnes, quà voluit, ducere Dioſcorus potuerit, ſi perſuaſum omnibus erat Orthodoxum eſſe Flavianum, hæreticum Eutychem, ut fuit, ſi errare non potuiſſe Leonem omnes ſciebant?

Dices rurſus obſtitiſſe Dioſcorum ne Leonis literæ in Concilio legerentur. Scio, ſed an obſtare potuit ne quid Leo pronunciaſſet quiſquam ſciret? Nonne omnibus notum & exploratum id erat? Nonne Flavianus, nonne Leonis Legati id omnibus dicebant? Nonne eâ de cauſâ convocatum Concilium fuerat?

III. Soluto Concilio, atque *auditis*, inquit Lupus, (a) *Renato Presbytero, ac Hilaro Diacono, Legatis ſuis, totius Italiæ Synodum coegit S. Leo, omniaque Dioſcori acta, exceptis Domni Antiocheni dejectione, & Maximi ſucceſſoris ordinatione, caſſavit, jubens tumultuoſum & miſerabilem conventum, non Epiſcopalem Synodum, aut Eccleſiaſticum Concilium appellari, ſed latrocinium Epheſinum. In literis ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum ait illic læſam & fidem, & juſtitiam. . . . Ante omnia caſſavit Pontifex Eutychiani erroris, & perſonæ approbationem.* Acquieſcendum ſaltem his erat, & conclamata videbatur poſt tam ſolemne judicium Eutychis cauſa, ſaltem ſi eadem apud Veteres erat, quæ nunc apud Adverſarios eſt, Romani Præſulis poteſtas. Atqui longè aliter evenit. Primùm enim Leoni roganti aliam Synodum in Italiâ celebrari, à qua poſſent quæ tam perverſè Epheſi geſta fuerant, emendari, negavit Theodoſius, ac reſpondit *acta omnia Epheſi ſecundum canones cum multâ libertate, & integrâ veri-*
rita-

(a) Lup. in Conc. tom. 1. pag. 513.

ritate, & indignos Sacerdotio ritè remotos, præſertim Flavianum auctorem & principem læſibilis novitatis, & contentionis. Qua fronte dici hoc potuit, ſi Leo errare non poſſe putabatur? Clamabat ille hæreſim in eo Concilio ſtabilitam, & non poſſe malè pronunciare credebatur ab iis, qui quæ ille ut hæretica damnabat integrâ veritate decreta fuiſſe contendebant?

IV. Ad hæc Epiſcopi inter Epheſini Concilii, quantumvis vitioſi, & Leonis judicia fluctuarunt, quibuſdam uni, reliquis alteri adhærentibus. Teſtis Liberatus (b). *Soluto*, inquit, *illo Concilio* (Epheſino) *& ad ſuas ſedes reverſis Epiſcopis, ſciſſio facta eſt inter eos, qualis antea nunquam contigerat. Ægyptii, Thraces, & Palæſtini Epiſcopi Dioſcorum ſequebantur; Orientales, Pontici, & Aſiani ſanctæ memoriæ Flavianum, quod ſchiſma permanſit uſque ad obitum Theodoſii Principis.* Quî contingere iſtud potuit ſi certum apud omnes fuit ſtandum ſemper & in omnibus Romani Epiſcopi judicio?

(b) *Lib. brev. cap.* 12.

V. Mortuo Theodoſio Chalcedonenſem Synodum Marcianus convocavit. In eâ verò, ut alibi obſervatum, multis viſa eſt Leonis epiſtola, partim Neſtorio, partim Eutycheti favere, & nonniſi poſt longum, & accuratum examen admitti potuit.

VI. Tota verò Synodus can. XXVIII. pronunciavit Concilii Conſtantinopolitani Patres ſedi Conſtantinopolitanæ æqualia cum Romanâ ſede privilegia conceſſiſſe. Ignorabat primum ac præcipuum Romanæ ſedis privilegium eſſe judicium erroris expers. Non enim exiſtimandi ſunt tam ſtupidi, ne quid nunc gravius dicam, fuiſſe, qui in eâ Patres ſedebant, ut à Concilio quolibet dari poſſe infallibilitatem putarent.

VII. Aliquanto poſt iſtam Synodum accidiſſe

exiſtimatur quod narrant Dioſcorus Presbyter, & Cheræmon Lector, Alexandrinæ Eccleſiæ Apocriſiarii, in libello Anaſtaſii II. Legatis Conſtantinopoli tradito, quem edidit Baronius ad annum 497. *Eutychete*, inquiunt, *impiiſſimo contra fidem, quæ à beatiſſimis Apoſtolis prædicata eſt, ſentiente, & docere tentante, contigit per idem tempus Sedis Apoſtolicæ Præſulem tunc Leonem literas ad Chalcedonenſe Concilium deſtinare, quarum fuere interpretes hi, qui cum Theodoreto Cyrorum civitatis Epiſcopo tunc fuerant Neſtorianæ hæreſis ſectatores: & contra eam fidem, quæ à venerabilibus trecentis decem & octo Patribus eſt edita, ſuprà memoratæ literæ probantur exiſtere. Et non parvas occaſiones his, qui ejuſdem nefandiſſimi Neſtorii blaſphemias vindicant, præſtiterunt, ita ut licentiùs adſeverent eundem Neſtorium minimè perverſa ſenſiſſe. His igitur cauſis Deo amabilis populus noſter offenſus eſt, & de Græcâ tranſlatione arbitratus in Latino quoque ſermone eundem ſenſum contineri, ac ſeſe ab unitate Romanæ diviſit Eccleſiæ. Nec non etiam Romanus Antiſtes exiſtimans nos contra eam fidem, quæ tradita eſt à beatiſſimis Apoſtolis, conſpiraſſe, à noſtrâ ſe communione ſuſpendit.*

Eò reſpicere meritò exiſtimat Lupus (c) Leonem ipſum, dum ſequentia ad Marcianum A. ſcribit (d). *Quia quorundam hæreticorum verſuta nequitia ad conturbandam aliorum ſimplicitatem Epiſtolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flavianum dedi, falſaſſe perhibetur, ut commutatis quibuſdam literis, vel ſyllabis, receptorem me Neſtoriani erroris aſſereret, obſecro venerabilem Clementiam veſtram, ut eandem epiſtolam per venerabilem fratrem meum Julianum Epiſcopum, vel eos quos idoneos ad hoc opus Pietas veſtra delegerit, in Græcum ſermonem jubeatis integrè diligenterque tranſlatam per idoneum latorem ſub veſtri ſignaculi impreſſione deferri, tradendamque Judicibus* A-

(c) Lup. in Conc. tom. I. pag. 919.
(d) Leo epiſt. 69.

Alexandrinis, qui eam Clero & plebi ipſius civitatis faciant recitari, ut agnoſcant ſe fallacium hominum fraude ulteriùs decipi non debere, & probentur Apoſtolicæ ſedis ſinceri eſſe Diſcipuli, apud quam nec Eutyches, nec Neſtorius ullum obtinent locum, quia ſicut alios hæreticos, ita & iſtos, Eccleſia univerſalis damnavit.

His Leonis illa Alexandrinorum Apocriſiariorum, & illuſtrantur, & confirmantur. Ut ut ſit Alexandrini illi, qui ſe à Leonis communione eâ de cauſâ ſubduxerunt, quòd ejus epiſtola, quam falſatam eſſe neſciebant, Neſtorio faveret, palàm oſtenderunt, non exiſtimare ſe illum errare prorſus neſcium, pluriſque apud ſe eſſe Epheſini Concilii, à quo damnatus Neſtorius, quam Leonis auctoritatem.

VIII. Longè triſtius Eccleſiæ diſſidium Anaſtaſii temporibus fuit. Id his verbis evagrius deſcribit (e). *Chalcedonenſis Synodus iis temporibus nec palàm prædicabatur in ſanctiſſimis Eccleſiis, nec omnino rejiciebatur. Singuli enim earum Præſides, prout ipſis viſum fuerat, agebant. Et nonnulli quidem eorum cuncta quæ in illo Concilio expoſita fuerant, pertinaciſſimè defendebant, nec in ejus decretis vel unam ſyllabam remittere, ac ne unius quidem literæ mutationem admittere ſuſtinebant; ſed magnâ cum fiduciâ recedebant ab iis qui decreta illius Concilii minimè ſuſciperent, nec illis communicare ullo modo ſuſtinebant. Alii verò Chalcedonenſem Synodum, ejuſque decreta, non modò non ſuſcipiebant, verùm etiam illam unà cum Leonis epiſtolâ ſub anathemate damnabant. Alii Zenonis Henotico mordicus inhærebant: idque tametſi inter ſe diſſiderent de unâ, aut de duabus naturis: hi quidem compoſitione Imperialium literarum decepti: illi verò paci & concordiæ magis ſtudentes. Adeo ut totius orbis Eccleſiæ in varias factiones diviſæ eſſent,*

(e) *Evag. lib. 3. cap. 30.*

ac ne Antiſtites quidem ſibi mutuò communicarent. Hinc multa diſcidia in Orientis & in Occidentis partibus, & per Africam extiterunt, cum nec Orientales Epiſcopi Occidentalibus & Afris ſociarentur, nec iſti viciſſim coirent cum Orientalibus. Quin etiam ad majorem abſurditatem res progreſſa eſt. Nam nec Orientales Antiſtites inter ſe ipſi communicabant; nec Occidentales item, nec Afri, inter ſemetipſos communionem fovebant, nedum cum peregrinis & extraneis.

Verùm quo pacto, quæſo, contingere iſtud potuit, ſi & communionis Eccleſiaſticæ centrum, & immota fidei norma paſſim reputabatur Romanus Præſul? Quî fieri potuit ut & à ſe invicem, & ab illo tam multi diſſiderent? Hæretici, inquies, erant quotquot ab illo diſſociabantur. Eſto, & ſi faciliùs iſtud dicatur, quàm probetur. Sed hoc ſaltem omnes mihi concedent; Hæreticus nec eſſe, nec dici quiſquam volebat. Cur ergo à Romani Pontificis placitis diſcedebant, ſi conſtans & certum erat neminem poſſe ab illo citra hæreſim diſſentire? Facile erat errare circa controverſias, quæ tunc temporis fervebant. Habebant illæ admixtum ex Metaphyſicâ nonnihil. Voces, quibus utendum erat, erant valde æquivocæ. Nihil igitur mirum ſi diſſenſiones conſpicerentur. At dubitari non poterat à qua parte veritas ſtaret, ſi certum & exploratum erat Pontificem non poſſe errare. Vel id ipſum igitur quòd tam multæ diſſenſiones ubivis graſſarentur, palàm oſtendit Romani Præſulis infallibilitatem ignotam fuiſſe.

OB-

fidei vocaci

OBSERVATIO IX.

Hoc ipſum rurſus evincit controverſia circa propoſitionem, Unus de Trinitate crucifixus.

DIxerat Proclus Conſtantinopolitanus ſuo ad Armenos Tomo, unum de Trinitate crucifixum. Hoc avidè arripuit Petrus Gnapheus Antiochenus Epiſcopus, & Triſagio addidit. Sed reclamantibus multis res ad Felicem III. Epiſcopum Romanum delata eſt. Hic propoſitionem iſtam, non ut novam, aut ſuſpectam, ut quidam volunt, ſed ut hæreticam damnavit, & quidem duplici de cauſâ. Primùm quòd unus de Trinitate diceretur, quo violari putabatur divinæ eſſentiæ unitas ſumma, & in Tritheiſmum, vel Arianiſmum deſcendi. Secundò quòd crucifixus diceretur qui eſt de Trinitate, quo Theopaſchitarum & Eutychianorum hæreſis firmari exiſtimabatur. *Sec. V.*

Dabo ipſa Felicis ad Petrum verba (a). *At verò tu in Eccleſiâ auſus es dicere quòd unus increatæ atque individuæ Trinitatis paſſionem ſubiit: & per hoc conſubſtantialem quoque ſolvere niteris, ac Deum ſubjicere numero.* Et aliquanto pòſt. *Quâ igitur parte unigenitus Filius eſt conſubſtantialis Patri, unus individuæ Trinitatis, increatus, atque indiviſibilis, impaſſibilis, & immortalis permanſit. Quod ergo increatum, & immortale eſt, creaturæ ne applices, neque Deorum pluralitatem confirmare pergas, dicens unum S. Trinitatis mortuum eſſe.* Et quibuſdam interjectis. *Sed incautè, ut ſerpens Eva, tu ipſe quoque erroris venena*

(a) *Fel. epiſt. 3.*

nena multitudini fidelium, atque auribus infudiſti, traditamque ab Angelis ſanctiſſimam laudationis formam corrupiſti, inſerens illi, Qui crucifixus es pro nobis. *Ergone non advertiſti quòd Paulum Samoſatenum, Photinumque, & Artemium impietate tranſcendis, &c.*

Patet igitur damnatam illam propoſitionem ut hæreticam, ac proinde ignotam Felicis *ex cathedrâ* pronunciantis infallibilitatem iis omnibus fuiſſe, qui iſti judicio non acquieverunt. Atqui fuerunt iſti non pauci. Primùm Conſtantinopolitanæ Synodi Patres, de quibus Victor Tunnonenſis ad Conſulatum Gibbi. *Anaſtaſius Imperator Flaviano Antiocheno, & Philoxeno Hierapolitano Præſulibus Conſtantinopolim Synodum congregat: & contra Diodorum Tarſenſem, Theodorum Mopſueſtenum, cum ſcriptis, Theodoritum Cyri, Ibam Edeſſenum, Andream, Eucherium, Quirum, & Joannem Epiſcopos, cæteroſque alios, qui in Chriſto duas prædicabant naturas, duaſque formas, & qui non confitentur unum de Trinitate crucifixum unà cum Leone Epiſcopo Romano, & ejus Tomo, atque Chalcedonenſi Synodo inferre anathema perſuaſit.*

Aliquanto pòſt, Juſtino ſcilicet imperante Scythæ quidam Monachi Conſtantinopoli degentes, palàm & apertè contenderunt propoſitionem illam ſanam & orthodoxam eſſe. Agebant tunc Conſtantinopoli Hormiſdæ Legati quinque, ad quos iſti Monachi delati damnati ſunt. Ji verò ad Hormiſdam provocarunt, & Romam profecti Pontificis judicium eniхiſſimè petierunt. Hormiſdas poſt diuturnam moram illos ut hæreticos expulit, ut multis ipſe narrat epiſtolâ ad Poſſeſſorem. Ad Juſtinianum verò adhuc Comitem, nondum Imperatorem, qui pro illis ſcripſerat, ſic ait. *Quia gratum nobis eſt ſtudium, quod circa Religionem vos habere declaraſtis, non gra-*

vat prælibare dicendo non opus, ut ſtabilitatem fidei veſtræ intentionis potiùs quàm rationis ſequaces, procaci verborum novitate confundat. Sancta Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus S. unus eſt Deus. Hanc Iſrael juſus adorare, cujus inſeparabilis & indiſcreta ſubſtantia non poteſt dividi, non poteſt ſacrilegâ diſtinctione ſeparari, ſervatâ tamen proprietate ſuâ unicuique perſonæ. Hæc interim commendantes fidei veſtræ, epiſtolas ſtyli terminum cogitantes congruâ credimus brevitate ſufficere &c.

En igitur novum judicium, quo propoſitio damnatur ut hæretica. Sed ne huic quidem judicio Scythæ Monachi ſe ſubjecerunt. Perſtiterunt in priſtinâ ſententiâ, & vel unus ex illis, vel illis ſeſe adjungens, nam de eo non conſtat, Joannes Maxentius Presbyter & Archimandrita, ipſam Hormiſdæ Epiſtolam confutare veritus non eſt. Fingit quidem initio ſe dubitare num Hormiſdæ ea verè ſit. Sed in progreſſu diſputationis audacior factus ſic ait: *Auctorem hujus epiſtolæ hæreticum eſſe, quiſquis ille eſt, & inimicum Catholicæ veritatis, non eſt dubium.... Nam & ipſi hæretici ad hoc ubique hanc ipſam, cui reſpondemus, epiſtolam proferunt, quatenus & omnes quaſi ex auctoritate ejuſdem Romani Epiſcopi prohibeantur Chriſtum Filium Dei unum confiteri ex Trinitate. Sed quis hanc ſententiam Catholicam non eſſe auſus eſt profiteri, quam univerſa veneratur & amplectitur Dei Eccleſia? Confidenter enim dicere audeo, non quòd ſi per epiſtolam, ſed quòd ſi vivâ voce hîc in præſenti poſitus idem Romanus prohiberet Epiſcopus, Chriſtum Filium Dei unum confiteri ex S. & individuâ Trinitate, nunquam eidem Dei Eccleſia acquieſceret; nunquam ut Epiſcopum Catholicum veneraretur, ſed omnino ut hæreticum penitus execraretur. Quia quiſquis hoc non confitetur, non eſt dubium, quòd Neſtorianæ perfidiæ tenebris excæcatus quartum & extraneum à S. & ineffabili*

bili Trinitate eum, qui pro nobis crucem ſuſtinuit, prædicare contendat. Verum tamen ſive ab hoc, ſive à quolibet alio, hæc ſit ſcripta epiſtola, non eſt dubium auctorem ejus eſſe hæreticum, qui contentionem verborum, & ſubverſionem audientium judicat, Chriſtum Filium Dei unum fateri ex Trinitate. An qui ita loquitur Hormiſdam errare neſcium putet, Lectoris eſto judicium. Quare Baronius (b). *Quàm turpiter idem Maxentius auctorem epiſtolæ ad Poſſeſſorem hæreticum fuiſſe mentitur? At quàm manifeſta illa calumnia eſt, qua notam eidem inurit Hormiſdæ, quaſi depravatus à dioſcoro negarit Chriſtum unum de S. Trinitate, &c.*

(b) Bar. ann. 520.

Maxentium iſtum, ejuſque ſodales Scythas Monachos, hæreticis accenſent Baronius. Binius, Sirmondus, ac Cellotius. Sed egregiè iſtos confutant, & Monachos defendunt, ex noſtris Forbeſius (c), ex Adverſariis Henr. Noris Hiſt. Pel. lib. 2. cap. 20. & Nat. Alexander ſec. VI. Diſſ. 2. ita ut nihil addi poſſe videatur. Quare iſtos ſaltem habemus ignotæ Pontificiæ infallibilitatis teſtes.

(c) *Forb. Inſt. Hiſt. Theol. lib.*

Noli tamen exiſtimare ſolos illos fuiſſe qui huic Felicis ac Hormiſdæ judicio non acquieſcerent. Teſtatus eſt aliquot pòſt annis Juſtinianus literis ad Joannem II. propoſitionem illam, *Unus de Trinitate crucifixus*, admitti ab omnibus Orientis Epiſcopis atque Archimandritis. Quare per Legatos illum rogavit ut orthodoxam eſſe pronunciaret. Rem eſſe difficilem perſpexit Joannes, cumque omnes hærerent Anatolius Diaconus Ferrandum Carthaginenſem Diaconum magnâ tunc eruditionis famâ florentem per literas eâ de re conſuluit. Ferrandus rem ad Fulgentium detulit, & aliquanto pòſt ambo reſponderunt rectè dici unum de Trinitate paſſum, ſed ſecuriùs addi, *paſſum carne.*

Quid multa? Joannes propoſitionem admiſit.

Sic

Sic enim Liberatus (d). *Ad quem* (Joannem) *miſſi ſunt ab Imperatore Juſtiniano Hypatius Epheſiorum Epiſcopus, & Demetrius a Philippis conſulere ſedem Apoſtolicam, contra Legatos Acumicorum Cyrum & Eulogium, negantes eſſe confitendum B. Mariam verè & propriè Dei genitricem; & unum de Trinitate incarnatum, carne paſſum. Sed Papa Joannes, nobis ibi poſitis, hoc confitendum epiſtolâ ſuâ firmavit, & Imperatori direxit.*

(d) *Lib. cap.* 20.

Iſthic verò duo obſervanda. I. Felicis ac Hormiſdæ judicio nec Joannem Maxentium, nec Scythas Monachos, nec Orientales Epiſcopos, atque Archimandritas, de quibus Juſtinianus, nes Afros, nec Joannem denique acquieviſſe. II. Joannem ipſum ſuos etiam adverſarios nactum. Teſtatur iſtud Liberatus verbis jam deſcripta immediatè ſequentibus. *Papa Joannes*, inquit, *hoc confitendum epiſtolâ ſuâ firmavit, & Imperatori direxit. A cujus communione diſcedentes Romæ quidam Acœmetarum Legatos ſecuti ſunt, & uſque nunc hanc de Chriſto confeſſionem non ſuſcipiunt.*

Similia habet Victor Tunnonenſis. *Theodoræ Auguſtæ factione*, inquit, *Juſtinianus A. unum de Trinitate paſſum non adſerens ſecundum quid, ſed abſolute ſuſcipiendum cunctis generali lege imponit: Atque à Clericis & Monachis ſubſcriptiones violenter exegit. Qua de causâ plurimi ſe ab Eccleſiæ communione ſubtraxerunt, & Monachi à propriis Monaſteriis receſſerunt, aſſerentes ſibi ſufficere fidem eorum qui in quatuor Synodis convenerunt.*

Facundus quoque teſtatur (e) fuiſſe ſuo tempore Catholicos, quibus videretur non rectè dici unum de Trinitate pro nobis crucifixum, ſed unam de Trinitate perſonam. Fatetur verò Lupus (f), iſtos non ſine fundamento putaſſe etiam Joannis Papæ communionem refutari. Sed contendit iſtum firmis anchoris nixum, Cyrilli

(e) *Fac. lib.* 1. *cap.* 3.

(f) *Lup. tom.* 1. *pag.* 696.

Capi-

Capitulis, Ferrandi Diaconi, præſertim autem Auguſtini judicio.

Verùm iſtis non obſtantibus perſtiterunt in ſuâ ſententiâ Accœmetæ. Quare coactus eſt Joannes illos ab Eccleſiæ communione ſeparare, ut ipſe ad calcem epiſtolæ ad Senatores teſtatur. Sed cum hoc ipſum non ſufficeret, petiit à Joannis ſucceſſore Agapeto Juſtinianus ut deceſſoris ſui judicium confirmaret, quod etiam impetravit. Tandem Synodus V. vexatiſſimam quæſtionem definivit, & pronunciavit rectè dici unum de Trinitate crucifixum, quibus omnibus opus non fuiſſet, ſi Pontificum judicio non poſſe falſum ſubeſſe tunc conſtitiſſet.

OBSERVATIO X.

Controverſia de Tribus Capitulis *tantùm non clamat quo tempore illa fervebat neminem fuiſſe qui Pontificem errare neſcium putaret.*

Sec. VI. NIhil meâ ſententiâ plura nobis ac firmiora ignotæ apud Veteres Pontificiæ infallibilitatis argumenta ſuppeditat vexatiſſimis circa tria capitula, ſic Theodori, Theodoreti, & Ibæ ſcripta vocitabantur, & diuturnis diſputationibus. Pronunciavit circa illas, nec ſemel, nec eodem pacto, Vigilius. Modò tria capitula defendit, modò damnavit. Sed nec defendens, nec damnans judicium ſuum approbare omnibus potuit. Rem ego ex H. Noris præcipuè narrabo, quo non alius eam accuratiùs explicuiſſe videtur. Ut autem confuſio vitetur, quæ dicturus ſum in varios articulos diſpeſcam.

AR-

ARTICULUS I.

Exponuntur quæ ante Synodum Oecumenicam V. in hac cauſâ geſta ſunt.

DAmnaverat Edicto ſuo tria Capitula Juſtinianus, Edictique ſui ſubſcriptionem pleriſque Epiſcopis Orientalibus extorſerat. Ut Vigilio quoque extorqueret, accerſivit illum in regiam urbem, quò tandem appulſus, *diuturnioris*, inquit Noris (a), *moræ impatiens ac Juſtiniani violentiis fractus, Judicatum ad Mennam ſcripſit, in quo propugnata huc uſque tria Capitula mutatâ derepentè ſententiâ damnavit.* (a) *Nor. Diſſ. de V. Syn. cap. 4.*

Sed quo pacto hoc Vigilii judicium exceptum eſt? An ut certiſſimum veritatis oraculum, & ipſius Spiritûs S. ditata vox ab omnibus reverenter admiſſum? Ita certè debuit, ſi errare non poſſe Pontifex putabatur. Sed longè aliter factum eſt. Audiatur Noris (b). *Facundus*, inquit, *velut in rabiem actus nefandum Judicatum appellare non extimuit.* Tum quibuſdam interjectis. *Ubi primùm Occidentalibus Eccleſiis Vigilii Judicatum, ac nova Principis Edicta innotuere, conqueri ſinguli, ac deplorare Synodi Chalcedonenſis auctoritatem à Vigilio depreſſam, proditam ab illo fidem, & Eccleſiam pravo dogmate imbutam. Africani non modò Judicatum non adprobarunt, ſed eidem conſentientes Eccleſiaſticâ communione privarunt. Idem ab Illyricis Epiſcopis factum. Facundus in libro contra Mocianum acerrimè in Vigilium invectus ait:* Judex aſſerit quòd invitus protulerit illud Judicatum. Nos contrà reſpondemus, quòd ultro per ambitionem pollicitatione factâ peccaverit, nec ulla ſuſtinuerit tormenta, quibus ceſſiſſe credatur. *Rurſus*: Ob hoc etiam de Romani Epiſcopi chirographis, vel priùs ambitionis impulſu, cum fieri arderet Epiſcopus, vel poſtea venalitate parti alteri fa- (b) *Ibidem.*

ctis, neceſſarium duximus non tacere, ne auctoritate nominis ejus præjudicium vera fides ſufferret. *Legantur ibi plurima, nam conviciorum plauſtris totus in rabiem actus impudenter Vigilium opprimere conatur. Fremebat univerſus Occidens, palamque Juſtiniani juſſis non modò Epiſcopi, ſed integræ plebes refragabantur: Unde Imperator ex Vigilii Judicato lites in immenſum auctas intelligebat, quas tamen eo ſcripto componendas ſperaverat.*

Pergit quibuſdam interjectis idem Noris. *Interea non ſolùm in Occidente ob Judicatum malè audiebat Vigilius, ſed etiam à pluribus, vel in ipſâ regia urbe, paſſim traducebatur. Eorum nomina habentur in ſententiâ latâ à Vigilio contra Ruſticum & Sebaſtianum. Horum Princeps erat Felix Monachus Africanus Gillitani Monaſterii Hegumenus, qui non modò palàm Judicatum impugnabat, ſed & cæteros in ſuam ſententiam trahere conabatur. Diaconi certè Ruſticus & Sebaſtianus, magni illi paulò antè Judicati præcones ac laudatores, Monachi perſuaſionibus victi, exeunte anno à priori ſententiâ diſceſſere, ac perfrictâ fronte à Vigilii communione ſegregati hoſtium numerum auxere.*

Rurſus poſt nonnulla. *Illyrici Epiſcopi, qui tranſeunti Vigilio anno* 546. *Occurrerant, ac eundem rogaverant ut nullatenus novitati, quæ facta eſt, acquieſceret, verba ſunt Facundi lib.* 4. *cap.* 3. *ubi primùm Judicati ſententiam intellexere, Synodum indicunt, ac trium capitulorum defenſio communi conſilio decernitur.*

Tum quibuſdam interpoſitis. *Anno ſequenti Africani Antiſtites Reparato Carthaginenſi duce grande facinus auſi, non modò Judicatum rejecerunt, verùm etiam Vigilium ipſum anathemati ſubjecerunt. Hæc habentur in Chronico Victoris, qui fuſiùs quàm cæteri geſta in cauſâ de tribus capitulis ſuis faſtis inſeruit,*

Poſt

Poſt conſulatum Baſilii, *inquit*, anno X. Africani Antiſtites Vigilium Romanum Epiſcopum damnatorem trium capitulorom ſynodaliter à Catholicâ communione, reſervato ei pœnitentiæ loco, recludunt, & pro defenſione memoratorum trium capitulorum literas ſatis idoneas Juſtiniano Principi per Olympium Magiſtrianum mittunt. *Adeo ima ſummis confuſa erant. Facundus etiam Hermianenſis Afrorum vehementiſſimus in libro contra Mocianum perperam arguit Vigilium mendacii, proditionis, colluſionis cum Acephalis, ambitionis, venalitatis.*

Noli tamen exiſtimare ſolos Illyricianos & Afros adverſus Vigilium inſurrexiſſe. Idem fecit Occidens totus. Quare ibidem Noris; *Rebellabat*, inquit, *Occidentalis Eccleſia a Vigilio, neque hic apud Græcos in honore erat.* Et aliquanto pòſt. *Vigilius nullâ re magis in dies angebatur, quàm quòd Judicatum emiſerat, cujus ſcripti non ſemel eum pœnituit, videbat enim Occidentales ob id omni erga Apoſtolicam ſedem reverentiâ depoſitâ rebellaſſe.*

Huc referenda quæ de Gallis habet Noriſii Adverſarius Garnerius (c). *Aurelianus* (Arelatenſis) *ut erat ſedis Apoſtolicæ Vicarius, ſummum Pontificem* (Vigilium) *monuerat rumore ſpargi per Galliam Judicato definitum fuiſſe aliquid, aut Pontificum priorum conſtitutis, aut fidei Synodorum contrarium.*

(c) *Garn: diſſ. de V. Syn.*

Judicet nunc cordatus Lector, an qui fidem violaſſe, ac prodidiſſe, qui pravo dogmate Eccleſiam imbuiſſe, paſſim dicebatur, à cujus communione ipſi illius Diaconi ſecedebant, quem anathemate Concilia feriebant, & quidem non ob privatos ſermones, ſed ob Judicatum ſolemniter promulgatum, totique Eccleſiæ obtruſum, an is inquam, errare neſcius cenſeretur?

Certè tantum abeſt ut illum cæteri infallibilem putarent, ut ne ipſe quidem dubitaret quin erraſſet.

Hoc enim quæ deinceps egit clarè oſtendunt. Tantis contradictionibus fractus trium capitulorum defenſionem reſumpſit, & quoniam ea de novo Juſtinianus proſcripſerat, & Edictum, quo damnabantur, publicè affigi juſſerat, Vigilius *in Placidianam domum*, inquit Noris (d), *tum Latinos, tum Græcos Epiſcopos venire juſſos hiſce admonuit: Quicunque Edictis iſtis conſenſum præbere voluerit, ſciat ſe ab Apoſtolicæ ſedis communione ſuſpenſum.* Quoniam verò Juſtiniano quàm Vigilio parere maluerant Mennas Conſtantinopolitanus, & Theodorus Cæſarienſis, iſtum Epiſcopatu dejecit, illum à communione ſuſpendit.

(d) *Nor. ibid. cap.* 5.

Denique inchoatâ V. Synodo Conſtitutum emiſit, quo ne tria capitula damnarentur ſub anathematis interminatione prohibuit. *Anathematizantes*, inquit, *omnem ad ordines Eccleſiaſticos pertinentem, qui Patribus atque Doctoribus Eccleſiæ contumeliam ex ſuprà ſcriptis impietatibus quodammodo adſcribere, vel irrogare voluerit.*

Sic igitur ſuum ipſe judicium revocavit. Sic errorem ſuum faſſus eſt. Quæ autem ad ictum iſtum declinandum Adverſarii adhibent, commodiùs ad calcem obſervationis iſtius expendemus. Nunc videndum qua ratione novum iſtud Vigilii judicium exceptum ſit.

ARTICULUS II.

Vigilii Conſtituto, nec V. Synodus, nec ipſe Vigilius ſtetit.

SI qua fuiſſet Vigiliani Conſtituti reverentia à damnandis tribus Capitulis quinta Synodus abſtinuiſſet.

ſet. Reliquiſſet illa prorſus intacta. Sed longè aliter ſe geſſit. Et ſcripta trium Doctorum, & ſcriptores ipſos damnavit, atque anathemate percuſſit. Quinimo in eos omnes qui non damnarent, atque adeo in ipſum Vigilium, qui ne damnarentur prohibuerat, anathema pronunciarunt. *Anathema Theodoro Mopſueſteno. Ille Evangelia reprobavit. Iſte diſpenſationem injuriavit. Anathema illis qui non anathematizant illum. Si quis defendit impia Theodoreti conſcripta..... talis anathema ſit. Si quis defendit epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam hæreticum ſcripſiſſe, &c. Si quis igitur memoratam impiam epiſtolam defendit, & non anathematizat eam, & defenſores ejus,..... talis anathema ſit.* An potuerunt Vigilio apertiùs repugnare, atque adeo oſtendere non dubitare ſe quin ille eſſet errori obnoxius?

Nec eſt quod dicas ignotum Synodo Vigilii conſtitutum fuiſſe. Primùm enim ignotum Juſtiniano ſaltem non erat, ad quem illud Vigilius tranſmiſit. II. Nec proinde Theodoro Cappadoci Juſtiniani hac in cauſâ ſatelliti. III. Parum eſt credibile Vigilium ipſum, eique adhærentes nemini quicquam de eo dixiſſe, cum præſertim Synodi Delegatis expreſſè promiſiſſet expoſiturum ſe ſcriptis quid circa quæſtiones illas ſentiret. IV. Denique quicquid ſit de Conſtituto Synodi Patres ignorare non poterant quæ ſibi Vigilius in Placidianâ domo dixerat, quæque nos præcedente articulo jam retulimus. Quare dubitari nod poteſt quin Vigilii judicium Synodus flocci fecerit.

Qua verò ratione Synodi decretum Vigilius exceperit non ſatis conſtat. Baronius, eumque ſecuti innumeri, ex Anaſtaſio colligunt, reclamantem Pontificem, & tria capitula defendentem in exilium deportatum, ubi partim ærumnis fractus, partim Eccleſiæ diſſidio motus, inflexus tandem fuerit ad

conſentiendum, ſicque ab exilio revocatus Romam rediens in Siciliâ obierit, approbato priùs cui tantopere reſtiterat Con. ilio.

Noris contrà Vigilii exilium negat, & rationibus pulſat non contemnendis. Sponte conſenſiſſe illum Concilio aſſerit. Ut ut ſit ſive ultro, ſive invitus, conſenſit tandem. Quid quod ipſam Synodi confirmatricem Vigilii ad Eutychium epiſtolam in Bibliothecâ regiâ repertam, publici juris fecit Pet. de Marcâ, anno hujus ſeculi 42. & diſſertationem addidit, qua epiſtolam illam veram & genuinam eſſe fuſè docet. Utraque verò, & epiſtola, & Diſſertatio, duabus extremis Conciliorum editionibus inſerta eſt.

In eâ Vigilius profitetur ſe à Diabolo impulſum, multa tum loquendo, tum ſcribendo compoſuiſſe, ſe ejuſdem Diaboli dolo diviſum eſſe à fratribus, ſe contemptâ charitate in diſcordiam abiiſſe, ſe confuſionem in mente priùs habuiſſe. Denique tantum abeſt ut hanc ſuam ſententiæ mutationem diſſimulet, ut contrà variis argumentis defendat. *Si in omni*, inquit, *negotio ſapientiæ ratio poſtulat, ut id de quo quæritur retractetur, neque pudori eſſe debet, cum ea quæ ab initio omiſſa ſtudio deinde veritatis inveniuntur, in publicum eduntur, quanto magis Eccleſiaſticis diſceptationibus convenit eandem rationem in illis quoque obſervari, præcipuè cum manifeſtum ſit patres noſtros, & maximè beatiſſimum Auguſtinum, qui in divinis Scripturis claruit, Romanæ eloquentiæ Magiſtrum, propria ſcripta retractaſſe, dictaque ſua correxiſſe, atque illa quæ omiſerat, & deinde invenerat, addidiſſe. Nos quoque ſimiliter illis exemplis incitati in controverſiâ trium capitulorum ſuprà memoratorum nunquam deſtitimus, quin inveſtigaremus quid de prædictis tribus capitulis in Patrum noſtrorum literio veriùs inveniri poſſet. Unde patuit revera dictis*

Theo-

Theodori Mopſueſtiæ ſermonibus, qui ubique redarguuntur, pleraque contraria rectæ fidei, & doctrinis ſanctorum Patrum contineri.

Quidam, fateor, quos tacito nomine refert Garnerius ſuppoſititiam eſſe hanc epiſtolam ſuſpicantur. Sed admittunt illam præter Marcam, & Natalem, Lupus, Holſtenius, Schelſtrate ac Noris. Ut ut ſit conſenſiſſe in V. Synodum, vel hac, vel aliâ quapiam epiſtolâ, Vigilium, nec Garnerius, nec præter Halloixium quiſquam negat, & Græci Scriptores concorditer affirmant, & validè meâ ſententiâ probarunt Pet. de Marcâ & H. Noris. Quædam ego Veterum hac de re teſtimonia libabo.

Euſtathius Conſtantinopolitanus Presbyter, poſtquam Vigilium Romanum, Eutychium Conſtantinopolitanum, Domninum Antiochenum, & Apollinarem Alexandrinum Synodi V. tempore in regiâ urbe fuiſſe præmiſit, hæc ſubjungit (a). *Cum igitur ex quatuor Paſtorum concordiâ, rectoque ſenſu, factum eſſet unum ovile, atque unus Paſtor, & omnis diſciplinæ moderatio per Sacerdotes, & Sacerdotum Præſules conquieviſſet, diſceſſerunt ad ſuas ſinguli civitates & populos magno cum gaudio. Cyrillus Scythopolitanus in vitâ S. Sabæ. Cum ſancta univerſalis V. Synodus Conſtantinopoli eſſet congregata, communi & generali anathemate rejecti ſunt Origenes, Theodorus Epiſcopus Mopſueſtiæ, & quæcunque ab Evagrio, & Didymo dicta ſunt de præexiſtentiâ. Probarunt autem id quatuor Patriarchæ præſentes.* Liberatus trium capitulorum acerrimus defenſor, quique ſi in illis propugnandis Vigilius perſtitiſſet, in eo triumphaſſet, hæc contrà dicit (b). *Ab ipſâ hæreſi afflictus Vigilius, nec coronatus, qualem vitæ terminum habuerit notum eſt omnibus.* Photius (c). *Vigilius aderat quidem apud urbem, Synodo tamen non interfuit, eo quòd nolebat ſponte ſe ad illum aggregare conventum.*

(a) *Euſt. in vita Eutych. cap. 23.*

(b) *Lib. Brev. cap. 23.*

(c) *Phot. in epiſt. Encyc.*

Ille autem nihilominùs fidem communi Patrum ſuffragio editam libello ſuo confirmavit. Pelagius II. (d). *Debet ergo perpendere veſtra dilectio, quia Prædeceſſorum noſtrorum conſenſus in hac cauſâ tanto pòſt inanis non fuit, quanto priùs duris contradictionum laboribus inſudavit.*

(d) *Pel. ad Eliam Aquil.*

Vigilii immediatus ſucceſſor Pelagius I. jam ante electionem ſuam quintæ Synodo conſenſerat, ut teſtatur Victor Tunonenſis. Pontificatum autem adeptus repugnantès Epiſcopos ad ſuſcipiendam Synodum hortatus eſt, & repulſam paſſus Narſetem, ut illos vi compelleret, urgere non deſtitit. Extant hac de re variæ illius epiſtolæ in tomis Conciliorum.

De Joanne III. Benedicto I. Pelagio II. Gregorio I. res clara eſt. Nullum illi non lapidem moverunt, ut admitti quintam Synodum à repugnantibus impetrarent, ut fuſè oſtendit Noris, nec præter Halloixium quiſquam repugnat. Quare vix ulla Synodus fuit, quàm ſæpiùs, apertiùs, ſolemniùs Pontifices confirmaverint, & toti Eccleſiæ obtrudere conati ſint.

Iſti igitur omnès, V. inquam, Synodi Patres, Vigilius, ejuſque ſucceſſores immediati, non dubitarunt quin Vigilius erraſſet, Conſtitutum ſuum edendo, ſiquidem omnes tria capitula damnarunt, eorumque auctoribus anathema dixerunt, quod Vigilius ſub anathematis pœnâ prohibuerat. Nunc videndum quo pacto iſtud quintæ Synodi judicium, tot Pontificum ſuffragiis munitum, exceptum ſit.

AR-

ARTICULUS III.

Et Synodi V. decretum, & Pontificum illud approbantium judicium, innumeri ex Veteribus ſpreverunt.

STantibus Adverſariorum hypotheſibus nihil erat de quo dubitari minùs poſſet, quàm de trium Capitulorum falſitate ac hæreſi, quippe quæ Concilium Oecumenicum à quamplurimis Pontificibus approbatum anathemate percuſſerat. Atqui defenſa illa nihilominùs toto ferè Occidente fuerunt, rejecta V. Synodus, & Pontificum fides ſuſpecta, communio repudiata à multis fuit.

Luſtremus ſingulas Occidentis regiones. Occurrit primùm Africa, in qua promiſſis, favoribus, minis, exiliis, carceribus, opus fuit, ut à quibuſdam admitteretur, reliquis illam obſtinatè rejicientibus, & ab admittentium communione diſcedentibus. Hoc numero Reparatus Carthaginenſis Primas hac de cauſâ in exilio mortuus, Facundus Hermianenſis, Victor Tunonenſis, Liberatus, aliique non pauci, quorum iſti meminerunt.

Hos imitati Iſtrii, Inſubres, Ligures, & quotquot Primatem Aquilejenſem agnoſcebant, qui per 120. annos non tantùm Synodum iſtam rejecerunt, ſed & cum admittentibus, nominatim autem cum Romanâ Eccleſiâ, nullam habere communionem voluerunt. Horum numero Datii Medionenſis ſucceſſor Honoratus, de quo Lupus (a). *Perſtitit pertinax tria capitula propugnare.*

(a) Lup. tom. 1. pag. 738.

Pervaſit ſchiſma ad Thuſciam uſque, cujus Epiſcopi nolebant Pelagii nomen ex diptychis recitare, ut Pelagius ipſe apud eos queritur totâ Epiſtolâ XIII.

& puram eſſe ſuam fidem proteſtatur. De eo Lupus (b). *De ejus ordinatione ſcribit Liber Pontificalis:* Dum non eſſent Epiſcopi, qui eum ordinarent, inventi ſunt duo Epiſcopi, Joannes de Peruſio, & Bonus de Ferentino, & Andreas Presbyter de Oſtiâ, & ordinaverunt eum Pontificem. *Omnis Italia ſe ab ejus quaſi Synodum Chalcedonenſem prævaricati, communione abſtulit, adeo ut Thuſciæ Epiſcopi, proprii Comprovinciales, ejus nomen ad altare non recitarent, atque ita tertius ad ei manum imponendam Epiſcopus nequiit reperiri.*

(b) *Ibidem.*

Gallorum quin eadem fuerit ſententia dubium non eſt. Sanè Childebertus Rex nonniſi ægrè, & poſt varias Pelagii I. literas, & accuratam fidei profeſſionem, communionem cum illo habere voluit. Extant ejus hac de re Epiſtolæ in tomis Conciliorum. Quinimo obſervat ex Crodoberto Turonenſi Paſchaſius Queſnel (c), etiam centum poſt annos admiſſam in Galliâ Synodum V. non fuiſſe. Hincmarus verò Rhemenſis non dubitavit Vigilium in hæreſim lapſum dicere. *In decretis*, inquit (d), *Apoſtolicæ ſedis, quando Vigilius ex Apoſtolico poſt multa & terribilia Sacramenta in hæreſim lapſus Conſtantinopoli detinebatur..... inter alia ſcriptum eſt, &c.* Non poteſt autem intelligere hæreſim perſonalem, ſed judiciariam, quandoquidem ea reſpicit quæ Conſtantinopoli contigerunt, ubi Vigilius Conſtitutum emiſit ſuum.

(c) *Queſn. in Leon. tom.* 1. *pag.* 888.

(d) *Hincm: opus* 55. *capp. cap.* 48.

De Hiſpanis Noris (e). *Africani vicinos Hiſpanos hac ſiniſtrâ opinione imbuerant, unde non ſolùm ea dixit Biclarienſis, ſed & S. Iſidorus in Chronico Juſtinianum ob tria capitula damnata reprehendit.* De iiſdem Lupus (f). *Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in Catalogo de viris illuſtribus ſcribit de Theodoro Mopſueſteno:* Hunc Acephalorum Epiſcopi in præjudicio Chalcedonenſis Concilii Juſtiniano Principe compel-

(e) *Nor. diſſ. de V. Syn. cap.* 9. §. 2.

(f) *Lup. tom.* 1. *pag.* 740.

pellente damnare poſt mortem cum Iba & Theodoreto Epiſcopis cenſuerunt, dum conſtet eum laudabilium virorum teſtimonio clariſſimum Eccleſiæ Doctorem fuiſſe.... *Haud dubiè loquitur ex inſtitutione germani fratris, & proximi ſui Anteceſſoris S. Leandri. Et hinc ab eodem Leandro converſus Ricaredus Hiſpaniæ Rex in fidei profeſſione ad tertiam Synodum Toletanam directâ, ipſaque hac tertia Synodus, laudant ſolas quatuor primas generales Synodos, altiſſimeque ſilent de noſtrâ quintâ. Eodem modo apud octavam Toletanam profitetur Rex Receſſuintus. Et Synodus XIV. diſcutit acta ſextæ generalis, probat, & addit:* Habebunt ergo ſui ordinis locum, quæ ſublimationis habent & meritum. Unde his Conciliis ea ipſa ſubnectenda decernimus, quorum & auctoritate fulta probamus. Poſt Chalcedonenſe igitur Concilium hæc debito honore, loco, & ordine collocanda ſunt, ut cujus glorioſo themate fulgent, ei & loci, & honoris coaptentur honore. *Sexta generalis Synodus eſt Hiſpanis quinta, quòd nempe quintam nunquam recipiendam duxerint, utpote factam in præjudicio Synodi Chalcedonenſis. Et hocce in illis judicium hauddubiè culparunt S. Gregorius, ac ejus ſucceſſores, nequaquam tamen ipſos damnavere, quòd Catholicam communionem non laceraverent.* Hactenus Lupus, cui ſimilia habet Mariana de reb. Hiſp. lib. VI. cap. 17.

Demum, inquit Baronius (g), *progreſſum eſt ejuſmodi ſchiſma uſque ad ipſos Hibernos, quos pro tribus capitulis acriter pugnaſſe conſtat ex S. Gregorio.* Certè oriundus erat ex eâ gente Columbanus, Luxovienſis primùm, tum Bobienſis Abbas, qui in epiſtolâ quadam ad Bonifacium IV. quæ habetur tomo XII. Bibliothecæ Patrum noviſſimæ Collectionis, non tantùm ait, fortaſſe non benè vigilaſſe Vigilium quem caput ſcandali multi dicunt, ſed habet inſuper plurima cum opinione de infallibitate Pontifi-

(g) *Bar. ann. 553.*

cis apertiſſimè pugnantia. Ego quædam tantùm exſcribam.

Poſtquam retulit queri nonnullos quaſi Eutyches, Neſtorius, ac Dioſcorus in V. Synodo recepti fuiſſent, hæc addit: *Ecce cauſam totius, ut aiunt, ſcandali, ſi & vos ſic recipitis, ut dicitur, aut ſi & ipſum Vigilium ſcitis ſic infectum defunctum fuiſſe, quare illum contra conſcientiam recitatis? Omne enim quod non ex fide peccatum eſt. Jam veſtra culpa eſt, ſi vos deviatis de verâ fiduciâ, & primam fidem irritam feciſtis meritò veſtri juniores vobis reſiſtunt, & meritò vobiſcum non communicant, donec perditorum memoria deleatur, & oblivioni tradatur. Si enim hæc certa magis quàm fabuloſa ſunt, verſâ vice filii veſtri in caput converſi ſunt, vos verò in caudam, quod etiam dici dolor eſt, ideo & veſtri erunt judices, qui ſemper orthodoxam fidem ſervaverunt.*

Pergit quibuſdam interjectis: *Vos propè cœleſtes, eſtis, & Roma orbis terrarum caput eſt Eccleſiarum, ſalvâ loci Dominicæ reſurrectionis ſingulari prærogativâ. Et ideo ſicut magnus honor veſter eſt pro dignitate cathedræ, ita magna cura vobis neceſſaria eſt, ut non perdatis veſtram dignitatem propter aliquam perverſitatem. Tamdiu enim poteſtas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanſerit. Ille enim certus regni cœlorum clavicularius eſt, qui dignis per veram ſcientiam aperit, & indignis claudit. Alioquin ſi contraria fecerit, nec aperire, nec claudere poterit. Cum hæc igitur vera ſint, & ſine ullâ contradictione ab omnibus vera ſapientibus recepta ſint, licet omnibus notum eſt & nemo qui neſciat qualiter Salvator noſter regni cœlorum contulit claves. Et vos per hoc fortè ſuperciliosum neſcio quid præ cæteris vobis majoris auctoritatis, ac in divinis rebus poteſtatis vindicatis. Noveritis minorem fore poteſtatem veſtram apud Dominum, ſi vel cogitatis hoc in cordibus veſtris, quia unitas fidei in toto orbe unita-*

nitatem fecit poteſtatis, & prarogativa, ita ut libertas veritati ubique ab omnibus detur, & aditus errori ab omnibus ſimiliter abnegetur.

Jam antea dixerat. *Quaſo confeſtim à te cultello quodammodo S. Petri, id eſt verâ in Synodo fidei confeſſione, & hereticorum omnium abominatione, & anathematizatione, ut mundes cathedram Petri ab OMNI ERRORE, ſi quis eſt, ut aiunt, intromiſſus; ſi non, puritas agnoſcatur ab omnibus. Dolendum enim, ac deflendum eſt, ſi in ſede Apoſtolicâ fides Catholica non tenetur.* Clara hæc omnia, & cum infallibilatis opinione directè pugnantia.

Sed ut ad propoſitum revertar, ex ſuperioribus patet innumeros olim fuiſſe, qui non obſtante Synodi V. judicio à plurimis Pontificibus approbato tria capitula conſtantiſſimè defenderunt. Nec eſt quod dicas quoſdam ex iis ſchiſmaticos fuiſſe. Fuerunt Afri, & Iſtrii, fateor. Sed non ideo fuerunt quod quintam Synodum repudiarent. Ideo tantùm fuerunt, quòd cum admittentibus communicare obſtinatè recuſarent, in quo proculdubio peccabant. Oſtendit fuſè hoc eorum peccatum fuiſſe Nat. Alexander (h). Sanè Gallos & Hiſpanos, qui Synodum V. rejiciebant quidem, ſed admittentes non damnabant, eorumque communionem non fugiebant, nemo pro ſchiſmaticis habuit, nemo etiamnum hodie habet. (h) *Alex. ſec. VI. diſſ. 5.*

Quid quod obſervatione digniſſimum eſt, quòd cum Gregorius I. ad Theodelindam Longobardorum Reginam, & quintæ Synodo infenſam, literas dediſſet, in quibus de illa Synodo honorificè loquebatur, metuit Conſtantius Mediolanenſis Epiſcopus, cui illas tradendas tranſmiſerat, ne eo Regina offenderetur. Quare retinuit illas, & Pontificem eâ de re monuit. Gratum hoc Gregorio fuit, quare alias ille literas ſcripſit, in quibus de quintâ Synodo

(i) Greg. lib 3. epiſt. 37. do nihil dicebat, & Conſtantio ita reſpondit (i). *Quod autem ſcripſiſtis, quia epiſtolam meam Reginæ Theodelindæ tranſmittere minime voluiſtis, pro eo quòd in ea Quinta Synodus nominabatur, ſi eam exinde ſcandalizari poſſe credidiſtis, rectè factum eſt ut minimè traſmitteretis. Unde nunc ita facimus, ſicut vobis placuit, ut quatuor Synodos ſolummodo laudaremus.*

Narrat quoque Victor Tunonenſis in fine ſui Chronici Theodorum Cabarſuſſitanum pro defenſione trium capitulorum Conſtantinopoli exulantem obiiſſe, & juxta Confeſſores, quibus Hunnericus Vandalorum Rex linguas abſciderat, ſepultum eſſe. Inde patet non fuiſſe illum pro ſchiſmatico reputatum, ſi enim fuiſſet, tam honorificam ſepulturam non obtinuiſſet.

ARTICULUS IV.

Præcluditur effugium quo ſuperiora argumenta eludere Adverſarii conantur.

QUæcunque in ſuperioribus argumenta congeſſi unico reſponſo enervare ſe poſſe Adverſarii ſperant, dicendo actum tunc temporis fuiſſe, non de fide, ſed de perſonis, quemadmodum jam olim Gregorius I. monuit; in ejuſmodi verò quæſtionibus poſſe abſque ullo infallibilitatis diſpendio Eccleſiam variare, & ſua ipſam decreta refigere. Verùm hoc reſponſo nihil futilius dici poſſe ego multipliciter oſtendo.

I. Nego iſtud, etiamſi verum eſſet, poſſe argumentis noſtris ſatisfacere. Eſſet illud alicujus efficaciæ, vel eſſe ſaltem videretur, ſi nos erraſſe, vel Vigilium, vel V. Synodum contenderemus. Sed longè aliter habet. Non quærimus utrum erraverint, ſed utrum erraſſe Veteres exiſtimarint. Hoc unum

unum nos urgemus. Quare nihil refert cujus generis verè fuerit quæſtio, quæ definita tunc fuit. Sufficit exiſtimatam illam ſive verè, ſive falſò, ad fidem pertinere. Sufficit quòd proditam ab illis fidem, quòd imbutam errore Eccleſiam dixerint. Id nos ſuprà oſtendimus, nec reſponſum, quod expendimus, illud impedit. Vanum eſt igitur, & argumenti noſtri vim non infringit.

II. Ad hæc cum dicitur actum non fuiſſe de fide, ſed de perſonis, falſiſſimè præſuppponitur non potuiſſe de aliis agi quàm vel de perſonis, vel de fide. Quaſi verò alterius generis non ſint de quibus quotidie diſputatur? Nonne agi potuit de Diſciplinâ, de moribus, de jure divino aut Eccleſiaſtico? Sanè præcipua quæſtio, quæ tunc temporis diſcuſſa fuit, hæc erat, utrum liceret Epiſcopos in Eccleſiæ communione demortuos poſt obitum anathematibus ferire. Negabant id trium capitulorum defenſores, affirmabant impugnatores, Vigilius modò affirmavit, modò negavit. Hæc verò quæſtio nec de fide propriè fuit, nec de perſonis, ſed de jure, & quidem juxta illos divino. Facundus, fateor, ad fidem pertinere exiſtimavit, quo ipſo reſponſum quod expendimus, difflatur. In eâ enim epiſtolâ, quam publici juris fecit Dacherius (a), eò uſque progreditur ut dicat iſtos mortuorum damnatores eſſe omnino hæreticos, utpote prævaricatores Symboli Apoſtolici, atque Nicæni, in quibus ſolum Chriſtum eſſe mortuorum Judicem profitemur. (a) *Spicil. tom.*

Sed neſcio utrum eadem reliquorum mens fuerit. Ut ut ſit conſtat quæſitum fuiſſe utrum iſtiuſmodi mortuos damnare liceret. Quo verò jure an liceret quæſitum putas? Num Eccleſiaſtico, ad ipſius Eccleſiæ, hoc eſt Concilii Oecumenici, libitum mutabili? Ridiculi erant ſi de hoc litigabant. Huc enim tota quæſtio deveniſſet, utrum Concili-

um

um poſſet id facere, quod an poſſit nemo dubitat. De divino ergo jure lis erat, idque vel inde patet, quòd ad definiendam quæſtionem Scripturæ teſtimonia utrinque proferebantur. In hujuſmodi verò quæſtionibus an errare Eccleſiam poſſe, an ejus judicia ſperni Adverſarii concedent?

Atqui hanc ipſam quæſtionem, an liceret in Eccleſiæ communione fato functos damnare, contradictoriè definierunt Vigilius & Synodus V. Expendit illam primùm ſat accuratè, ſaltem ſat operoſè, in Conſtituto Vigilius. Scripturam, ut decuit, in primis citat. Quæ fuerit hac de re Veterum, præſertim deceſſorum ſuorum, ſententia, quæ praxis, ſedulò inquirit. Leonis ac Gelaſii Pontificum, Dionyſii Alexandrini, Procli Conſtantinopolitani teſtimonia deſcribit. Quæ in cauſis Chryſoſtomi & Flaviani obſervata ſunt, commemorat. Ac tandem his verbis concludit. *Quibus omnibus diligenter inſpectis, quia licet diverſo Patres noſtri verborum modo, unius tamen ductu intelligentiæ differentes, illæſas Sacerdotum in pace Eccleſiaſticâ defunctorum ſervavere perſonas, idemque regulariter Apoſtolicæ ſedis, quæ ſupra diximus, definiunt conſtituta. Nulli licere noviter aliquid de mortuorum judicare perſonis, ſed in hoc relinqui, in quo unumquemque dies ſupremus invenit, & ſpecialiter de Theodori Mopſueſteni nomine quid ſancti Patres noſtri diſpoſuerint, ſuperiùs evidenter expreſſum eſt, eum noſtrâ non audemus damnare ſententiâ, ſed nec ab alio quopiam condemnari concedimus.* Quibus conſonant quæ paulò antè dixerat. *His igitur competenter, & per orthodoxæ fidei rectitudinem, Apoſtolicæ ſententiæ auctoritate damnatis, conſtituimus ut omnibus iſtis, quæ nos Patrum ſtatutis & traditionibus inhærentes Apoſtolicâ auctoritate damnavimus, nulla injuriandi præcedentes Patres, vel Doctores Eccleſiæ (quæ proculdubio ſcandala ſacroſanctæ Eccleſiæ ſuſcitat) præ-*

præbeatur occaſio, anathematizantes omnem ad ordines Eccleſiaſticos pertinentem, qui Patribus, atque Doctoribus Eccleſiæ contumeliam ex ſuprà ſcriptis impietatibus quodammodo aſcribere, vel irrogare voluerit.

Habemus ergo diſertam Vigilii definitionem, cuique nihil eorum, à quibus commendari poterat, profectò defuit. Primùm enim illam edit ab Imp. Juſtiniano, & Synodo Oecumenicâ ſemel atque iterum rogatus. Ipſe *Conſtitutum* appellat, nec ſuâ tantùm, ſed ſedecim inſuper Epiſcoporum, ac trium Romanæ Eccleſiæ Diaconorum ſubſcriptione firmatam, & in Synodo legendam Juſtiniano conſignat. In eâ aſſeveranter pronunciat ſe deceſſorum ſuorum veſtigia premere. *Idem*, inquit, *regulariter Apoſtolicæ ſedis, quæ ſuprà diximus, definiunt conſtituta.* Ab hac regulâ diſcedere omnibus vetat. *Nec ab alio quopiam* inquit, *condemnari concedimus.* Et ut oſtendat velle ſe univerſam Eccleſiam obſtringere, anathema ſtringit in eos, qui ſecus facere attentaverint. *Anathematizantes omnem &c.*

Longè aliter tamen Concilium pronunciavit. Docet hoc primùm Evagrius (b). *Primâ*, inquit, *quæſtione propoſitâ, utrum liceret mortuos anathemati ſubjicere, cumque oſtenſum præterea eſſet, hæreticos etiam poſt mortem condemnandos eſſe, omnes uno conſenſu Theodorum quidem ipſum anathematizarunt, &c.*

(b) *Evag. lib.* 4. *cap.* 38.

Sed & ipſa inſuper V. Synodi acta manifeſtum hoc faciunt. Primùm enim propoſita ab Imperatore quæſtio hæc fuit. *Hortamur*, inquit, *etiam illud diſceptare quod vanè profertur ab eis qui dicunt, non oportere poſt mortem hæreticos anathematizari, & ſequi in hoc doctrinam ſanctorum Patrum, qui non ſolùm viventes hæreticos condemnaverunt, ſed & poſt mortem, utpote in ſuâ impietate mortuos anathematizaverunt.* Tunc diſcuſſa illa accuratiſſimè fuit totâ penè

Colla-

Collatione V. Prolata in eâ fuere Scripturæ S. teſtimonia, recluſa antiquitatis monumenta, ac tandem Auguſtini præſertim auctoritate lis finita eſt. En Synodale judicium. *Sufficiunt quidem quæ dicta & probata ſunt, Eccleſiaſticam traditionem demonſtrare, eo quod oportet hæreticos & poſt mortem anathematizari.* Tum conſequenter anathematizantur quotquot Theodorum, Theodoretum & Ibam non anathematizant.

Habemus igitur Synodi decretum Pontificis Conſtituto è diametro repugnans, idque in eâ quæſtione, quæ ſi qua alia, ad jus pertinebat, quandoquidem eâ inquirebatur quid liceret, quid æquum & juſtum eſſet. Quare vanum eſt reſponſum quod expendimus, quodque de perſonis tantùm actum tunc fuiſſe contendit.

III. Sed & alia habemus adverſus illud non contemnenda. Ambiguum eſt quod dicitur non fuiſſe actum de fide. Non quærebatur, fateor, quid eſſet credendum circa Incarnationem. Conſtabat ſatis eâ de re, & Epheſini ac Chalcedonenſis Conciliorum decretis omnes acquieſcebant. Illo igitur ſenſu de fide non agebatur. Sed quærebatur utrum cum eâ fide, quam omnes concorditer tenebant, vel conſentirent, vel pugnarent, quæ Theodorus, Theodoretus, & Ibas ſcriptis conſignaverant. Conſentire contendebant Occidentales, pugnare contrà Orientales clamabant. Cujus verò generis quæſtio hæc fuit? An de perſonis? An de factis? Nonne de jure? An circa illam variam citra infallibilitatis jacturam poteſt? Nemo hoc dicet, ſat ſcio, & ſi quis diceret, non impunè ferret.

(c) Nat. ſec. VI. diſſ. 6. *Eccleſia*, inquit Nat. Alexander (c), *cum ſanam doctrinam ab hæreticâ judicio ſuo diſcernere datum ſit à Chriſto, & qualibet doctrina libris aliquibus contineatur, operæpretium erat, ut Eccleſia in judicio, quod de libris, in quibus de fidei & Moralis Chriſtianæ quæſtioni-*

ſtionibus agitur, tulerit, deficere non poſſet. Ut enim Paſtorem, qui noxia paſcua diſcernere certò non queat ſemper à ſalubribus, ſed in eorum delectu errare poſſit, nemo dixerit idoneum eſſe qui oves paſcat; ut Medicum, qui venena diſtinguere certò ſemper non poſſit ab antidotis, ſed in eorum cognitione fallatur, nemo dixerit curandis ægrotis adhibendum eſſe, nemo prudens elegerit: Ut ducem, cui interdum ita caligent oculi, ut Reipublicæ milites ab hoſtibus diſtinguere non valeat, nemo ad regendum exercitum aptum judicaverit: Ita ſi Eccleſia Chriſti ovibus paſcendis, ſanæ fidei conſervandæ, Chriſtiano populo regendo præfecta in cenſurâ & damnatione librorum falli poſſet, nec Spiritûs S. lumine ad eorum pravum ſenſum, erroreſque cognoſcendos illuſtraretur, à Chriſto ſponſa iis omnibus inſtructa dotibus, & aucta privilegiis videretur, quæ ad paſcendos, ſanandos, regendoſque fideles neceſſaria ſunt.

Duo quæri circa propoſitionem aliquam poſſunt. Alterum utrum ſit vera vel falſa, orthodoxa vel hæretica: Alterum quis ſit propoſitionis illius ſenſus, quæ fuerit Scriptoris intentio, quæ mens. Sit poſterior iſta quæſtio de facto, de quo poſtmodum. Per me nunc licet. Poſſit perperam ab infallibili Judice definiri. At certè priorem illam ad jus pertinere omnes agnoſcent. Atqui hæc ipſa agitabatur, non quidem inter Vigilium & Synodum, ſed inter utrumque & Afros, alioſque trium Capitulorum defenſores. Negabant iſti, ut apud Facundum videre eſt, hæretica eſſe quæ ex Theodoro, Theodoreto, & Ibâ proferebantur. Contendebant eſſe, alii. Inſulſè ergo dicitur actum non fuiſſe de fide, ſed de perſonis.

IV. Verùm eſto. Quæſitum duntaxat fuerit quis eſſet propoſitionum illarum ſenſus. Negat Eſtrix (d) hanc ipſam quæſtionem eſſe facti. Contendit eſſe juris & certum eſſe de eâ Eccleſiæ judicium putat,

(d) *Eſtr. diat. Theol. aſſert.*

putat, idque quia non ex hominum teſtimonio, ſed ex conſtantibus & perpetuis humani ſermonis legibus dijudicatur. Alii factum eſſe agnoſcunt, ſed doctrinale, atque adeo ejuſmodi, ut certiſſimo Eccleſiæ judicio ſubſit.

V. Sed quod illi maximè urgere ſolent hoc eſt, certum eſſe Eccleſiæ circa qualiacunque facta judicium, ſi ea omnibus omnino fidelibus ſub anathematis pœnâ credenda proponantur. *Quod addunt novi dogmatiſtæ*, inquit G. Rhodius (e), *poſſe Pontificem errare in iis quæſtionibus, quæ juris non ſunt, ſed facti tantùm, diſtingui debet. Nam in iis quæſtionibus facti, quæ nullam habent connexionem cum fide, & in quibus totam Eccleſiam non obligant Pontifices, fateor illos decipi aliquando poſſe per eorum malitiam quos audiunt. Sed in iis quæſtionibus facti, quæ connexa ſunt cum rebus credendis, & in quibus tota credere aliquid obligatur Eccleſia, ſtultiſſimum eſt dicere quòd errare poſſit Pontifex, quia quoties totam obligat Eccleſiam ad aliquid credendum, non eſt minùs infallibilis in quæſtionibus facti, quàm in quæſtionibus juris.*

(e) Rhod. de fide quæſt. 2. ſect. 5. 5. 4.

Atqui hac ratione propoſita fuit trium capitulorum deciſio. Non enim ipſos duntaxat horum auctores, ſed quotquot illos defenderent, & quod mirum, quotquot illos non anathematizarent, V. Synodus anathemate percuſſit. *Anathema*, inquit, *Theodoro Mopſueſteno. Anathema illis qui non anathematizant illum. Si quis memoratam impiam epiſtolam* (Ibæ) *defendit, & non anathematizat eam, & defenſores ejus...... talis anathema ſit.*

Hoc poſito quis non videt perpetuo anathemati ſubjacuiſſe quotquot tres illos Scriptores defenderunt? Hæc ſanè Gregorii I. mens fuit. *Quintum*, inquit (f), *Concilium pariter veneror, in quo epiſtola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: In quo Theodorus perſonam Mediatoris Dei & hominum in duabus*

(f) Greg. I. lib. 1. epiſt. 24.

duabus ſubſtantiis ſeparans, ad impietatis perfidiam cecidiſſe convincitur: & in quo ſcripta quoque Theodoreti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, auſu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò, quas præfata Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo, quas venerantur amplector: Quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe, & non illa, deſtruit quiſquis præſumit, aut ſolvere quos ligant, aut religare quos ſolvunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. Quare non prorſus immeritò Facundus (g). *Conſidera, quæſo, cujus levitatis, cujus confuſionis eſt, atque dedecoris, ut nos ſibi communicare compellant, permanentes in eâ ſententiâ, quo non ſolùm ei* (Epiſtolæ Ibæ) *anathema non dicimus, ſed etiam negamus eſſe dicendum.* (g) *Fac. lib. 2. cap. 3.*

Sanè ſi quotquot ſive tria capitula, ſive trium capitulorum auctores defendebant, intra Eccleſiam, & in ejus pace ac communione nihilominùs manebant, non video cujus efficaciæ eſſe poſſint Conciliorum Oecumenicorum anathemata. Quid illa deinceps erunt, quàm bruta fulmina, & vana ſtultorum terriculamenta? Quinimo intolerandus ipſius Eccleſiæ error fuerit, id ſub anathematis pœnâ credendum proponere, quod tali ſanctione munire ipſi non licet. Audiatur in ſimili cauſâ Bellarminus (h). *Si omnia,* inquit, *Concilia poſſent errare, illud certè ſequitur, ut omnia intolerabilem errorem admiſerint, ac proinde nullo honore digna ſint: nam error intolerabilis eſt proponere aliquid credendum tanquam articulum fidei, de quo non conſtet an ſit verum, vel falſum.* Applicetur hoc quintæ Synodo, ſi errare potuit in damnatione trium capitulorum. Non minùs verum comperietur. (h) *Bell. de Concil. lib. 2. cap. 4.*

Errant ergo quotquot univerſaliter negant actum tunc fuiſſe de fide, ſed de perſonis. Et de perſonis, & de fide agebatur juxta Adverſariorum hypotheſes, dum de tribus capitulis diſputabatur, & ſi qua fuit

quintæ Synodi infallibilitas, defendi illa citra hæreſim non poſſunt, ut nec damnari ſi infallibilis Vigilius tum, cum damnari ſub anathematis pœnâ vetuit. Quare qui modò damnavit, modò defendit, in fide neceſſariò erravit: Et quotquot vel damnanti, vel damnare prohibenti repugnarunt, ut repugnarunt omnes, damnanti Occidentales, damnare prohibenti Orientales, errare neſcium illum haudquaquam arbitrabantur.

OBSERVATIO XI.

Controverſia circa titulum Epiſcopi univerſalis id ipſum comprobat.

Sec. VI. CONſtantinopolitanum Epiſcopum dixerat Patriarcham Oecumenicum Concilium Conſtantinopolitanum ſub Mennâ. Eundem etiam titulum Juſtinianus Epiphanio tribuerat. Quare exiſtimavit Joannes illius civitatis Præſul licere ſibi eum uſurpare. Moleſtè hoc tulit Pelagius II. & ut ſucceſſor ipſius Gregorius I. refert (a), Apocriſiario ſuo vetuit, ne cum Joanne communicaret. Perſtante Joanne Gregorius deceſſorem imitatus eſt. Titulum illum reprobavit. Pronunciavit eſſe profanum, temerarium, ſuperſtitioſum, ſuperbum, nefandum, peſtiferum, ſceleſtum, blaſphemum, Diabolicum, Antichriſtianum. Dixit pro illo damnando moriendum (b). Denique declaravit (c), in iſto ſceleſto vocabulo conſentire, nihil aliud eſſe quàm fidem prodere. Quare Apocriſiario ſuo Sabiniano ſeverè prohibuit ne cum Joanne communicaret.

(a) *Greg. l. b. 4. Ind. 13. epiſt. 38.*

(b) *lib. 4. epiſt. 36.*

[c] *epiſt. 39.*

Mul-

Multipliciter igitur certum eſſe debuit hoc Gregorii judicium. I. Quoniam contendunt Adverſarii non poſſe errare Pontifices quoties exponunt quid vel ad fidem pertineat, vel cum fide pugnet. Atqui Gregorius disertè aſſerit pugnare cum fide quòd aliquis ſit Epiſcopus univerſalis. Sic enim ad Sabinianum (d). *Poſtquam pro utilitate Reipublicæ argentum, aurum, mancipia, veſtes perdidimus, nimis ignominioſum eſt ut per eos etiam fidem perdamus. In iſto enim ſceleſto vocabulo conſentire nihil aliud eſt quàm fidem perdere.*

[d] *lib. 4. ind. 13. epiſt. 39.*

II. Negant poſſe Pontificem errare quoties de rebus ad mores pertinentibus pronunciat. Sed an potuit Gregorius diſertiùs pronunciare, quàm cum hujuſce tituli uſum profanum, ſuperbum, ſceleſtum, nefandum, perſtiferum, Diabolicum, & Antichriſtianum dixit?

III. Negant errare Pontificem quoties propoſitionem aliquam dicit eſſe ſcandaloſam. Videatur Cardenas Criſi Theologicâ ad Bullam Innocentii XI. qua 65. propoſitiones tanquam ſcandaloſas damnat. Contendit certum eſſe hocce judicium, & non poſſe ab eo tempore propoſitiones iſtas defendi. Atqui Gregorius non ſemel, ſed multoties pronunciat non poſſe citra ſcandalum univerſalem Epiſcopum dici, nominatim lib. 4. Indict. 13. epiſt. 32. & lib. 6. ind. 15. epiſt. 30.

IV. Negant errare poſſe Pontificem quoties univerſam Eccleſiam obligare intendit. Atqui hanc eſſe ſuam mentem Gregorius oſtendit, dum Epiſcopos Orientales dehortatur ne hunc titulum, vel dent ipſi, vel approbent. Tum ſubjungit (e). *Si quis, quod non credimus, ſcripta præſentia aliqua in parte neglexerit, à B. Petri Apoſtolorum Principis pace ſe noverit ſegregatum.*

(e) *lib. 7. ind. 2. epiſt. 71.*

Obſervandum inſuper quæſtionem, quam Gre-

 gorius

gorius definit, non eſſe ſingularem, utrum hic vel ille, Joannes, aut Cyriacus, debeat dici Epiſcopus univerſalis, ſed univerſalem, utrum ullus ſit, ne Romano quidem Præſule excepto, cui titulus iſte dari queat. Hanc quæſtionem univerſalem, & de jure, ille determinat negando univerſaliter, & quidem non ſemel, ſed multoties. Sic ad duos Patriarchas Alexandrinum atque Antiochenum ſcribens (f). *Sicut veneranda veſtra ſanctitas novit, mihi per S. Chalcedonenſem Synodum Pontifici ſedis Apoſtolicæ, cui Deo diſponente deſervio, hoc univerſitatis nomen oblatum eſt.... Sed nullus unquam deceſſorum meorum hoc tam profano vocabulo uti conſenſit, quia videlicet ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc, abſit à Chriſtianâ mente id ſibi velle quempiam arripere, unde fratrum ſuorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur.* Quare cum aliquanto pòſt Eulogius Alexandrinus Gregorium ipſum univerſalem dixiſſet, moleſtè id Gregorius tulit, & obnixè illum rogavit ne quid ſimile faceret (g).

(f) *lib.* 4. *ind.* 13. *epiſt.* 36.

(g) *lib.* 7. *ind.* 1. *epiſt.* 30.

Habemus ergo deciſionem, qua vix alia eſſe potuit magis authentica. Spreta tamen ea ab omnibus fuit. Primùm enim ipſi Gregorii ſucceſſores titulum iſtum avidè arripuerunt. Ad hæc Joannes Conſtantinopolitanus, ejuſque immediatus ſucceſſor Cyriacus, ad mortem uſque, quantumvis ringente Gregorio, eum retinuerunt. Sergius ac Pyrrhus imitati illos ſunt, ut ex Synodo Martini Lateranenſi patet. In Nicænâ II. datus etiam Tharaſio fuit, in Florentinâ Joſepho, & ut verbo dicam, ſi Phocæ tempora exceperis, manſerunt in poſſeſſione, & manent etiamnum hodie Conſtantinopolitani Epiſcopi. Quare ſatis patet quanti hoc Gregorii judicium factum fuerit.

Dicent, opinor, Adverſarii alio ſenſu damnatum

tum

tum hunc à Gregorio titulum, alio deinde ipſius ſucceſſoribus, & Conſtantinopolitanis Antiſtitibus datum. Damnatus à Gregorio fuit quaſi univerſalis Epiſcopus ſolus Epiſcopus ſit, alii verò Præſules ſint ejus duntaxat Vicarii. Hic verò non fuit aliorum ſenſus. Sed etiamſi aliquid in eo ſit veri; non inde tamen argumentum noſtrum labefactatur. Nemo, fateor, qui titulum iſtum, vel aliis dedit, vel ſibi dari paſſus eſt, pravum illum ſenſum in mente habuit. Sed ut ut ſit Gregorius ſolum iſtum agnovit. Exiſtimavit ille hunc eſſe unicum & naturalem locutionis iſtius ſenſum, vel potiùs verum, naturalem, atque unicum locutionis iſtius ſenſum, quicunque tandem is ſit; nam de eo diſputare hac in parte nolo; eſſe pravum & illicitum. Quare nunquam queſtus eſt de vocis illius homonymiâ, nunquam varios ejus ſenſus diſtinxit, hos admittendo, illos abjiciendo, ſed vocem illam univocam ſupponens, ſenſum, quem unicum agnoſcebat, abjecit.

Quicquid ſit quæſtio, quam Gregorius definit, non eſt utrum ſenſus, quem Joannes intendebat, dum ſe Epiſcopum Oecumenicum dicebat, eſſet verus, vel falſus, ſed utrum uſus illius tituli, prout à Joanne palàm & externè uſurpabatur, eſſet licitus vel illicitus, juſtus vel injuſtus. De eo ſolùm agebatur. Id Gregorius definit. Quibus de cauſis definiat parùm refert. Negat ejuſmodi uſum eſſe licitum. Reliqui verò licitum arbitrantur. Iſtud mihi ſufficit. Inde enim patet non exiſtimaſſe illos Gregorium errare neſcium.

Hoc inſuper obſervatione dignum mihi videtur, quòd unum ex argumentis, quibus Gregorius utitur, id eſt quod ab erroribus Præſulum Conſtantinopolitanorum deducit. Ait Epiſcopo univerſali ſemel errante totam Eccleſiam perituram. Sic ad Mauritium A. (h). *Et certè multos Conſtantinopolita-*

(h) *lib. 4.*

Ind. 13. epiſt. 32. *litana Eccleſia in hæreſeos voraginem incidiſſe novimus Sacerdotes, & non ſolùm hæreticos, ſed etiam hæreſiarchas factos. Inde quippe Neſtorius, qui Mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum duas eſſe perſonas exiſtimans, quia Deum fieri hominem potuiſſe non credidit, uſque ad Judaicam perfidiam erupit. Inde Macedonius, qui conſubſtantialem Patri & Filio Spiritum S. Deum eſſe denegavit. Si igitur illud nomen in eâ Eccleſiâ ſibi quiſquam arripuit, quod apud bonorum omnium judicium fuit, univerſa ergo Eccleſia, quod abſit, à ſtatu ſuo corruit, quando is qui appellatur univerſalis cadit.*

Obſerva errores illos Neſtorii & Macedonii de quibus agit, non fuiſſe judiciarios, ſed perſonales. Contendit ejuſmodi errores, ſi Epiſcopi univerſalis fuerint, toti Eccleſiæ perniciem creaturos. Vel ergo neſciebat hanc errorum perſonalium & judiciariorum diſtinctionem, vel ſi noverat, exiſtimabat connexos illos eſſe, & nihil obſtare quominus qui pravè ſentit, pravè doceat, pravè definiat. Aliter ſi ſenſit, malè argumentatus eſt. Sed duorum illorum quodcunque ponas, manifeſtum erit longè aliam fuiſſe Gregorii ac recentiorum mentem. Iſti enim poſſe Epiſcopum univerſalem abſque Eccleſiæ pernicie in perſonalem hæreſim labi ferè omnes agnoſcunt. Malè autem definire nolunt eum poſſe, eò quòd ſi faceret perituram fidem & Eccleſiam contendunt. Quare verum eſt quod alibi dicebam, ignotas Veteribus fuiſſe omnes illas Pontificiæ infallibilitatis limitationes, quibus illam circumſcribere Adverſarii ſolent.

OB-

OBSERVATIO XII.

Honorius à plurimis Conciliis ac Pontificibus damnatus, locupletiſſimus eſt ignotæ apud Veteres Pontificiæ infallibilitatis teſtis.

IN univerſâ Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ nihil occurrit quod quæ fuerit Veterum circa infallibitatem Pontificis ſententia clariùs oſtendat, quàm quæ circa datam, vel ut alii malunt, dari exiſtimatam, ab Honorio Monothelisſmo approbationem contigerunt; nihil quod Adverſarios magis torqueat, nihil denique in quo vis veritatis omnes contrà nitentium conatus efficaciùs retundat. Erit igitur hoc omne cum aliqua curâ tractandum, & exponenda primùm obſervationis noſtræ materies, tum expendenda Adverſariorum reſponſa, ut omnis hac ratione dubitatio amoveatur. Id ſequentes articuli effectum dabunt. *Sec. VII.*

ARTICULUS I.

Exponuntur quæ partim ab Honorio, partim adverſus illum geſta ſunt.

CYrus Phaſidis Epiſcopus ad Patriarchalem Alexandriæ ſedem promotus non indiligentem dedit operam ut Eutychianos, quibus Ægyptus, atque univerſa Libya tunc temporis ſcatebant, ad Eccle-

Eccleſiæ Catholicæ communionem adduceret. Poſt multas collationes tandem conſenſus initus eſt, hac lege, ut duplex quidem Chriſti natura agnoſceretur, in quo Eutychetis hæreſis ejurari videbatur, cæterùm una tantùm ejus voluntas, una operatio prædicaretur, quod profectò fidei puritatem, atque integritatem non mediocriter vitiabat. Sed reclamente Sophronio Monacho, qui poſtmodum Hieroſolymitanus Patriarcha creatus eſt, Sergius Conſtantinopolitanus, quo duos illos Præſules conciliaret, auctor fuit ut neque una, neque duplex, Chriſti voluntas, aut operatio diceretur, & univerſa circa hunc apicem diſputatio æternâ oblivione ſepeliretur. Aſſentientibus illis ad Honorium Romanum ſcripſit Sergius, ut pacis iſtius, pro qua tantopere laboraverat, approbationem ab eo impetraret. Annuit Honorius, & duabus epiſtolis probari ſibi quæ Sergius ſtatuerat apertiſſimè docuit.

Sed literas iſtas, & Sergii ad Honorium, & Honorii ad Sergium, ſexta Synodus ut hæreticas damnavit. En tibi Synodi verba (a): *Poſtulatum eſt ut pronunciaretur ſententia de Epiſtolis Sergii, Honorii, & Sophronii, quæ in actione præcedenti lecta ſunt. Sanctum Concilium dixit. Secundum promiſſionem quæ à nobis ad veſtram gloriam facta eſt; retractantes dogmaticas epiſtolas, quæ à Sergio Patriarchâ hujus regiæ urbis ſcriptæ ſunt tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Epiſcopus Phaſidis, quàm ad Honorium Papam antiquæ Romæ. Similiter autem & Epiſtolam ab illo, id eſt Honorio, reſcriptam ad eundem Sergium, haſque invenientes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & a definitionibus ſanctorum probabilium Patrum, ſequi verò falſas doctrinas hæreticorum, eas omnino abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur. Quorum autem, id eſt eorundem, impia execramur dogmata, horum & nomina à ſancta*

(a) *Conc. VI. act. 13.*

cta

ſtâ Dei Eccleſiâ projici judicavimus, id eſt Sergii Præſulis hujus urbis, qui aggreſſus eſt de hujuſmodi impio dogmate conſcribere, Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Petri, & Pauli Præſulum hujus etiam civitatis, qui & ſimilia eis ſenſerunt. Ad hæc & Theodori Epiſcopi Pharan; quarum omnium ſuprà ſcriptarum perſonarum mentionem facit Agatho ſantiſſimus Papa antiquæ Romæ in ſuggeſtione quam fecit ad piiſſimum & magnum Imperatorem noſtrum, eoſque abjicit, utpote contraria rectæ fidei ſentientes, quos anathemati ſubmitti definivimus. Cum his verò ſimul projici à ſanctâ Dei Catholicâ Eccleſiâ, ſimulque anathematizari præviddimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quòd invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus mentem ejus ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit. Poſt hæc produxit Georgius Diaconus Chartophylax Epiſtolas Cyri duas ad Sergium Conſtantinopolitanum, & unam Theodori ad eundem Sergium, & unam Pyrrhi, & unam Pauli Conſtantinopolitani, & unam Honorii Papæ ad eundem Sergium, de quibus omnibus Concilium dixit; *Cognitionem accipientes prolatorum nobis à Georgio Diacono libellorum, atque chartarum, ſive aliorum opuſculorum, comperimus in unam eandemque impietatem concurrere, & prævidimus hæc tanquam profana, & animæ pernicioſa, continuò ob perfectum exterminium igne concremari. Et combuſta ſunt.*

Hæc eſt Concilii omnium conſenſu Oecumenici definitio, præſentibus tribus Agathonis Legatis conſignata, & à quamplurimis Pontificibus deinceps approbata, nominatim à Leone II. quem Agathonis Legati Romam reduces in ejus paulò antè demortui locum ſuffectum invenerunt. Hic in epiſtolâ ad Conſtantinum A. quæ habetur in calce actorum Synodalium, ait primùm ſuſcepiſſe ſe cum mag-

magno jucunditatis gaudio Legatos Apoſtolicæ ſedis Synodalia geſta perferentes, quæ cum diligenter luſtraſſet, reperiſſe Concilium ſub orthodoxæ fidei integritate, regulisque majorum ſenſiſſe, & decreviſſe. Ac tandem concludit anathematizare ſe, atque execrari omnes hæreſes, earumque auctores, nominatim verò Honorium. *Anathematizamus*, inquit, *novi erroris inventores, id eſt Theodorum Pharanitanum Epiſcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubſeſſores magis quàm Præſules, nec non & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam, non Apoſtolicæ Traditionis doctrinâ luſtravit, ſed profanâ proditione immaculatam fidem ſubvertere conatus eſt, & omnes qui in ſuo errore defuncti ſunt ſimiliter anathematizamus.* Similia habet in duabus adhuc Epiſtolis, unâ ad Epiſcopos Hiſpanos, alterâ ad Ervigium Regem. Quare verè omnino Anaſtaſius Bibliothecarius in vitâ Leonis II. *Hic*, inquit, *ſuſcepit ſanctam ſextam Synodum, in qua condemnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius.* Et Romanum Breviarium vetus à Launoio laudatum in feſto Leonis II. *Hic Leo ſuſcepit ſanctam ſextam Synodum... in qua condemnati ſunt Cyrus & Sergius, Honorius, Pyrrhus &c.*

Concilium Trullanum can. I. *Porrò ſexta quoque ſancta Synodi..... fidem...... nos ſervare rurſus profitemur, quæ duas naturales voluntates, ſeu volitiones, duasque naturales operationes in incarnatâ unius Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei œconomiâ nos piè opinari debere apertè docuit; iis qui rectum veritatis decretum adulterant, & unam voluntatem, ac operationem unam in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto populos docuerant, piâ ſententiâ condemnatis, Theodoro, inquimus, Pharan, Cyro Alexandriæ, Honorio Romæ, Sergio, Pyrrho &c.*

In

In VII. Synodo Tharaſius Honorium, non ſecus ac Cyrum, Sergium, Pyrrhum, anathemate ferit. Ipſa verò Synodus in fidei decreto, quod deinde Romana Eccleſia approbavit; *Sexta*, inquit, *Synodus abjecit Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum &c.* quæ deinde in Proſphonetico, & in literis Synodalibus repetuntur.

Synodus VIII. in decreto fidei à Romanis etiam Pontificibus probato: *Anathematizamus Theodorum, qui fuit Epiſcopus Pharan, & Sergium, & Pyrrhum, & Paulum impios Præſules Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ, atque cum iis Honorium Romæ, unà cum Cyro Alexandriæ &c.*

Denique ipſi Romani Pontifices in eâ fidei profeſſione, quam ſtatim electi edere tenebantur, quæque habetur in vetere Diurno per Garnerium edito (b), ſic aiebant. *Inter hæc veneranda universalia quinque Concilia, etiam ſextum universale centum ſeptuaginta quinque venerabilium Præſulum prædicamus.* Et quibuſdam interjectis: *Ita quoque & duas naturales habere voluntates, duaſque naturales operationes ſecundum Sanctorum Patrum doctrinam decreverunt. Auctores verò novi & hæretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Conſtantinopolitanos, unà cum Honorio, qui pravis eorum aſſertionibus fomentum impendit...... aliiſque ſequacibus, nexu perpetui anathematis devinxerunt.* (b) pag. 41.

Habemus ergo Concilia Oecumenica quatuor, vel ad minimum tria, nam de Trullani univerſalitate diſputatur, habemus Pontifices quàm multos ignotæ apud Veteres Papalis infallibilitatis teſtes locupletiſſimos. Quo enim pacto exiſtimare illum infallibilem potuerunt, quem propter hæreſim epiſtolis firmatam anathemate percuſſerunt?

AR-

ARTICULUS II.

Expenditur primum Adverſariorum reſponſum, atque oſtenditur ſexta Synodi acta adulterata non fuiſſe.

UT ictum iſtum declinent mirum quàm multa comminiſcantur Adverſarii. Primùm enim Baronius, Bellarminus, & hos ſecutorum turba ingens, contendunt falſata fuiſſe ſextæ Synodi acta, & ubicunque Honorii nomen habetur, Theodori fuiſſe. Aiunt iſtum jam antè Synodum de Conſtantinopolitanâ ſede dejectum, in Synodo damnatum, eâ nihilominùs ſolutâ rurſus Patriarchalem ſedem occupaſſe, tunc Synodalia acta, quæ penes ſe habuit, falſaſſe, falſata Romanis Legatis, reliquiſque tradidiſſe, & innumeros in errorem conjeciſſe.

Sed hoc reſponſo nihil inanius. Primùm enim eo admiſſo vix quicquam argumento noſtro periret. Non damnaverit, fateor, Honorium Synodus ſexta, ſed damnaviſſe putarunt, & damnatione iſti quantumvis falſæ, acquieverunt, Trullana, Septima, Octava, Pontifices, Scriptores innumeri. Omnes igitur iſti arbitrati ſunt poſſe Pontifices damnari, atque adeo errare. Omnes proinde Pontificiam infallibilitatem neſcierunt, quod nobis hac in parte ſufficit, haudquaquam inquirentibus utrum errare Pontifex poſſit, ſed utrum poſſe Veteres exiſtimarint. Quare cum ita plurimos exiſtimaſſe nobis hoc reſponſum concedat, manifeſtum eſt eo argumentum noſtrum non enervari.

Addo inſuper id Baronii commentnm abſurdiſſimum eſſe atque ejuſmodi, ut illius falſitatem, non

non tantùm agnoverint, ſed etiam demonſtrarint Adverſariorum non pauci, nominatim F. Combefis, Ch. Lupus, & J. Garnerius. Habentur ſanè ſinceritatis actorum ſextæ Synodi teſtes innumeri, iique locupletiſſimi; Agathonis Legati numero tres, quorum unus aliquanto pòſt Papale ſolium conſcendit, Romani Concilii Deputati totidem, Leo II. qui ſextæ Synodi acta Latinitate donavit, & Honorium multoties, ut vidimus damnavit, Anaſtaſius Bibliothecarius, Synodi Trullana, Septima, & Octava, Romanum Breviarium, Romanus Diurnus, Hadrianus II. qui dictum Honorio ab Orientalibus anathema teſtatur, Nicephorus Conſtantinopolitanus Patriarcha, Agatho Diaconus, Beda, Humbertus Cardinalis, Ado, Marianus, Scotus, Cedrenus, aliique non pauci, quibus ſi deneganda fides nihil ſupererit, cui credere tutò poſſimus.

Horum præterea teſtium numero, duo ſunt qui mihi quidem videntur omni exceptione majores. Prior eſt Synodus Trullana, qua nemo ſcire certiùs potuit quid ſexta decreviſſet. Habita quippe fuit decem poſt illam annis, & iiſdem, ut obſervat in Nicænâ II. Tharaſius, Epiſcopis conſtitit. Sanè ſi utriuſque ſubſcriptiones conferantur, tres & quadraginta comperientur in utraque ſediſſe. Quo igitur pacto neſcire iſti potuerunt quid ipſi ante decennium decreviſſent? Alter horum teſtium eſt Agatho Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconus, qui eâ peroratione, quam Combefis edidit, teſtatur ſe tanquam Notarium ſextæ Synodo interfuiſſe, acta excepiſſe, & quinque eorum exemplaria, quæ Conſtantini ſubſcriptione munita ad quinque Patriarchales ſedes tranſmiſſa ſunt, propriâ manu nitidiſſimè ſcripſiſſe. Nemo ergo ſcire meliùs potuit quem Synodus damnaſſet. Et iſte tamen, & Trullani Patres teſtantur damnatum in eâ Honorium.

um. Quæ ſupereſſe dubitatio eâ de re deinceps poteſt.

Ad hæc fabula, quam Baronius adornavit, & cum veritate, & cum veriſimilitudine ex æquo pugnat. Cum veritate primùm, cum & damnatum fuiſſe à Sextâ Synodo Theodorum Veterum nemo dixerit, & Honorio infenſus neutiquam fuerit, quin potiùs illum eorum Pontificum numero exceperit, quos Diptychis expungi volebat; & quod gravius eſt, nonniſi tribus poſt ſolutam Synodum annis Conſtantinopolitanam ſedem recuperavit. Teſtis Theophanes, *πατριαρχούντων ἐν τῇ ἁγίᾳ οἰκουμενικῇ συνόδῳ Κωνσταντινουπόλεως Γεωργίου ἔτος ἄγοντος τῆς πατριαρχίας γ. καὶ μετὰ τὴν σύνοδον πατριαρχήσαντος ἄλλα ἔτη γ. μετὰ δὲ τοῦτον Θεοδώρου ἔτη γ. Patriarchis Conſtantinopolitanis in ſanctâ ſextâ Oecumenicâ Synodo, Georgio, cum annum tertium Patriarchatûs ageret, poſt verò Synodum alios annos tres functo Patriarchatu, poſt eum autem Theodoro annos tres.* Jamdiu ergo antequam reſtitutus fuiſſet Theodorus integra acta receperant, & Romam detulerant, Agathonis Legati, quare illa falſare Theodorus non poterat.

Imò etiamſi ante horum diſceſſum creatus ille Patriarcha fuiſſet, non potuiſſet tamen id facere, quod Baronius fingit. In ipſâ enim Synodo ſuum exemplar Legati acceperant, ut ex actis ſatis conſtat. Quare colluſiſſe cum Theodoro debuerunt, ſi falſari ab illo exemplar iſtud paſſi ſunt, quod non poteſt niſi temerè & petulanter dici.

AR-

ARTICULUS III.

Duo alia Bellarmini reſponſa perſtinguntur.

Abſurdum eſt igitur exiſtimare corrupta iſtius Synodi acta fuiſſe. Quare Bellarminus inde depulſus aliò confugit (a). Ait vel ſuppoſitas Honorio fuiſſe epiſtolas, vel corruptas ſaltem, à Monothelitis, quo poſito nihil mirum ſi damnatæ à Synodo fuerint. Tum repentè mutatâ velificatione contendit eas, etiam quales habentur, puras & orthodoxas eſſe, & ideo damnatas, quòd mero facti errore malè intellectæ à Concilio fuerint.

(a) Bell. de Pont. lib. 4. cap. 11.

Sed præterquam quod iſta duo reſponſa ſecum invicem pugnant, habent hoc inſuper commune; quod argumentum noſtrum non attingant. Haberent illa fortaſſe vim aliquam; ſi nos ex Honorii decreto diſputaremus, ut oſtenderemus directè poſſe Pontificem errare. Sed longè aliam nos viam inimus. Contendimus duntaxat exiſtimaſſe Veteres Honorium in errorem lapſum; quo ſemel dato negare nemo poterit ignotam Veteribus fuiſſe Romani Præſulis poteſtatem errare neſciam. Illud verò non minùs nobis concedit, qui ideo damnatum Honorium dicit, quòd vel ſuppoſitæ, vel adulteratæ, vel malè intellectæ, ejus epiſtolæ fuerint, quàm ſi jure damnatum illum diceret. Non dubitabat certè ſexta Synodus quin epiſtolæ, quas damnabat, & Honorii verè eſſent, & graviſſimos errores continerent. Aliter Honorio anathema nunquam dixiſſet. Non putabat igitur omnes omnino Pontificum decretales epiſtolas neceſſariò veras ac rectas eſſe. Id ego ſolum contendo, nec aliud quicquam flagito.

Ad hæc prius illud reſponſum vaniſſimum eſt, nec aliud fingi poteſt deſperatæ cauſæ luculentius indicium, quàm gratis, & abſque ullo argumento, quæcunque præconceptæ opinioni adverſantur falſitatis accuſare. Unde enim Bellarminus habet vel ſuppoſitas, vel adulteratas iſtas epiſtolas fuiſſe? Quem teſtem profert? Quod indicium? Ne unum quidem. Imò contrarium ex actis patet. Sanè actione XII. narratur noluiſſe Synodum niſi re accuratè diſcuſſâ in Honorium ſententiam ferre, eaque de causâ *collata eſſe hæc reſcripta cum exemplaribus authenticis, quæ producta ſunt ex Patriarchio regiæ urbis, & exemplaria conſtitiſſe.* Quis deinde crediderit, ſi falſa hæc fuiſſent, nec Legatos id ipſum obſervaturos, nec procedente tempore quenquam ſuſpicaturum fuiſſe? Leonem cumprimis, apud quem tanti eſſe debuit deceſſoris ſui exiſtimatio, tanti maximum, & pretioſiſſimum ſedis ſuæ privilegium? Nonne hic in officium ſuum graviſſimè peccaſſet, niſi in hujus facti veritatem, quam noſſe facillimè poterat, diligenter inquiſiviſſet, & repertam toti orbi patefeciſſet? Non fecit tamen, quin potiùs iſti hæreticorum perfidiæ aliam non leviorem, ne nunc graviorem dicam, addidit, & Honorium, quam orthodoxum & innocentem eſſe, vel ſcivit, vel ſcire debuit, anathemate confixit.

Alterum verò reſponſum quod attinet, nolo nunc ego in illius veritatem inquirere. Abduceret id nos paulò longiùs, & ad inſtitutum noſtrum parum conferret. Duo duntaxat obſervabo. Priùs, quòd poſtquam Concilium Oecumenicum Honorii epiſtolas damnavit, non poſſunt illæ ſalvâ iſtius Concilii reverentiâ defendi. Nam ut ſuprà in Vigilii causâ oſtenſum, pugnat cum eâ, quæ ſive Pontifici, ſive Concilio tribuitur, infallibitate in cujuſ-

juſcunque auctoris ſenſu dignoſcendo errare.

Poſterius quod obſervandum dicebam hoc eſt, quòd etſi diſputari fortè queat, num Honorius verè Monothelita fuerit, dubitari certè non poſſit, quin hanc quæſtionem, utrum una fuerit Chriſti voluntas & operatio, vel duplex, ad fidem pertinere negaverit, & eâ de cauſâ diſputari de illâ prohibuerit, quemadmodum extremo hujuſce obſervationis articulo patebit. Quare cum hoc ipſum falſiſſimum eſſe Adverſarii non negent, fateri neceſſariò debent in eo ſaltem Honorium erraſſe, atque adeo infallibilem non fuiſſe. Sed hoc obiter. Nam, ut jam non ſemel monui, non de ipſâ Pontificis infallibilitate, ſed de Veterum circa infallibilitatem ſententiâ, diſputamus. Hanc verò ea ipſa, quæ expendimus, reſponſa ejuſmodi fuiſſe, qualem nos contendimus, evincunt. Quare neceſſe non eſt in iis exagitandis tempus terere. Præſtat ut ad alia pergamus.

ARTICULUS IV.

Expenditur reſponſum Petri de Marcâ, & aliorum quorundam.

Quæ hactenus expendimus Adverſariorum reſponſa ejuſmodi ſunt, ut etiamſi vera eſſent, argumenti noſtri vim non infringerent. Duo ſuperſunt, quæ ſi obtinerent, illud omnino labefactarent. Primùm enim Pet. de Marcâ referente in ipſius vitâ Baluzio, conſtituerat diſſertationem quandam edere, in qua volebat oſtendere fuiſſe Honorium, non propter errorem, aut hæreſim, ſed propter negligentiam damnatum, eo quòd Monotheliſ-

theliſmum, quem reprimere pro virili parte debuit, tolerando foverit, & promoverit. Hanc deinceps viam multi inierunt, nominatim Lupus, Auctor Hiſtoriæ Monothelitarum, Nat. Alexander, & Joannes Garnerius ad Diurnum Romanum.

Ego verò iſtos, vel iſtorum ſaltem pleroſque, valde miror, qui ita pro Pontificis infallibitate pugnant, ut alterum ejus privilegium priori illo vix levius manifeſtiſſimè prodant. Negant Honorium damnatum ut hæreticum, ſed ut negligentem duntaxat. Sed ſi damnatus ſit ut negligens, tunc certè Concilium Pontifice ſuperius erit, quo ſemel admiſſo ipſam quoque ruere Pontificis infallibilitatem nemo negabit. Poteſt quidem juxta Adverſarios hæreticus Pontifex à Concilio judicari, abſque ullo ſuperioritatis veri, & orthodoxi Pontificis diſpendio, eo quòd per hæreſim Pontificatu, atque adeo ſuperioritate, excidere exiſtimetur. Sed propter negligentiam damnari à nullo poteſt, ſi omnibus major ac ſuperior ſit. Teſtis Canon, *Si Papa*, in quo exertè pronunciatur, dato quòd Papa ſuæ atque alienæ ſalutis negligens innumerabiles catervas ſecum ad inferos deducat, ejus tamen culpas redarguere mortalium nullum, eo quòd omnes ille judicet, & à nemine judicetur. Cadit ergo hoc jure, atque adeo infallibilitate, ſi propter negligentiam damnari à Conciliis poteſt.

Hac, ni fallor, de cauſâ, ſolutionem iſtam adhibere noluit Eugenius Lombardus, hoc eſt, ut audio, Sfondratus Comes, in ſuâ Galliâ vindicatâ, maluitque cum Baronio dicere acta fuiſſe vitiata, quàm aliter reſpondendo ſuperioritatem Pontificis in Concilia labefactare. Prudenter profectò, & cautè. Habuit autem in eo quem ſequeretur Hadrianum II. qui in Synodo Romanâ, cujus acta habentur act. 7. octavæ Synodi, moleſtè ferens damnatum

natum à Photianâ Synodo Nicolaum I. hæc ait: *Intolerabilis eſt hac audacia, dilecti fratres, adeoque aures cordis mei eam ferre nullo modo poſſunt. Inauditum hactenus eſt, Romanum Pontificem à cæteris Eccleſiis eſſe judicatum, ſed alias omnes ab illo judicari ſcimus. Nam quamvis Honorius poſt mortem ab Orientis Epiſcopis anathemate ſit affectus, manifeſtum tamen eſt, illum de hæreſi fuiſſe accuſatum, quâ ſolâ in cauſſâ licet inferioribus in ſuperiores inſurgere.*

Iſto igitur judice, non propter negligentiam, ſed propter hæreſim, damnatus Honorius fuit, nec aliâ de cauſâ damnari jure potuit. Teſtatur adhuc id ipſum Anaſtaſius Bibliothecarius in Præfatione ad Marinum Diaconum Collectaneis ſuis præfixâ. *Licet*, inquit, *huic* (Honorio) *ſexta ſancta Synodus quaſi hæretico anathema dixerit.*

Tertium adhuc eorum quæ dicimus teſtem habemus, Vetus Romanum Breviarium, cujus in feſto Leonis II. hæc ſunt: *Hic ſuſcepit ſanctam ſextam Synodum..... in qua Synodo condemnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, nec non Macarius, cum diſcipulo ſuo Stephano, ſed & Polychronius novus Simon, qui unam voluntatem & operationem in Domino Jeſu Chriſto dixerunt, vel prædicaverunt.*

Quartus ſuppetit Epiphanius Diaconus, coram ſeptimâ Synodo, & nemine reclamante hæc dicens (a), *Has ſanctas & univerſales Synodos, & præcedentes eas, ſuſceperunt Sergius Conſtantinopolitanus, Cyrus Alexandrinus, Honorius Romanus, & qui circa ipſos ſunt, unam voluntatem in Chriſto condicentes, ſed ut hæretici anathematizantur à Catholicâ Eccleſiâ per hæreſim ſuam vana loquentes.*

(a) *Concil. VII. act. VI. p. m.* 741.

Synodus Iconoclaſtica 338 Patrum ſub Copronymo, cujus decretum in Nicænâ II. prælectum fuit, nec in hoc ſaltem reprehenſum (b). *Similiter*

(b) *Concil. VII.*

act. VI. p. m. 742. *liter & ea* (Synodus) *quæ temporibus Conſtantini pii Prinpipis in hac à Deo conſervandâ urbe 170. ſanctorum Patrum convenit, quæ anathematizavit, & abjectum fecit Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Honorium Romanum, Sergium.... eo quòd dicerent unam voluntatem & operationem in duabus unius Chriſti Dei noſtri naturis.*

Denique tota Octava Synodus in decreto fidei à Romanâ ſede comprobato. *Anathematizamus Theodorum, qui fuit Epiſcopus Pharan, & Sergium, & Pyrrhum, & Paulum, & Petrum impios Præſules Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ atque cum eis Honorium Romæ, unà cum Cyro Alexandriæ, nec non & Macarium Antiochiæ, & diſcipulum ejus Stephanum, qui ſine voluntate, ac operatione animatam animâ rationali Dei carnem prædicaverunt.*

Iſti omnes duo dicunt, quibus tota hæc diſputatio profligatur. Alterum damnatum Honorium ut hæreticum, ſic enim Hadrianus, Anaſtaſius, Epiphanius Diaconus: Alterum hanc fuiſſe Honorii hæreſim, hanc damnationis cauſam, quòd unam voluntatem, unam operationem in Chriſto agnoverit, ſic enim Breviarium vetus, Epiphanius Diaconus, Synodus Iconoclaſtica, atque Octava. Si qua igitur illis debetur fides, ruit hoc reſponſum, & defendi non poteſt. Sed etſi mentitos illos quiſquam diceret, non ideo tamen argumenti noſtri vim effugeret. Non poſſet enim negare, quin iſti ſaltem, qui propter hæreſim damnatum Honorium dicunt, infallibilitatem illius neſcierint.

Sed nihil neceſſe eſt extraneos iſtos teſtes, quantumvis locupletes, audire. Habemus ipſam ſextam Synodum, quæ mentem ſuam apertiſſimè expoſuit, & quidem non ſemel. Sunt quædam in ejus actis, fateor, quæ torqueri aliorſum poſſunt, ſed ſunt etiam nonnulla tam aperta, tam plana, ut ſatius duxerit

xerit Garnerius ea diſſimulare, quamvis profeſſus velle ſe omnia prorſus proferre, quàm impotentiam ſuam, & ſententiæ, ſuam defendendam ſuſceperat, falſitatem patefacere. Quid v. g. diſertius, quàm quod habetur act. 16. ſub finem? *Exclamaverunt univerſi, Multos annos Imperatori.... Honorio hæretico anathema.* Non hic negligens, aut deſes, aut ſomnolentus, Honorius dicitur, ſed hæreticus, & ut talis anathemate feritur. Et negabitur deinceps propter hæreſim damnatus?

Ad hæc Honorii epiſtolæ in genere, & ut loquuntur, *in globo*, tanquam noxiæ & pernicioſæ damnantur. Sic enim act. 13. *Retractantes dogmaticas epiſtolas....ſimiliter autem & epiſtolam ab illo, id eſt Honorio, reſcriptam ad eundem Sergium, haſque invenientes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & à definitionibus ſanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, ſequi verò falſas doctrinas hæreticorum, eas omnino abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur.*

Tertiò quædam ex illis epiſtolis pericopæ decerpuntur. Tum hæc adduntur (c). *Sanctum Concilium dixit. Cognitionem accipientes prolatorum nobis à Georgio Deo amabili Diacono.... libellorum, atque chartarum, ſive aliorum opuſculorum, comperimus in unam eamdemque impietatem concurrere, & prævidimus hæc tanquam profana, & animæ pernicioſa, continuò ob perfectum exterminium igne concremari.*

(c) *act.* 13. *aliis* 14. *p. m.* 227.

Quartò in quo ſitus ſit Honorii error aperitur, in hoc ſcilicet, quòd unam voluntatem, unam operationem Chriſti docuerit. Sic enim act. 18. *Non deſtitit ab exordio adinventor malitiæ.... organa ad propriam ſui voluntatem apta reperiens, Theodorum dicimus... inſuper & Honorium, qui fuit Papa antiquæ Romæ.... non vacavit per eos plenitudini Eccleſiæ erroris ſcandala ſuſcitare, unius voluntatis, &*

unius operationis in duabus naturis unius de ſanctâ Trinitate Chriſti veri Dei noſtri, orthodoxæ plebi noviſſonè diſſeminando hæreſim conſentaneam inſanæ ac malitioſæ ſectæ &c.

Denique non omittitur contradictio, in quam lapſus eſſe Honorius exiſtimatur, modò unam voluntatem apertè docens, modò unam doceri vetans. Sic enim Conſtantinus A. in Edicto quod habetur act. 18. *Hujuſmodi denique contagione Eccleſias contaminaverunt etiam hi, qui ante noſtra tempora ſacrilegi Sacerdotes Eccleſias perverſe gubernarunt. Sunt autem hi: Theodorus.... ad hæc & Honorius, qui fuit antiquæ Romæ Papa, hujuſmodi hæreſeos confirmator, qui etiam ſui extitit oppugnator.* Vel ut habet ſcholion marginale, *Qui etiam ſibi non conſtat.*

Sic igitur manifeſtiſſimè patet nihil dici falſius poſſe, quàm fuiſſe Honorium propter ſolam negligentiam, & non propter aſſertam hæreſim à VI. Synodo damnatum. Imò de negligentiâ nihil Synodus, de hæreſi, de pravo dogmate, de unâ Chriſti voluntate aſſertâ, clarè, perſpicuè, apertiſſimè loquitur. Quare non poteſt negari exiſtimatum illum, verè an falſò nihil attinet, in hæreſim lapſum.

Denique licet quæcunque dixi eludi poſſent, quod qua ratione fieret prorſus non video, licet certum eſſet nonniſi propter negligentiam damnatum à ſextâ Synodo Honorium, maneret ſemper Octavæ Synodi judicium jam deſcriptum. *Anathematizamus*, inquit, *Theodorum.... Honorium Romæ.... qui ſine voluntate ac operatione animatam animâ rationali Dei carnem prædicaverunt.* Iſta, ſi poſſunt, eludant Adverſarii. Ego fruſtra ſudaturos quotquot id aggredientur certiſſimus ſum.

AR-

ARTICULUS V.

Extremum effugium præcluditur.

TOt reſponſis depulſi Adverſarii eò tandem confugiunt, ut dicant Honorium, ſi erravit, non ut Pontificem, ſed ut privatum erraſſe, idque eo confirmant, quòd epiſtola qua error ille adſtruitur, non ſit encyclica, ad omnes totius orbis fideles data, ſed privata, ad ſolum Sergium exarata. Aiunt tunc tantùm Pontificem ut Pontificem, & *ex cathedrâ* docere, cum univerſam Eccleſiam docet, non ubi unum atque alterum informat. Unde colligunt nihil ex hac Honorii damnatione adverſus infallibitatem, qualem defendunt, inferri poſſe. Sic Bellarminus, Eugenius Lombardus, Gisbertus, aliique non pauci.

Sed nec iſtud reſponſum reliquis ſolidius comperitur. Agnoſco libens flagitare Adverſariorum non paucos, ut Pontifex univerſam Eccleſiam doceat, ad hoc ut *ex cathedrâ* pronunciet. Sed aio juxta illos tunc univerſam Eccleſiam doceri, cum quid ſit de fide, quid cum eâ pugnet, docetur, etiamſi hæc definitio ad unum duntaxat, vel ad paucos dirigatur. Sanè eo ipſo quòd aliquid dicitur eſſe de fide omnes ad ita credendum obligantur, ſicut eo ipſo quòd aliquid dicitur eſſe hæreticum, obſtringuntur omnes ad id cavendum.

Nec deſunt aperta Adverſariorum teſtimonia, quibus id ipſum profitentur. Sic Bannes ut probet non poſſe Pontificem errare in preſcribendis legibus uni Diœceſi, v. g. Salmanticenſi, hæc ait (a). *Eadem eſt ratio quando ſummus Pontifex definit*

(a) Bann. 2. 2. quæ.

ſt. 1. art. 10. dub. 6. concluſ. 4.

finit aliquod dogma interrogatus ab aliqua particulari Eccleſiâ, atque ſi interrogaretur à totâ Eccleſiâ univerſali: ita etiam ſicut eſt una fides in Eccleſiâ, neceſſe eſt quòd mores ad ſalutem neceſſarii ſint iidem.

Similiter Duvallius eandem quæſtionem tractans (b). *Primùm*, inquit, *eodem modo ſe habet Pontifex cum ab aliquo particulari de fide interrogatur, ac cum de moribus. Atqui reſpondens ut Pontifex de quæſtionibus fidei alicui particulari errare nequit. Ergo neque quando de moribus ab aliquo particulari interrogatur. Licet enim interrogatio ſit particularis, ſtatus tamen quæſtionis generalis eſt, & qui toti Eccleſiæ convenire poteſt. Ergo pari modo reſponſio.*

(b) *Duvall. de poteſt. Pont. part. 2. quæſt. 7.*

Pariter Mæratius (c). *Summi Pontifices errare non poſſunt reſpondentes ad ea de quibus ab Eccleſiæ membris tanquam ſuprema ejus capita interrogantur, & ad communem omnium doctrinam pertinent.*

(c) *Mar. de bapt. diſp. 3. ſect. 2.*

Sanè ſi ea duntaxat decreta à Pontifice ut Pontifice, & *ex cathedrâ*, manare cenſenda ſunt, quæ ad univerſam Eccleſiam expreſſè diriguntur, pauciſſima ejuſmodi, præcipuè ex vetuſtioribus, remanebunt. Erant illa ferè omnia, ut obſervat Duvallius (d), totidem reſponſa ad paucorum Epiſcoporum, ſæpiſſimè ad unius, conſultationes data, ut videbit facilè quiſquis ea luſtrabit. Sic v. g. plurima Innocentii I. Zoſimi, & Bonifacii adverſus Pelagianos judicia literis ad Africanos continentur. Sic celeberrima illa Leonis I. adverſus Eutychetem Epiſtola ad Flavianum ſcripta fuit. Imò noviſſimis hiſce ſeculis ſuam Retractationis Bullam Scholæ Colonienſi, ejuſque Rectori, inſcripſit Pius II. Innumera ejuſmodi exempla proferri poſſent, ſi opus eſſet. Hoc duntaxat in memoriam revocandum, quod ſuprà fuit obſervatum, contendiſſe Nicolaum I. omnes omnino Romanorum Præſulum epi-

(d) *Duvall. ubi ſuprà.*

epiſtolas vim legis obtinere. Imò tantùm abeſt ut eas excluſerit, quem ille profert, Gelaſius, quibus ad privatorum conſultationes reſponſum fuit, ut de iis ſolis locutus ſit. Sic enim ait (e). *Decretales epiſtolas, quas beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab urbe Româ pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendas decernimus.* (e) *Diſt.* 19.

Non eſt igitur quòd ideo minoris faciendæ ſint Honorii epiſtolæ, quòd ad Sergium ſcriptæ. Eadem hoc non obſtante eſſe earum dignitas debuit, modò reliqua adfuerint, ut adfuiſſe manifeſtum eſt. Primùm enim illis conſulenti Sergio Honorius reſpondit. Conſuluerat autem Honorium Sergius, non quà Doctorem, ſed quà Papam, quod non unâ ratione patet. Hoc primùm evincit ipſa argumenti conditio. Sergius ipſe, Cyruſque Alexandrinus, reducendorum in Eccleſiæ gremium hæreticorum ſpe decreverant, nullam ampliùs vel unius, vel duplicis voluntatis mentionem faciendam eſſe. Id ipſum obtinuerant à Sophronio Hieroſolymitano priùs utrique infenſo, & pacem hac ratione pepigerant. *At citra ſedis Apoſtolicæ auctoritatem,* inquit Ch. Lupus (f), *vacillant, & caduca ſunt quævis, etiam Patriarcharum, pacta de dogmate. Hinc initam cum Theodoſianis concordiam .... Sergius apud Honorium Pontificem, atque poſtrema hac cum Sophronio, quem de vocum novitate traducebat, concordata poſtulabat confirmari.* Siccine, quæſo, apud Doctorem agitur? Potuitne aliter apud Pontificem? (f) *Lup. diſſ. de VI. Syn. cap.* 4.

Præterea demiſſiora ſunt Sergii verba, quàm ut ea aliter intepretemur. *In tantum*, inquit, *vobis ſanctiſſimis in omnibus unanimitate Spiritûs conſtringimur, ut ſtudeamus omnium conſiliorum noſtrorum & actionum vos ſacratiſſimos habere Præſidentes.* Et in fine epiſtolæ: *His igitur omnibus à principio*

ita

ita provenientibus, rationabile ſimul & neceſſarium judicavimus de his quæ partim memorata ſunt cognitionem dare veſtræ fraternæ, atque unanimi beatitudini, per exemplaria quæ à nobis directa ſunt, & adhortamur vos, ſacratiſſimi, hæc omnia legere, & Deo placitam ac pleniſſimam charitatem, quæ in vobis eſt, nunc quoque ſequentes, ſi quid amplius minuſve inveneritis, hoc per datam vobis à Deo gratiam adimplere, atque per ſanctas ſyllabas veſtras, unà cum veſtrâ optabili ſoſpitate, quæque ſuper his vobis fuerint placita ſignificare. Hæc Sergius, quæ tantam Romanæ ſedis reverentiam ſpirare Baronio viſa ſunt, ut eâ de causâ Sergium hæreſis notâ liberaverit. *Etſi*, inquit (g), *quid perperam dictum in illis eſſet, haud tamen hereticus omnino eſſe auctor convinci poterat, dum ad calcem ejuſdem epiſtolæ ad Honorium ſcriptæ ejus ſubjicere ſe cenſuræ teſtatur, dum ſi quid minus, vel amplius ipſe Pontifex Romanus in epiſtolâ eſſe cognoverit, ut adjiciat pariter, vel dimoveat, rogat.* Binius quoque notis in hanc epiſtolam ait Sergium per iſta ſe, ſuaque, ſubjeciſſe cenſuræ Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ. Cum igitur Honorium ut Pontificem Sergius conſuluerit, ut Pontifex reſpondiſſe Honorius negandus non eſt.

(g) Bar. ann. 633.

Rurſus id ipſum indicant Honorii verba, Pontificem magis quàm Doctorem redolentia. *Hæc nobiſcum*, inquit, *fraternitas veſtra prædicet, ſicut & ea nos vobiſcum unanimiter prædicamus, hortantes vos ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiſcum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei vivi, Deum veriſſimum in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus fide orthodoxâ, & unitate Catholicâ prædicetis.* Quod ita Baronius interpretatur, ut impoſitum hac ratione Cyro ſilentium fuiſſe pronunciet, Lupus ut confirmata trium illorum Patriarcha-

rum

rum pacta doceat. Hoc autem Pontificis eſſe, non Doctoris, quivis videt.

Hæc rurſus clara mihi videntur. *Scribentes etiam communibus fratribus Cyro & Sophronio Antiſtitibus, ne novæ voci, id eſt unius, vel geminæ operationis vocabulo, inſiſtere, vel immorari videantur, ſed abraſâ hujuſmodi novæ vocis appellatione unum Chriſtum Dominum nobiſcum in utriſque naturis, divinâ, vel humanâ, prædicent operantem. Quanquam hos, quos ad nos prædictus frater & Coepiſcopus noſter Sophronius miſit, inſtruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare innitatur, quod inſtantiſſimè promiſerunt prædictum virum eſſe facturum, ſi etiam Cyrus frater & Coepiſcopus noſter ab unius operationis vocabulo diſceſſerit.* Hæc rurſus Doctoris non ſunt, ſed Pontificis.

Ad hæc dicunt Adveſarii docere Pontificem ut Pontificem, quoties aſſerit id quod docet eſſe de fide. Docebit ergo ut Pontifex quoties negabit aliquid eſſe de fide, nec iſtud ſanè quiſquam, niſi abſurdiſſimè inficiabitur. Atqui non ſemel in his epiſtolis negat Honorius unam vel duas operationes eſſe de fide. Nam præter ea quæ jam prolata ſunt, quid clarius iſtis? *Non oportet ad dogmata hæc Eccleſiaſtica retorquere, quæ neque Synodales apices ſuper hoc examinantes; neque auctoritates canonicæ, viſa ſunt explanaſſe, ut unam vel duas energias aliquis præſumat Chriſti Dei prædicare, quas neque Evangelica, neque Apoſtolicæ literæ, neque Synodalis examinatio ſuper his habita viſa ſunt terminare.* Et paulò pòſt. *Nam quia Dominus Jeſus Chriſtus Filius ac Verbum Dei, per quem facta ſunt omnia, ipſe ſit unus operator divinitatis atque humanitatis, plenæ ſunt ſacræ literæ luculentiùs demonſtrantes. Utrum autem propter opera Divinitatis & humanitatis, una an geminæ operationes debeant derivatæ dici, vel intelligi,* ad

ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis, qui ſolent parvulis exquiſita derivando nomina venditare. Nos enim non unam operationem, vel duas, Dominum Jeſum Chriſtum, ejuſque ſanctum Spiritum, ſacris literis percepimus, ſed multiformiter cognovimus operatum.

Atque, ut hoc obiter dicam, in eo præcipuè erraſſe Honorius mihi videtur. Difficile enim eſt illum aſſerti Monotheliſmi reum peragere, etſi eâ de re Veteres non dubitarint. Sed à quo purgari nequaquam poteſt, hoc eſt, quod eſſe geminam Chriſti voluntatem atque operationem, non minùs negaverit ad fidem pertinere, & Evangelicis atque Apoſtolicis literis, Veterumque tractatibus contineri, quàm eſſe unam. Quare Sophronium, qui duplicem defendebat, reprehendit tanquam novitates ſectantem. Malè proculdubio, ſiquidem duplicem eſſe Chriſti & operationem, & voluntatem, res eſt indubitatè revelata, à Veteribus tradita, eaque de cauſâ à ſexta Synodo aliquanto pòſt definita. Negare autem id eſſe revelatum, quod revelatum verè eſt, quid aliud eſt quàm errare? quid aliud quàm pravè definire? Si enim, ut dixi, affirmare aliquid eſſe de fide eſt definire, id ipſum negare non poteſt non eſſe definitio.

Denique non docet tantùm Honorius quid non pertineat ad fidem, ſed etiam quid ſit de fide. *Hortantes vos*, inquit, *ut unius, vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes unum nobiſcum omnium.... fide orthodoxâ, & unitate Catholicâ prædicetis.* Clariſſimè exponit quid ſit de fide, quid non ſit. Ait eſſe de fide unum eſſe Chriſtum. Negat eſſe de fide quod ſit una vel gemina operatio. Imò innuit fidem violari, ſi vel una, vel duplex Chriſti operatio dicatur. Agit ergo juxta

Ad-

Adverſarios ut Pontifex. Cumque ut Pontifex ſemper egerit, manifeſtum eſt Concilia, quæ illum damnarunt, ut Pontificem, non ut Doctorem damnaſſe.

OBSERVATIO XIII.

Diſputationes de Imaginum cultu id ipſum multipliciter produnt.

NOrunt omnes quas turbas olim dederit Imaginum cauſa, quibuſdam & haberi eas, & adorari volentibus, quibuſdam nec adorari, nec haberi, aliis mediam quandam viam ineuntibus, & haberi quidem ſinentibus, ſed ne colerentur vetantibus. Inter eas concertationes multipliciter patuit quanti Romanorum Pontificum, quibus trium illarum ſententiarum prima placuit, judicium atque auctoritas fieret. Quare ne rerum multitudine Lectoris ingenium conturbetur, fiet id quod alibi jam factum, obſervationibus circa iſtud argumentum noſtris in articulos quoſdam digeſtis.

ARTICULUS I.

Gregorii II. de Imaginibus judicium, & Græci, & Galli ſpreverunt.

IRrepſerant in Chriſtianorum templa Imagines. Submovit Leo Iſaurus Imp. quo valde commo- *Sæc. VIII.*

tus

tus Gregorius II. Papa binas ad illum literas ſcripſit, quas à Frontone Ducæo acceptas Baronius Græcè & Latinè edidit ad annum 726. In iis Leonem vehementer obteſtatur ut Imagines reſtituat, nec uſum earum tantùm, ſed venerationem etiam diſertiſſimè commendat; ac tandem zelo abreptus Deum orat ut Imperatorem Diabolo tradat. *Nos*, inquit (a) *Greg. epiſt. 2. ad Leon.* (a), *inermes ac nudi, qui terrenos & carnales exercitus non habemus, invocamus Principem exercitûs omnis creaturæ ſedentem in cœlis, Chriſtum, qui eſt ſuper omnes exercitus ſupernarum virtutum, ut immittat tibi Dæmonem.*

Fatendum tamen in rei ſummâ non eò uſque provectum, quò deinceps deventum eſt. Nam & cultum videtur Imaginibus non alium aſſignare quàm relativum, & primæ Sacroſanctæ Trinitatis perſonæ Imagines apertè improbat. Sic enim ait. [b] *epiſt. 1. ad Leon.* (b). *Cur tandem Patrem Domini Jeſu Chriſti non oculis ſubjicimus ac pingimus? Quoniam quis ſit non novimus, Deique natura ſpectanda proponi non poteſt ac pingi. Quòd ſi eum intuiti eſſemus, ac noviſſemus, prout Filium ejus, illum quoque ſpectandum proponere potuiſſemus ac pingere.* Hæc ille, ad quæ Baronius iſta ad marginem annotat. *Poſtea uſu venit ut pingatur in Eccleſiâ Deus Pater, & Spiritus S. non quòd ſub aſpectum cadant, ſed uti apparuiſſe in divinis Scripturis leguntur, ſub formâ Senioris, & ſub imagine columbæ.* Iſta obſervare obiter placuit, ut erroris progreſſus aliqua ex parte perſpiciatur.

Quicquid ſit perſiſtente Leone Synodum Romæ Gregorius habuit, in qua Iconomachos ana- (c) *Zon.* themate percuſſit. Teſtis Zonaras (c). *Gregorius*, inquit, *qui tum Romæ veteris Eccleſiam gubernabat, repudiatâ ſocietate Præſidis novæ Romæ, Leonis ſcilicet Imperatoris, nec non eorum, qui illum ſequerentur, illos unà cum Imperatore Synodico anathemate obſtrin-*

obſtrinxit, & vectigalia, quæ ad id uſque tempus Imperio inde pendebantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere. Et inferiùs. *Igitur Papa Gregorius deſertâ Imperatoris obedientiâ ob perverſam ejus opinionem (ut dictum eſt) pacem cum Francis fecit, cum priùs ſæpè dediſſet operam, ut Leonem per literas ab odio Dei revocaret, atque ad cultum ſacrarum imaginum reduceret.*

Si exiſtimatus tunc fuiſſet errare neſcius Pontifex, lis univerſa finita eſſet. Reſtitutæ fuiſſent in Templa imagines, redditusque illis, qui priùs deferebatur, cultus, quicunque tandem is ſit. Aliud tamen contigit, & non tantùm ſub Leone, ſed etiam ſub Conſtantino Copronymo abjectæ imagines fuerunt, idque ipſum frequenti totius Orientis Concilio, in quo ſedebant 338 Patres, ſancitum eſt.

Miſit aliquanto pòſt Conſtantinus ſplendidam Legationem ad Pipinum Gallorum Regem, ut & alia quædam tractaret, & quæ circa imagines fecerat ipſi approbaret. Pipinus numeroſam Synodum Gentiliacum convocavit, ubi negotium iſtud diſcuſſum. Periere conventûs acta, imò quid decretum ibi fuerit nemo Hiſtoricorum prodit. Tamen ex iis quæ ſecuta ſunt conjiciunt Docti retentas imagines, cultum damnatum; hæc enim fuit, ut videbimus, Gallorum ejus temporis conſtans ſententia. Quare non dubitavit Sirmondus id aſſerere. Etenim in admonitione quadam ad Lectorem de canone II. Concilii Francofurtenſis ait in Synodo Gentiliacâ contra Græcos Iconoclaſtas adſtruxiſſe Gallos retinendas imagines eſſe, ſed memoriæ tantùm cauſâ, & inſtructionis habendas, non adorandas, quod penitus reſpuebant.

Et Græci igitur, & Galli, quamvis in reliquis non omnino concordes, in hoc ſaltem conſentiebant,

quòd in rebus Religionis à Pontificis judicio pendendum ſibi non exiſtimarent. Sed id multo luculentiùs ex ſequentibus patebit.

ARTICULUS II.

Stephani, Hadriani, & Nicæna II. Synodi judicio plurimi acquieſcere noluerunt.

GRegorii ſucceſſores ipſius decretum renovarunt. Nominatim Stephanus III. aliis IV. Synodum anno 769. Romæ habuit, & quidem præſentibus duodecim ex Galliâ Epiſcopis, in qua hunc canonem edidit, qui & apud Holſtenium in Collectione bipertitâ, & in noviſſimâ Conciliorum editione habetur: *Si quis ſanctas imagines Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejus genitricis, atque omnium Sanctorum, ſecundum Sanctorum Patrum ſtatuta venerari noluerit, anathema ſit.*

Iſtis cum non omnes acquieſcerent, coacta ſub Hadriano numeroſa Synodus Nicæna II. quam ſeptimam Oecumenicam dixere. Adfuere Romani Præſulis Legati tres, ampliſſimam proculdubio de rebus in eâ gerendis inſtructionem habentes. Lectæ ſunt frequenti Synodo Hadriani literæ, in quibus Imaginum & uſus, & cultus commendantur. Ut lectæ, ſic approbatæ illæ ſunt. Nam ut habetur in Actis, *Petrus & Petrus Deo amabiles Presbyteri, & Legati Apoſtolicæ cathedræ dixerunt. Dicat nobis S. Synodus, ſi admittit literas Sanctiſſimi Papæ ſenioris Romæ, an non? S. Synodus dixit: Sequimur, & ſuſcipimus, & admittimus.* Duplici ergo nomine juxta

ta Adverſariorum placita robur habere debuit Synodus iſta, & quòd Patres Legatis datam ſibi inſtructionem ſequentibus aſſenſi ſint, & quòd univerſum Concilium in ſententiam Pontificis literis expreſſam, & prærogativæ jure primo loco prolatam pedibus iverit. Quare nullâ aliâ confirmatione opus erat.

Novam tamen Hadrianus dedit, nam in epiſtolâ ad Carolum Magnum teſtatur admiſſam à ſe fuiſſe Synodum iſtam. *Ideo*, inquit, *ipſam ſuſcepimus Synodum, nam ſi eam minimè recepiſſemus, & ad ſuum priſtinum vomitum fuiſſent reverſi, quis pro tot millium animarum Chriſtianorum interitu habuit reddere rationem ante terribile, tremendum divini judicii examen, niſi nos ſolummodo?* Quare de hoc Concilio ita Bellarminus (a). *Sine dubio illi* (Francofurtenſi) *anteponendum eſt Concilium Nicænum II. quod certum eſt fuiſſe univerſalius, antiquius, & ſine controverſiâ à ſummo Pontifice approbatum. Nam conſtat ex ipſo Concilio adfuiſſe Legatos Papæ Adriani, & rurſum approbatum à Leone III. patet ex Yvone 4. part. cap.* 147.

(a) *Bell. de Concil. lib. 2. cap.* 8.

Atqui repudiatum id fuiſſe ab Eccleſiâ Gallicanâ, Germanicâ, Anglicâ, ipſoque Concilio Francofurtenſi, cui præter trium illarum provinciarum Epiſcopos etiam Itali intererant, & res eſt notiſſima, & Adverſarii, nominatim Baronius (b), Bellarminus, Petrus de Marcâ, & Ch. Lupus confitentur, & ſi quod dubium ſupereſſet, amoviſſent illud viri duo doctiſſimi Joannes Dallæus, & Pet. Allix. En tibi ipſa Canonis, quem Lupus infeliciſſimum appellat, quemque deperditum primus reperit, & publici juris fecit Jac. Sirmondus, verba. Titulus ſic habet. *Synodus Græcorum de imaginibus rejecta.* Canon verò ſic. *Allata eſt in medium quæſtio de novâ Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus*

(b) *B.tr. ad ann.* 794. *ſ.* 40.

Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum ita ut Deificæ Trinitati ſervitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſuprà ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnarunt.

Sufficiunt iſta, nec neceſſe eſt duos Anonymos Annalium Francorum ſcriptores, incertum vitæ Caroli Magni auctorem, Eginardum, Hincmarum, Freculfum Lexovienſem, Poetam Saxonicum, Reginonem, Urſpergenſem Abbatem, Hermannum Contractum, teſtantes Nicænam Synodum à Francofurtenſi rejectam proferre. Si quis tamen eorum teſtimonia legere cupiat, adire poterit Doct. Allixium in diſſertatione de Conciliorum decretis ad examen revocandis, cap. 6. ubi illa reperiet. Unicum addam doctiſſ. Mabillonii teſtimonium, qui poſtquam dixit Claudii Taurinenſis temporibus nullam Synodum extitiſſe, quæ imaginum cultum ſtatuiſſet, hæc addit (c). *Nam quod hac de re habitum eſt Concilium Nicænum II. veluti profanum tunc repudiabat Gallicana Eccleſia.*

(c) Mab. Anal. tom. 1. pag. 212.

Multa Adverſarii comminiſcuntur ut ictum iſtum declinent. Sed quæ argumentum noſtrum reſpiciant duo tantùm ſunt. Fatentur Petavius & Mamburgius approbatam fuiſſe ab Hadriano Nicænam Synodum, ſed juridicè confirmatam negant. Bellarminus confirmatam agnoſcit, ſed neſciviſſe illud Francofurtenſes contendit. Verùm utroſque refellit ex Adverſariis Lupus, ex noſtris jam laudatus doctiſſ. Allix. Priores ſanè abſurdiſſimi mihi videntur. Nam & nunquam oſtendent hanc ſimplicis approbationis, & juridicæ confirmationis diſtinctionem Veteribus notam, aut uſitatam fuiſſe, etſi eam obtinuiſſe conſtaret, non parum concutere-

teretur veterum Conciliorum firmitas, quibus datam fuiſſe juridicam hanc confirmationem à ſimplici approbatione diſtinctam, nunquam Adverſarii evincent. Denique hæc, ſive approbatio, ſive confirmatio, Nicænæ Synodo neceſſaria neutiquam fuit, habita quippe fuerat, ut jam obſervavimus, præſentibus & conſentientibus Romanæ ſedis Legatis, ampliſſimâ de rebus agendis inſtructione munitis, & Hadriani ſententia literis comprehenſa lecta & approbata fuerat, quæ ubi obſervantur nullâ confirmatione opus eſſe ipſe Bellarminus docet.

Eo ipſo Bellarminus quoque confutatur. Qui enim Nicænæ Synodi acta, in quibus iſta narrantur, præ manibus habuere Francofurtenſes Patres, neſcire neutiquam potuerunt. Legebant ipſam Hadriani epiſtolam actis inſertam. Videbant illam ab univerſà Synodo ſuſceptam, atque admiſſam. Continebat illa quicquid in ipſo Synodali decreto definiebatur. Quid requirere ampliùs potuerunt? Si requiſiviſſent tamen præſtò erant Hadriani Legati Stephanus & Theophylactus Epiſcopi, qui Nicæna acta Francofurtum detulerant, eorumque publicationem Hadriani nomine enixiſſimè poſcebant. Et dicet tamen Bellarminus neſciiſſe Francofurtenſes an illa Hadrianus approbaſſet.

Sed Nicænam Synodum miſſam prorſus faciamus. Tria ſunt quæ Adverſarii nunquam negabunt. I. Tempore illo, de quo dicimus, aliquot Romanos Pontifices quæſtionem de imaginum cultu affirmativè definiiſſe, nominatim Gregorium II. Stephanum III. & Hadrianum, de quibus ſuprà, & præter iſtos Zachariam, Stephanum alterum, ac Paulum, de quibus Hadrianus in epiſtolâ ad Conſtantinum & Irenen.

II. Non potuiſſe has Romanorum Pontificum definitiones Gallis Epiſcopis ignotas eſſe. Nam

præter quàm quòd iſtud ſit ex ſe ſatis incredibile, obſervavimus jam ſuprà adfuiſſe illi Synodo, in qua Stephanus decretum ſuum emiſit, duodecim Gallicanos Epiſcopos. Obſervavimus rurſus habuiſſe præ manibus Francofurtenſes Patres Acta Nicæna, quibus Hadriani ad Conſtantinum ac Irenen, item ad Tharaſium, inſertæ erant.

III. Exiſtimaſſe illis temporibus Gallos, Britannos, Germanos, licere quidem imagines habere, ſed nullum illis cultum deberi. Hoc non agnoſcunt tantùm Adverſarii, ſed tragicè deplorant, nominatim Baronius, ſingulos, quos in hoc erraſſe exiſtimat, ordine recenſens, tum addens (d). *Mirandum planè, atque dolendum eſt præclariores hujus ſeculi ejus provinciæ viros, nominatim ſuperiùs recenſitos, ſub duobus Imperatoribus Carolo, & Ludovico, adeo contentiosè, & animo penitus refractario, pertinaci ſtudio, indefeſſo conatu, inflexibili propoſito voluntatis adverſus adorationem ſanctarum imaginum contra ſeptimam Synodum obſtrepuiſſe, clamaſſe, & (pace eorum dixerim) inſaniiſſe, ut nihil veriti Oecumenicæ Synodi Majeſtatem, neque tot pro eâ pugnantium Romanorum Pontificum poteſtatem, niſi patentibus (ut vidiſti) mendaciis, malè perceptæ Gregorii Papæ ſententiæ innitentes, à communi Eccleſiæ Catholicæ ſententiâ reſilierint.*

(d) *Bar. ann.* 794. *n.* 88.

Quod de mendaciis interſerit, me non tangit, qui de illorum vel ſinceritate, vel perſpicaciâ non diſputo, & quæro duntaxat quid circa Pontificis infallibilitatem ſenſerint. Quæro quo pacto fieri potuerit, ut qui ſententiam ſuam ab eâ quam multi Romani Pontifices calculo ſuo confirmaverant, diverſiſſimam eſſe non ignorabant, exiſtimarent tamen infallibiles eos eſſe, à quibus diſſentiebant? Quomodo rurſus eos errare neſcios putarent, quibus

bus contradicere, quos confutare non verebantur?

Dixit jam Baronius eos non reveritos Romanorum Pontificum poteſtatem. Satis hoc apertum. Apertius tamen quod addam. *Quoniam*, inquit (e), *iidem ipſi, qui Nicenæ Synodo adverſabantur, Hadrianum quoque Romanum Pontificem præſtringebant, quem eandem comprobaſſe ſcirent... eodem falſo prætextu, quòd idem Romanus Pontifex Nicænam Synodum comprobaſſet, quæ imagines veluti Deum (ut mentiebantur) venerandas eſſe ſanxiſſet, adverſus eum ſtylum exercere, atque calumnioſè agentes non ſunt veriti dicere eundem Hadrianum palinodiam recantaſſe, atque tandem eadem cum ipſis ſenſiſſe.* Vides ut adverſus Hadrianum ipſum ſtylum ſtrinxerint, & datam Nicænæ Synodo confirmationem revocaſſe dixerint, quæ cum infallibilitatis opinione conciliari nullâ ratione poſſunt.

(e) Bar. ann. 794. n. 64.

Hæc rurſus apertiſſima mihi videntur. *Quod*, inquit (f), *deterius videri poteſt, & magis admirandum, quòd non ſolùm apud Patres illos, qui eidem Francofordienſi interfuerunt Synodo, tot tantaque mendacia fidem invenere; ſed apud poſteros, & quidem viros eruditione conſpicuos, & magni in eo ſæculo nominis, exiſtimantes, atque ſcriptis affirmantes, à noſtris coli ex præſcripto ejuſdem Nicæni Concilii ſicut Deum venerandas imagines. Hi enim duas conſtituerunt claſſes in ſacris imaginibus errantium; alteram eorum, qui eas frangerent, exurerent, vel quovis modo delerent; atque hac ex parte damnarunt ſeptimam illam Synodum Conſtantinopoli à Copronymo habitam: alteram verò eorum qui (ut putabant) ex Nicæni Concilii decreto aſſererent, debito Deo cultu eſſe colendas imagines; in hanc claſſem rejicientes omnes Nicænæ ſecundæ Synodi profeſſores, & Romanam quoque Eccleſiam inter eos annumerantes, quæ profiteri inveniretur eamdem Synodum*

(f) Bar. ibid. n. 58.

eſſe auctoritate Romani Pontificis celebratam, & confirmatam, atque ſcriptis defenſam, poſterioribuſque Conciliis roboratam. Ut planè obſtupeſcas adeo leviter ex ipſorum falſâ illâ aſſumptione, qua dicerent a Niceno Concilio ſtatutum, ut adoratione latriæ colerentur imagines, Orientem ſimul & Occidentem, quod reciperent illam Synodum, unà eorum ſententiâ damnationis incluſos.

Iſtis nihil addi poſſe videtur. Qui enim Romanam Eccleſiam, qui Romanos Pontifices, qui Occidentem totum, errantibus annumerant, ii, niſi prorſus inſanierint, nihil eorum infallibile putarunt. Fallor tamen ni ſequens articulus daturus ſit adhuc clariora.

ARTICULUS III.

Poteſtatem Pontificis falli neſciam Pariſienſis Synodi Patres prorſus neſcierunt.

Sec. IX. TRucidato Leone Armeno Michael Balbus imperium Orientis occupavit. Hic ad Ludovicum Pium, ejuſque filium Lotharium Legatos miſit, & literas ſcripſit, in quibus expoſitis exceſſibus, qui circa imaginum cultum in Oriente frequentes erant, ait Synodum quandam ſtatuiſſe, ut imagines in depreſſioribus templorum partibus locatæ amoverentur, quæ verò eſſent paulò excitiores retinerentur, ut ſic inſtructione plebis inſervire utcunque poſſent, monerentur inſuper omnes ne adorarent. Quo ſatis patet à priſtino Iconoclaſtarum rigore receſſiſſe hiſce temporibus Orientales, & in Gallorum ſententiam conceſſiſſe. Ut ut ſit Ludovicum Michael rogabat, ut Legatos ſuos apud Pontificem juvaret,

quò

quò impetrare faciliùs poſſent quæ erant ab illo petituri adverſus turbones quoſdam, qui Romam ex Oriente aufugerant. Annuit Ludovicus, & Freculſum Epiſcopum, atque Adegarium Romam miſit, qui cum parum promoviſſent, petierunt, ut cum Epiſcopis ſuis rem totam expendere Ludovicus poſſet. Conſentiente Pontifice, Ludovicus Epiſcoporum ditionis ſuæ delectum inſtituit, & doctiſſimos quoſque Lutetiam convocavit.

Iſti ergo re accuratè expenſâ prolixas ad Ludovicum & Lotharium literas dederunt, quas Baronius ad annum 825. refert. In iis verò ſic Principes illos affantur. *Primùm epiſtolam Domini Hadriani Papæ, quampridem pro imaginibus erigendis Conſtantino Imp. & Irenæ matri ejus ad eorum deprecationem in tranſmarinis partibus direxit, coram nobis legi fecimus, & quantum noſtræ parvitati res patuit, ſicut juſtè reprehendit illos, qui imagines Sanctorum temerario auſu in illis partibus confringere, & penitus abolere præſumpſerunt, ſic indiſcretè noſcitur feciſſe id quòd ſuperſtitiosè eas adorari juſſit. Pro quarum etiam causâ Synodum congregari præcepit, & ſuâ auctoritate ſub jurejurando cenſuit ut erigerentur, & adorarentur, & ſanctæ nuncuparentur, cum eas erigere licitum, adorare verò nefas ſit.*

Vides ut non tantùm imaginum cultum abjiciant, & nefarium ac ſuperſtitioſum pronuncient, ſed ipſam Hadriani decretalem epiſtolam, ipſam ejus Synodum, totâ ipſius auctoritate munitam, decretum etiam jurejurando firmatum; examinanda ſibi ſumant primùm, tum ſpernant, damnent, proculcent, indiſcretè facta aſſerant, & id illis juberi dicant, quod non liceat, quibus quid in noſtram ſententiam apertius, quid gravius dici queat, ego certè non video.

Pergunt, *Ex hujus namque epiſtolæ textu Impera-*

perator & Clerus, ſimulque populus, auctoritatem ſumentes Synodum fecerunt, in qua ſicut illi multam deviaverunt, qui imagines ſanctorum in illâ aliâ Synodo, quæ ſub Conſtantino, avo memorati Conſtantini, facta eſt, penitus abdicandas eſſe decreverunt; ſic iſti non mediocriter erraverunt, qui eas non ſolùm coli, & adorari, & ſanctas nuncupari ſanxerunt, verùm etiam ſanctimoniam ab eis ſe adipiſci profeſſi ſunt. Iſtis ergo judicibus erravit Nicæna Synodus, & quidem non mediocriter, & ideo erravit, quòd præeuntem Hadrianum ſecuta ſit.

Quæ ſequuntur obſcuriora non ſunt. *Eamdem*, inquiunt, *porrò Synodum cum ſancta memoriæ genitor veſter coram ſe ſuiſque prælegi feciſſet, & multis in locis (ut dignum erat) reprehendiſſet, & quædam capita, quæ reprehenſioni patebant, prænotaſſet, ea per Angilbertum Abbatem eidem Hadriano Papæ direxiſſet, ut illius judicio & auctoritate corrigerentur. Ipſe Hadrianus rurſus favendo illis, qui ejus inſtinctu tam ſuperſtitioſa, tamque incongrua teſtimonia memorato operi inſeruerant, per ſingula capitula in illorum excuſationem reſpondere, quæ voluit, non tamen quæ decuit, conatus eſt. Talia quippe quædam ſunt, quæ in illorum objectionem oppoſuit, quæ remotâ Pontificali auctoritate, veritati & auctoritati refragantur. Sed licet in ipſis objectionibus aliquando abſona, aliquando inconvenientia, aliquando etiam reprehenſione digna teſtimonia defenſionis gratiâ proferre niſus ſit, in fine tamen ejuſdem Apologiæ ſic ſe ſentire, & tenere, & prædicare, ac præcipere de his, quæ agebantur, profeſſus eſt, ſicut à B. Papâ Gregorio inſtitutum eſſe conſtabat. Quibus verbis liquidò colligitur, quòd non tantùm ſcienter, quàm ignoranter, in eodem facto à recto tramite deviaverit. Niſi enim in concluſione objectionum ſuarum retinaculis veritatis, B. ſcilicet Gregorii inſtitutis, adſtrictus iter devium præcaviſſet, in ſuper-*

ſuperſtitionis præcipitium omnino labi potuiſſet.

Quæ ſequuntur clariora adhuc mihi videntur. *Venerabilis Freculfus Epiſcopus ſubtiliter, prudenterque, qualiter ipſe, & Adegarius ſocius illius de hac re cum Domino Apoſtolico, & cum venerandis Epiſcopis, & miniſtris illius egiſſent, vivâ voce parvitati noſtræ innotuit. Sed cum prudenti relatu illius cuncta cognoviſſemus, qualiter partim veritatis ignorantiâ, partim peſſimæ conſuetudinis uſu, hujus ſuperſtitionis peſtis illis in partibus inoleviſſet, & priora, & poſteriora ſtudidioſiſſimè conſideraſſemus, intelleximus, quantum nobis res patuit, quo zelo ad hæc conſideranda veſtra ſancta devotio excitata fuerit. Non enim ignoramus animum veſtrum magno tædio poſſe affici, cum illos à recto tramite quoquomodo conſpicitis deviare, qui ſummâ auctoritate præditi deviantes quoſque debuerant corrigere.*

Hæc quoque vim ſuam habent. *Sed quoniam maximum vobis in eo obſtaculum erat, eo quòd pars illa quæ debebat errata corrigere, ſuaque auctoritate hujuſce ſuperſtitionis errori obniti, ipſa prorſus eidem ſuperſtitioni non ſolùm reſiſtere, verùm etiam incautâ defenſione contra auctoritatem divinam, & ſanctorum Patrum dicta nitebatur ſuffragari, aperuit vobis Dominus oſtium, &c.*

Unicam adhuc pericopen non poſſum non adjicere. *Cum igitur à noſtrâ ſanctâ devotione ita peracta fuerint, licet (quod non optamus) in aliquo, aut iſti, aut illi* (Romani aut Græci) *deviare voluerint, & veſtram ſaluberrimam admonitionem, quæ tota ex auctoritate veritatis profertur, audire contempſerint, non minor id vobis à Domino recompenſatio fiet, quia totum ſecundum verba Heliæ Prophetæ quod veſtrum fuit facere debuiſtis.* Vide ut non tantùm præterita damnent, ſed futura etiam metuant, & nullam ſibi de iis certitudinem ſubeſſe ſignificent.

Quare

Quare iſtis deſcriptis ſequentia ſarcaſticè adjecit Baronius (a). *Iſta viri prudentes, quibus cum tantùm data fuerit à Romano Pontifice inquirendi facultas, definierint iſti, ſententiamque protulerint in epiſtolam Hadriani, in ipſam Oecumenicam VII. Synodum, & quid de imaginibus ſentiendum ſit, ipſi primæ ſedi legem præſcribere ſtuduerint.*

(a) *Bar. ann. 825. n. 12.*

Nec aliter Bellarminus (b). *Multis*, inquit, *nominibus viri illi peccaſſe videntur. Ac primùm quidem ante collectionem ſatis audacter judicium ſibi de ſcriptis Apoſtolicis deſumpſerunt, nec ſolùm de ſummo Pontifice, ſed etiam generali Synodo à Pontifice approbatâ temerè judicarunt. In qua re longè ſuperarunt peccatum auctoris illius, qui nomine Caroli Magni librum edidit adverſus cultum ſacrarum imaginum. Ille enim (quod etiam Patres Concilii Francofordienſis fecerunt) Nicænam Synodum improbavit, quoniam celebratam exiſtimavit ſine conſenſu Apoſtolicæ ſedis.* (Quam verè iſtud de Fracofurtenſibus dicatur jam vidimus.) *Ac Conciliarii iſti Ludovici Imp. quorum ſcripta diſcutimus, fatentur Synodum pro cultu imaginum, id eſt Nicænam II. ab Hadriano ſummo Pontifice coactam & probatam, & tamen tum ipſam Synodum, tum epiſtolam ejuſdem Hadriani ad Conſtantinum Imp. pro cultu imaginum, & rurſum definitionem ejuſdem Synodi ab Hadriano ad Carolum miſſam, examinare, dijudicare, reprehendere non verentur.*

(b) *Bell. app. ad lib. de imag. cap. 3.*

Hæc ille ſat decretoriè, nec immeritò ſanè, ſi vera eſſent quæ de cœco Synodorum decretis à Romanâ ſede probatis aſſenſu docet. Sed vel eo ipſo quòd viri iſti graviſſimi, & ex toto Gallicano Clero delecti, ita fecerunt, ſatis apparet longè diverſam à Bellarmini ſententiâ tunc temporis in Galliâ obtinuiſſe, & exiſtimatum paſſim fuiſſe poſſe ac debere

bere quarumcunque Synodorum, ac multo magis Pontificum, ſtatuta ad examen revocari.

ARTICULUS IV.

Eadem fuit Principum, quæ Epiſcoporum, ſententia.

EPiſcopis Principes duos adjungam, ſed ejuſmodi, ut eorum unus Carolus Magnus tanquam Sanctus etiamnum hodie ab Eccleſiâ Pariſienſi colatur, alter illius filius Pii cognomen obtinuerit. Uterque non aliter de Pontificis poteſtate quàm ſuorum temporum Præſules ſenſit. Scripſit, vel ſcribi ſuo nomine juſſit Carolus, nam nolo de eo nunc diſputare, inſignem adverſus Nicænam Synodum librum, & ad Hadrianum, ut audivimus, tranſmiſit. In eo, ut obſervat, & deplorat Cabaſſutius (a), *adverſus Nicænos Patres, & qui eis conſentiunt, ſæpiùs iterantur hæc convicia. Impudentiſſimè, deliramento plena delirare, abſurdiſſimè, magna temeritas, ingenſque abſurditas, dementiſſimum dictum, apocryphas, & omni deriſione dignas nænias, ridiculè & perverſiter dictum, ſtultiſſimè putant, deliramentum errore plenum, inutile, & cum dementiâ prolatum, riſu dignum, falſiſſimum, omni ridiculo dignum dictum, aliaque pleraque his paria.* An verò qui ita loquitur aliquam in iis de quibus loquitur infallibilitatem agnoſcat, Lectori dijudicandum relinquo.

(a) Cab. Notit. Eccl. pag. 314.

Non me latet multa libris iſtis opponi. Sed ea feliciſſimè diluerunt Viri duo doctiſſimi, Joannes Dallæus, & Frid. Spanhemius, ille in libris de Ima-

Imaginibus, hic in Hiſtoriâ Imaginum reſtitutâ. Quare ne actum agam, ad Ludovicum Caroli filium properabo.

Is poſt Pariſienſem, de qua præcedente articulo dixi, Synodum, Hieremiam Senonenſem, & Jonam Aurelianenſem ex eo cœtu delegit, ut quæ obſervata fuerant Romam deferrent, & Hadrianum in rectum tramitem revocare pro virili parte conarentur. Tum hæc illis mandata dedit, prout ab ipſo Baronio referuntur (b). *Illud tamen ſummopere prævidete, ut ea de his illi oſtendatis, quæ rationi de imaginibus habendæ per omnia conveniunt, & quod ipſe, vel ſui, minimè rejicere valeant. Sed & vos ipſi tam patienter & modeſtè cum eo de hac cauſâ diſputationem habeatis, ut ſummopere caveatis, ne nimis ei reſiſtendo eum in aliquam irrevocabilem pertinaciam incidere compellatis, ſed paulatim verbis ejus quaſi obſequendo, magis quàm apertè reſiſtendo, ad menſuram, quæ in habendis imaginibus tenenda eſt, eum deducere valeatis. Et ideo potiùs efficere contendatis, ut negotium de quo agitur, ad meliorem, quàm ad pejorem ſtatum cum Dei adjutorio perducatur.*

(b) Bar. ann. 825. n. 58.

Vide ut non dubitet Ludovicus quin Hadrianus erret, & metuat inſuper ne pertinaciam errori addat, & quæ jam nimium malè habent, in pejorem adhuc ſtatum conjiciat, quo quid dici adverſus infallibilitatem diſertius poſſit ego certè non video. Quare iſtis deſcriptis ſubjunxit Baronius (c). *Hactenus ſcripta ad Legatos admonitio Ludovici Imp. qui quidem ſuorum Conſiliariorum imperitiâ, ne dicam nequitiâ, fermè in tranſverſum actus jam labare pedibus viſus eſt. Sed Deus eum cadere non permiſit. Quæ in re mali Conſultores ipſius arguendi ſunt magis, ut qui poſt Oecumenicum Nicænum Concilium, poſt Romanum illud, ad quod convocati ſunt (ut dictum eſt) doctiores* Epiſcopi *Gallicani, poſtque alias itidem Synodos*

(c) Bar. ann. 825. n. 59. & 60.

Ro-

Romæ habitas eâ de re adverſus Iconoclaſtas, poſt tot decretales epiſtolas Romanorum Pontificum, poſt Hadriani Papæ adverſus eoſdem Gallos Apologiam, ad Carolum Magnum miſſam, poſt reſciſſa acta illa Francofordienſis Synodi..... ipſi adhuc ſuæ ipſorum pertinaciæ immobiles hactenus inhærerent, & alios ipſamque Apoſtolicam ſedem, ſi licuiſſet, in eundem ſecum errorem adducere adeo laborarent.

Intoleranda ſanè hæc omnia, ſi errare non poſſe definientem Pontificem tunc conſtitiſſet. Sed longè aliter exiſtimatum hæc omnia tantùm non clamant.

ARTICULUS V.

Concilii Oecumenici VIII. de imaginibus judicium, etſi ab Hadriano II. confirmatum, plurimi ſprevere.

HAbita fuit Conſtantinopoli anno 870. ſub Baſilio Imp. Synodus, quam Latini Octavam Oecumenicam appellant. Præfuerunt illi Hadriani II. Legati. Confirmavit ejus deinde acta Hadrianus ipſe, ut teſtatur Anaſtaſius in Præfatione actis præfixâ, & quæcunque ibi decreta ſunt ita ſua reputavit, ut diſpenſationem circa quædam ibi ſtatuta rogantibus Baſilio A. & Ignatio Patriarchæ reſponderit; *Nihil poſſumus ab eo, quod jam conſtitutum eſt, ordinare diverſum, maximè de Photii conſecratione. Non enim eſt in nobis eſt, & non eſt. Et ſi quæ deſtruximus, eadem reædificamus, prævaricatores legis nos eſſe conſtituemus.* Similiter Gregorius VII. ad Hugonem Dienſem ſcribens; *Eadem ſententiâ & animadverſionis cenſurâ, quam B. Papa Adrianus in octa-*

octavâ Synodo de hujuſmodi præſumptoribus ſtatuit, ſe adſtrictum cognoſcat.

Non potuerunt igitur ſalvâ manente Romani Pontificis reverentiâ iſtius Synodi decreta ſperni. Spretum tamen id eſt quod de imaginum cultu latum ibi fuit. Definita expreſſiſſimè imaginum adoratio. *Sacram*, inquit (a), *imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & omnium liberatoris & Salvatoris, æquo honore cum libro ſanctorum Evangeliorum adorari decernimus..... Si quis ergo non adorat iconam Salvatoris Chriſti, non videat formam ejus, quando veniet in gloriâ paternâ glorificari, & glorificare Sanctos ſuos, ſed alienus ſit à communione ipſius & claritate. Similiter autem & imaginem intemeratæ matris ejus, & Dei-genitricis Mariæ, inſuper & iconas ſanctorum Angelorum depingimus, quemadmodum eos figurat verbis divina Scriptura, ſed & laudabiliſſimorum Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, & ſanctorum virorum, ſimul & omnium ſanctorum, & honoramus, & adoramus. Et qui ſic ſe non habent, anathema ſint à Patre, & Filio, & Spiritu S.*

(a) *Concil. VIII. can.* 3.

Poſt iſta tergiverſari nemo potuit, ſi Synodo, ſi Pontifici neceſſariò parendum omnes putabant. Subjicienda colla fuerunt, & admittendus imaginum cultus. Non admiſerunt tamen Galli, ut ex iſtis Annalium Bertinianorum (b), patet. *Synodo congregatâ, quam octavam univerſalem appellarunt, exortum ſchiſma de Ignatii depoſitione, & Photii ordinatione ſedaverunt, anathematizantes Photium, & Ignatium reſtituentes. In qua Synodo de adorandis imaginibus aliter quàm Orthodoxi Doctores ante definiverant, ſtatuerunt; quædam etiam pro favore Romani Pontificis, qui eorum voto de adorandis imaginibus annuit, & quædam contra antiquos canones, & contra ipſam ſuam Synodum conſtituerunt, ſicut qui eandem Synodum legerit, patenter inveniet.* Eadem, &

(b) *ad. ann.* 872.

& quidem totidem verbis, habet Aimoini Continuator Ademarus (c). (c) *lib. 5. cap. 28.*

Patet rurſus ex iis quæ dicit in præfatione ſuâ ad VII. Synodum Anaſtaſius. *Quæ ſuper venerabilium imaginum adoratione præſens Synodus docet, hæc & Apoſtolica ſedes veſtra, ſicut nonnulla conſcripta innuunt, antiquitus tenuit, & univerſalis Eccleſia ſemper venerata eſt, & hactenus veneratur, quibuſdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum eſt harum utilitas revelata, aiunt namque quòd non ſit quodlibet opus manuum hominum adorandum.*

Negatum ab Hincmaro imaginibus cultum omnes norunt. Quare Petro de Marcâ obſervanti nuſquam illi memoratos hujuſce Synodi canones, reſpondens Lupus (d), negat mirum hoc eſſe, eo quòd ſoleant hæretici Synodos erroribus ſuis adverſantes accuſare, *& Hincmarus, licet hæreticus non fuerit, de ſacris tamen imaginibus erravit.* (d) *Lup. tom. 2. pag. 1574.*

Quare candidè omnino Pet. Pithoeus præfatione in hiſtoriam Pauli Diaconi: *Si verum*, inquit, *ſeriò volumus, nuper admodum noſtri homines imaginoſi eſſe cœperunt.*

Porrò non ſoli Galli ita ſenſere. Addendi illis Britanni, qui cum ſeptimam Synodum abjeciſſent, ut agnoſcit Lupus (e), ne octavæ quidem paruerunt, ut ex iis apparet, quæ diu poſt iſtam ſcripſerunt iiſdem verbis Rogerus ab Hoveden, & Simeon Dunelmenſis, uterque ad annum 792. *Carolus*, inquiunt, *Rex Francorum, miſit Synodalem librum ad Britanniam ſibi à Conſtantinopoli directum, in quo libro, heu pro dolor! multa inconvenientia, & veræ fidei contraria reperta ſunt, maximè quod penè omnium Orientalium Doctorum, non minùs quam trecentorum, vel eo ampliùs, Epiſcoporum unanimi aſſertione confirmatum, imagines adorari debere, quod omnino Eccleſia Dei execratur. Contra quod ſcripſit* (e) *Lup. tom. 2. pag. 1250.*

Albinus epiſtolam ex auctoritate divinâ Scripturarum mirabiliter affirmatam, illamque cum eodem libro ex perſonâ Epiſcoporum, & Principum noſtrorum Regi Francorum attulit. Hæc illi duodecimo ſeculo, teſtantes Eccleſiam execrari adorationem imaginum. Qua fronte, ſi exerceri illam quotidie à ſuorum temporum ac regionum Eccleſiâ videbant?

Addendi utriſque Germani, de quibus dubitare non ſinit Nicetas Choniates quo loco Friderici Ænobarbi ingreſſum in urbem Philippopolim narrat (f). *Philippopolim*, inquit, *ingreſſus urbem pleriſque, iiſque nobiliſſimis, civibus vacuam reperit. Nam ſi quis ibi manſerat, is aut ita pauper erat, ut ejus opes in veſtibus, quibus tegebatur, conſiſterent, aut erat ex Armeniorum numero. Hi enim uni omnium tranſitum Alemannorum, non hoſtium incurſionem, ſed amicorum adventum judicabant. Nam & commercia inter ſeſe agitant, & in pleriſque Religionis dogmatibus conſentiunt. Quippe apud Alemannos & Armenios ſacrarum imaginum adoratio æquè interdicta eſt, & azymis in ſacris utrique utuntur &c.*

(f) *Nicet. in Iſaac. Ang. lib.* 2.

Hæc adhuc duodecimo ſeculo, ut videas quamdiu dubia manſerit ſeptimæ atque octavæ Synodorum auctoritas, à quibus id ſub anathematis pœnâ ſancitum, quod & Angli, & Germani averſabantur.

OBSERVATIO XIV.

Eugenii II. circa probationem aquæ frigidæ ſtatutum Ludovicus Pius improbavit.

INſtituerunt olim Longobardi, aliique Septentrionales populi, ut occultorum criminum veritas, vel falſitas, quæ per conſuetas vias patefieri non potuerat, probationibus illis, quas vulgares appellabant, candentis ſcilicet ferri contrectatione, vel in frigidam aquam merſione, inquireretur. Jamdiu omnes illæ ut ſuperſtitioſæ, temerariæ, meræque Dei tentationes, damnatæ ſunt, & multa habentur in jure Canonico, quibus illæ ſeverè prohibentur. *Sæc. IX.*

Aliquando tamen non permiſſæ duntaxat, ſed imperatæ etiam ſunt. Sic Concilium Triburienſe can. 22. *Si quis fidelis libertate notabilis, aliquo crimine aut infamiâ deputatur, utatur jure juramento ſe excuſare. Si verò tanto, talique crimine publicatur ut criminoſus à populo ſuſpicetur, & propterea ſuperjuretur, aut confiteatur, & pæniteat, aut Epiſcopo, vel ſuo miſſo diſcutiente per ignem candenti ferro cautè examinetur.*

Eugenius quoque II. aquæ frigidæ purgationem approbavit. Habetur in Analectis Mabillonii tom. I. vetuſtum quoddam ſchediaſma, cujus titulus, *Ritus probationis per aquam frigidam ab Eugenio Papâ II. inſtituta.* Definit verò in hæc verba: *Hoc autem judicium creavit omnipotens Deus, & verum*

rum eſt, & per Domnum Eugenium Apoſtolicum inventum eſt, ut omnes Epiſcopi, Abbates, Comites, ſeu omnes Chriſtiani per univerſum orbem eum obſervare ſtudeant, quia à multis probatum eſt, & verum inventum eſt. & inſtitutum ut nulli liceat ſuper ſanctum altare manum ponere, neque ſuper reliquias, vel ſanctorum corpora jurare.

Ita incognitus illius ſcriptiunculæ auctor; ad quæ Mabi'lonius. *De variis probationum generibus multi multa ſcripſere. Probationem aquæ frigidæ huc idcirco refero, quòd ab Eugenio Papâ inſtituta memoretur in Remigianis membranis pervetuſtis ſeculo nono exaratis, ex quibus ſuperiora deſumpſi. Suffragatur vetus collectio Canonum in monaſterio S. Mariani apud Antiſiodorum adſervatâ, in qua forma judicii per aquam frigidam refertur cum hoc titulo.* Hoc judicium, atque examinationem miſit Domnus Apoſtolicus in Franciam, ut non violarentur ſacra altaria ſanctorum, ſed per hanc adjurationem, & judicium aquæ frigidæ, poſſit pateſcere veritas. *Tum ſubjicitur adjuratio in hæc verba:* Adjuro te, homo, per Patrem, & Filium, & Spiritum S. &c.

Pergit Mabillonius, & hæc ſubjungit. *Et tamen Ludovicus A. in Capitulari Aquiſgranenſi anni* 8 8. §. 7. *cap.* 12. *ſtatuit*, ut examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à miſſis noſtris interdicatur, ne ulteriùs fiat. *Quod decretum condidit Ludovicus poſt Eugenii conſtitutionem, nempe anno proximo poſt obitum Eugenii Papæ II. Non tamen ritus iſte purgationis decreto Ludovici penitus ſublatus eſt ſiquidem Hincmarus Remorum Antiſtes ab Hildegario Meldorum Epiſcopo eâ de re interrogatus multis judicium aquæ frigidæ argumentis approbavit. Miſſam in probationis articulo celebrari ſolitam nobis exhibet vetus codex Uticenſis.*

Ut

Ut ut ſit ſequentium temporum Pontifices, qui ritum iſtum ut temerarium & ſuperſtitioſum damnarunt, Ludovici Pii judicium Eugenii decreto prætulerunt, eoque ipſo teſtati ſunt non exiſtimare ſe bonum ſemper & ſanctum eſſe quicquid Romanus Præſul præcipit. Nec eſt quod dicas non poſſe evinci pronunciaſſe Eugenium *ex cathedrâ*, & rem ſub anathematis pœnâ definiiſſe. Agnoſco. Sed non ideo quicquam argumento meo perit. Non enim ego definitionem quampiam Eugenii oppono, ſed legem. Adverſarii verò exiſtimant, non in definiendo duntaxat, ſed etiam in condendis legibus, Pontificem non poſſe errare, hoc eſt non poſſe illum, vel prava præcipere, vel ſancta prohibere. Quare cum leges non ſoleant anathemate muniri, nihil argumento noſtro decedit, etſi nullam definitionem proferamus, & ſolam habeamus vel præceptivam, vel etiam permiſſivam legem rei indubitatè malæ, qualem iſthic haberi nemo negabit. Hoc poſito manifeſtum eſt & erraſſe Eugenium, & errare agnitum ab iis omnibus, qui quod ille juſſerat, prohibuerunt, quales Ludovicus Pius, & ex Romanis Pontificibus non pauci.

OBSERVATIO XV.

Immediati Formoſi ſucceſſores alii alios infallibiles non putabant.

ARTICULUS I.

Exponuntur quæ in Formoſi cauſâ geſta ſunt, & primum inde argumentum eruitur, ac vindicatur.

QUæ decimo ſeculo exarſerunt circa Formoſi Pontificatum ſcandaloſæ controverſiæ, manifeſtiſſimè oſtendunt ejus ſucceſſoribus ignotam fuiſſe ſuam ipſorum poteſtatem errare neſciam. Rem ſic Duvallius refert (a). *Formoſus Epiſcopus Portuenſis à Joanne VIII. depoſitus, degradatus, & ad ſortem laïcorum redactus ex urbe migrare cogitur, inſuperque ſe nunquam ad Epiſcopatum rediturum jurare. Joanne mortuo ſucceſſor ejus Marinus, vel ut alii Martinus II. eum à juramento incautè, vel coactè, præſtito abſolvit, & Epiſcopatui reſtituit. Marino mortuo Formoſus Pontifex creatur, & in Pontificatu nonnullos Sacerdotes & Epiſcopos creat. Succeſſor ejus Stephanus VI. vehementer contra illius memoriam infenſus, quòd Arnulfum Regem, qui in nonnullos Procerum Romanorum crudeliter ſævierat, Romam revocaſſet, publicè in Concilio Epiſcoporum eum non legitimum fuiſſe Pontificem decrevit, ejuſque acta irritavit, ordinatoſque ab eo iterum reordinari juſſit. Quod Stephani decretum omnibus admodum diſplicuit,*

(a) *Duvall. de poteſt. Pont. part. 2. quæſt. 4.*

plicuit, & ideo tres Pontifices ordine ſuccedentes, Romanus, Theodorus II. & Joannes IX. convocato alio Concilio Formoſum inter Pontifices ſupremos legitimè cenſuerunt, & Stephani VI. ſententiam tanquam perperam latam irritarunt. His tribus ſuccedit Sergius, qui Stephani VI. veſtigiis inſiſtens, Formoſi corpus è ſepulchro extraxit, eumque tribus digitis, quibus ordines contulerat, mutilavit, & ordines ab eo collatos eſſe denuo repetendos edixit.

Quis effoſſi Formoſi cadaver tribus digitis mutilaverit, Sergiuſne, an Stephanus, non conſentiunt Scriptores. Sed res levis eſt. Ego id præcipuè urgeo, quòd Formoſus, ejuſque acta, mutatis toties vicibus modò damnentur, modò reſtituantur. Sic enim patet nec Romano, Theodoro, Joanni, Stephanum, nec Sergio Romanum, Theodorum, & Joannem infallibiles viſos, quippe quorum judicia reſcindere non dubitarunt.

Illa verò judicii variatio, atque adeo infallibilitatis negatio, in tribus ſe prodit. Primùm in eo quòd Formoſus ipſe ab aliis intruſus & Pſeudo-Papa pronuncietur, ab aliis contrà verus ac legitimus Pontifex fuiſſe dicatur. Nec eſt quod dicas rem hanc facti fuiſſe, non juris. Tria ſunt, quæ vehementer obſtant, ne hoc quicquid eſt reſponſi propoſiti argumenti vim infringat.

Primùm pugnat, & quidem directè, cum quodam placito, quod apud Pontificiæ infallibilitatis patronos ſummopere viget. Hi certè Pontifices, in iis ſaltem factis, quæ toti Eccleſiæ credenda proponuntur, errori obnoxios nolunt. *In iis quæſtionibus facti*, inquit Georgius Rhodius (b), *quæ connexa ſunt cum rebus credendis, & in quibus tota credere aliquid obligatur Eccleſia, ſtultiſſimum eſt dicere, quòd errare poſſit Pontifex, quia quoties totam obligat Eccleſiam ad aliquid credendum, non eſt minùs infallibi-*

(b) *Rhod. de fide quæſt. 2. ſect. 5. §. 4.*

 libi-

libilis in quæſtionibus facti, quàm in quæſtionibus juris. Jam quis non videt hujus generis fuiſſe factum illud quo de agitur? Stephanus enim ac Sergius toti Eccleſiæ imperabant, ut Formoſum tanquam Pſeudopontificem deteſtaretur. Hoc rurſus arctiſſimum cum ipſâ fide nexum habebat, ſiquidem quoties de legitimo Pontifice controvertitur, toties de ipſius fidei normâ controverti Adverſarii volunt. In hoc igitur, vel in nullo Stephanus ac Sergius infallibiles eſſe debuerunt, & ſi in hoc lapſi ſunt, in quolibet labi potuerunt.

Aliud eſt, & quidem gravius, quod cum iſthoc reſponſo ſtare non poteſt, hoc ſcilicet quòd de fide eſſe putatur hunc vel illum Pontificem revera talem ac legitimum eſſe. *Dico quarto eſſe omnino de fide*, ait idem qui ſuprà G. Rhodius (c), *quòd hoc Concilium, v. g. Tridentinum, ſit verum & legitimum Concilium, quod ille Pontifex, quem agnoſcit tota Eccleſia, ſit verus & legitimus Pontifex, & ſucceſſor Petri.* Similia habent Suarez, Valentia, Arriaga, Tannerus, Amicus, Raynaudus, Baldellus, Caſtro Palao, Oviedo, Caſpenſis, Martinonus, Platelius, aliique non pauci ab iſtis citati.

(c) *Idem quæſt. 3. ſect. 1. §. 3.*

Nec eſt quod putes gratis hoc dici, & defendi abſque eo Pontificis infallibilitatem poſſe. Longè aliter habet. Cohærent illa duo, & divelli nullâ ratione poſſunt. Id ut pateat obſerva I. fruſtra fore hanc Pontificis poteſtatem errare neſciam, niſi ejus decretis niti fides poſſit. Obſerva II. niti Pontificis decretis fidem non poſſe, niſi certi ſimus non poſſe illis falſum ſubeſſe. Obſerva III. neminem poſſe eſſe certum ſingularis cujuſque Pontificis decretis falſum non ſubeſſe, niſi ſit certus illum eſſe verum ac legitimum Pontificem. Quis enim certus eſſe poteſt eadem eſſe falſi & intruſi, quæ veri ac legitimi Pontificis privilegia? Obſerva denique dubium

dubium iſtud, num ſingularis quiſque Pontifex legitimus ſit, ejuſmodi eſſe, ut non aliter quàm fide removeri poſſit, ſi poteſt. Tolle etenim divinam Providentiam, quæ obſtet ne id contingat, tolle Eccleſiæ ejuſmodi Pontificem acceptantis auctoritatem. Unde ſciemus eum qui pro Pontifice vulgò habetur, fuiſſe ritè, hoc eſt cum debitâ intentione, vel baptizatum, vel ordinatum? Unde ſciemus illum non eſſe infidelem, aut hæreticum, etiam externum? Non eſſe nothum, non eſſe Simoniacum &c. quorum tamen vel unum facit ut qui eo laborat Pontifex non ſit, ut nos alibi planum fecimus.

Non ergo abſque ſummâ & ineluctabili neceſſitate defenditur iſtud eſſe de fide, ac proinde juxta Adverſarios quiſquis eum qui verus ſit Pontifex, talem eſſe negat, in fidem peccat. In eam ergo peccarunt, qui Formoſum ex Pontificum albo expunxerunt, ſi in hoc errarunt, ut erraſſe Adverſarii volunt.

Denique quiſquis circa hanc quæſtionem, num Formoſus fuiſſet verus Pontifex, errabat, non in facto errabat, ſed in jure. Quicquid ad factum ſpectabat, certum erat, & utrimque confeſſum. Certum erat Formoſum fuiſſe degradatum. Certum erat juraſſe ſe nunquam ſuſcepturum Epiſcopatum. Certum erat fuiſſe reſtitutum à Marino, & jurisjurandi vinculo ſolutum. Certum erat fuiſſe tranſlatum ab Epiſcopatu Portuenſi ad Romanum. In eorum nullo quæſtio verſabatur, ſed in hoc ſolùm, num qui talis erat qualem fuiſſe Formoſum ſatis conſtabat, poſſet eſſe verus Pontifex. Hæc autem quæſtio juris profectò eſt, non facti. Qui ergo in eâ definiendâ errarunt, ut errarunt neceſſariò alterutri eorum, qui illam contradictoriè definierunt, in jure certiſſimè errarunt.

AR-

ARTICULUS II.

Secundum argumentum proponitur.

Alterum argumentum inde petimus, quòd Formoſi acta Stephanus, Stephani Joannes, caſſa atque irrita pronunciaverint, quo ipſo alterutrum, vel Stephanum, inquam, vel Joannem, graviter lapſum eſſe neceſſe eſt. Sanè vel Formoſus fuit verus ac legitimus Pontifex, vel non fuit. Si fuit, rata, valida, efficacia fuerunt illius acta. Erravit proinde Stephanus, qui irrita fuiſſe edixit.

Iſtud verò eludi difficiliùs adhuc poteſt, ſi vera ſunt quæ ex Flodoardo obſervant Baronius ac Binius, indictam ſcilicet à Formoſo generalem Synodum fuiſſe, & quidem ad compeſcendas hæreſes, & extirpanda ſchiſmata, quæ ſubinde & identidem pullulabant. Habitam hanc Synodum fuiſſe illi non dubitant, etſi ejus acta reperta nondum fuerint. Jam ſi hoc verum ejuſmodi decretum non potuit juxta Adverſarios non eſſe divinum oraculum, ipſius Spiritûs S. vox, & Chriſtianorum omnium fidei norma. Ac proinde hoc decretum reſcindere, & nullum atque irritum pronunciare, ſalvâ atque illæſâ fide nemo potuit. Pronunciarunt tamen Stephanus ac Sergius. In fidem ergo neceſſariò peccarunt.

Sin autem Formoſus Papa non fuit, rectè Stephanus pronunciavit, firmum, ratum, efficax fuit ejus judicium. Erravit contra Joannes, qui irritum eſſe voluit. *Synodum*, inquit, *tempore piæ recordationis ſexti Stephani Papæ deceſſoris videlicet noſtri celebratam.... penitus abdicamus.* Et quibuſdam interje-

terjectis. *Ea ſiquidem quæ de ipſo prænominato Concilio ſcripta eſſe noſcuntur, quoniam irrita, & contra canonicam auctoritatem præſumpta ſanxiſtis decernimus unà cum conſultu omnium veſtrûm (ſi placet) igne crementur, ſicut de latrocinali Ariminenſi Synodo, & Epheſinâ ſecundâ ſcriptum continetur.*

Hoc verò eo magis urget, quòd Stephanum Joannes habet pro vero ac legitimo Pontifice, quemadmodum eo ipſo ſatis teſtatur, quòd vocat illum piæ recordationis ſextum Stephannm Papam deceſſorem ſuum. Hoc non obſtante ejus Synodum *abdicat*, & quæ in eâ ſtatuta ſunt irrita pronunciat. Non ergo illum reputat errare neſcium. Quo enim pacto errare neſcium illum putaret, à quo deceſſoris ſui acta rata & valida pro irritis habita exiſtimaret?

Rurſus hunc ipſum Joannem errare neſcium Sergius haudquaquam arbitrabatur, qui non obſtante hoc ejus decreto Stephani judicio adhæſit, & Formoſi acta abjecit.

Porrò error iſte, nec fuit, nec exiſtimari potuit, eſſe facti, ſed juris. Poſſent aliter Pontifices abſque ullo infallibilitatis ſuæ diſpendio omnes deceſſorum ſuorum conſtitutiones abrogare, & irritas pronunciare. Poſſent idem de Conciliorum decretis ſtatuere. Poſſent fideles ſalvâ fide ea flocci facere, quæ cum omnia Adverſariis abſurda atque intoleranda videantur, fateantur neceſſe eſt erraſſe graviter, vel Stephanum ac Sergium, vel Joannem, qui ita de deceſſorum ſuorum actis pronunciarunt.

ARTICULUS III.

Tertium argumentum exhibetur.

SEd quicquid ſit de decretis circa fidem, ordinatos quàm multos à Formoſo fuiſſe nullus dubitat. Atqui celebratas ab eo ordinationes alii ratas eſſe juſſerunt, alii contrà irritas, atque repetendas, hoc ſcilicet prætextu, quòd degradatus Formoſus fuiſſet, ſupponentes degradatum Epiſcopum characterem amiſiſſe, & quidem irreparabiliter, ita ut ne per tentatam à Marino reſtitutionem recuperare illum potuerit. Hæc verò quæſtio, non ad jus tantùm, ſed ad fidem quoque, Romanam ſaltem, pertinet.

Reſpondet Bellarminus Stephanum & Sergium non edidiſſe aliquod decretum quo ſtatuerent Epiſcopos ordinatos ab Epiſcopo degradato, vel nominatim à Formoſo tanquam degradato, eſſe iterum ordinandos, ſed ſolùm de facto juſſiſſe iterum eos ordinari, quæ juſſio non ex ignorantiâ aut hæreſi, ſed ex odio in Formoſum procedebat.

Sed præterquam quod jubere ut denuo quis ordinetur, idem eſt ac præcedentem ordinationem nullam atque irritam declarare, id quod Bellarminus negat Hiſtoricorum celeberrimi quique teſtantur. Sigebertus (a). *Hic* (Stephanus) *primùm à Formoſo Papâ Epiſcopus Anagninæ Eccleſiæ ordinatus ipſum Formoſum perſequitur, & ordinationes ejus omnes irritas eſſe debere decernit.* Martinus Polonus (b). *Hic à Formoſo Papâ Epiſcopus Anagniæ ordinatus ipſum Formoſum perſequitur, & omnes ordinationes ipſius irritas eſſe debere decernit.* Suffragatur Mel-

(a) *Sig. ann.* 902.

[b] *Mart. ann.* 898.

Melcior Canus (c). *Synodus ſub Stephano per er-* (c) *Can. Loc. Theol. lib. 5. cap. 5.*
rorem omnes ordinationes factas à Formoſo irritas eſſe decrevit.

Vidit hoc Duvallius, quare paulò aliter reſpondit (d). Id primùm fatetur, quod Bellarminus negat, Stephanum ſcilicet ac Sergium definiviſſe ordines à Formoſo collatos nullos eſſe. Fatetur rurſus eos in hoc erraſſe, ſed contendit errorem fuiſſe facti, non juris, eo quòd quæſtio quam definierunt *verſaretur circa hanc hypotheſim, an ſcilicet hi numero ordines a tali Pontifice collati eſſent irriti, nec ne, non autem circa theſim, ſeu propoſitionem univerſalem, an ab Epiſcopo degradato ordinati denuo eſſent ordinandi. Priorem*, inquit, *quæ particularis eſt, & quæ Tribunal, non Cathedram ſpectabat, Stephanus & Sergius definierunt, & definiendo erraruut, non autem poſteriorem, quæ univerſalis erat, & fidem maximè reſpiciebat.* (d) *Duvall. de poteſt. Pont. part. 2. quæſt. 4.*

Ego verò multa repono. Primùm enim eſto. Non theſis, ſed hypotheſis tantùm, ab iſtis Pontificibus pravè definita fuerit. Nonne etiam in iis judiciis, quæ circa ſolam hypotheſim verſantur, errare neſcios Pontifices Adverſarii volunt? Quis neſcit Bellarminum, Bonacinam, Rhodium, alioſque innumeros, eo potiſſimùm probare conſanguineorum & affinium intra certos gradus matrimonia jure divino ac naturali prohibita non eſſe, quòd in iis Pontifices diſpenſaſſe comperiantur? Perperam profectò, & inſulſè, niſi in iſtiuſmodi quæſtionibus dijudicandis errare non poſſe, ſaltem errore juris, Papam pro comperto haberent.

Præterea certum eſt non hypotheſim duntaxat, ſed ipſam quoque theſim definitam hic fuiſſe. Qui enim ordines à Formoſo deſtituto collatos nullos eſſe dicit, is ſanè dicit Epiſcopum deſtitutum ordines conferre nequaquam poſſe. Quæro etenim annon

pro-

propoſitio univerſalis convellatur, quoties particularis contradictoriè illi oppoſita affirmatur? Si quis diceret Titium non eſſe creaturam, non ſubjici divinæ Providentiæ, non eſſe peccatorem, non egere Redemptore, ejus animam eſſe mortalem, &c. nonne is fidei adverſaretur? Nonne hæreticus ubique gentium audiret? Quo ergo jure negantur univerſalem hanc propoſitionem, quæ ordines à degradato Epiſcopo validos eſſe ſtatuit, inficiari, qui collatos à Formoſo degradato ordines nullos atque irritos fuiſſe pronunciant?

Rurſus non inficiatur Duvallius quin in hoc judicio Stephanus ac Sergius erraverint. Sed qualis fuiſſe putandus error iſte? Num facti? Haudquaquam. Quicquid hujus generis fuit, certum, ut jam ſuprà monui, & in confeſſo utrinque fuit. Quid ergo dubium ac controverſum erat? Hoc unum, num ſcilicet ordines ab hoc Formoſo, qualiſcunque tandem erat, collati, rati eſſent. Negant Stephanus ac Sergius. In jure igitur, non in facto errant.

Quare exemplum quod tanquam ſimile Duvallius profert, in ipſum retorqueri facilè poteſt. *Quæſtio hæc*, inquit, *an ſub his ſpeciebus poſt verba conſecrationis ab hoc ſingulari Sacerdote prolata corpus Chriſti contineatur, non eſt, nec eſſe poteſt, citra ſpecialem revelationem, fidei.* Ego verò contrà contendo propoſitionem illam, quanquam particularem, eſſe de fide Romanâ, ſaltem cum hoc addito, *Niſi defectus aliquis, vel ex parte conſecrantis, vel ex parte materiæ, acceſſerit*, eumque qui illam negaret, hæreticum apud eos fore. Sed ne erres, obſerva duplici potiſſimùm de cauſâ negari illam poſſe, vel quòd non putetur illa hoſtia ritè conſecrata, vel quòd illi hoſtiæ, quantumvis ritè conſecratæ, adeſſe corpus Chriſti non exiſtimetur. Qui priori de

cauſâ

cauſâ propoſitionem illam negaret, hæreticus apud Adverſarios non cenſeretur, fateor, quia ſcilicet in facto tantùm erraret. Sed qui poſteriori de cauſâ id ipſum negaret, hæreſeos notam apud illos non effugeret. Sic cum Stephanus ac Sergius eâ de cauſâ nullas eſſe Formoſi ordinationes pronunciaverint, quòd degradatus ille pridem fuiſſet, qui error eſt juris, non facti, in fidem Romanam impegiſſe cenſendi ſunt.

Nec ſanè mirum in hac eos ſententiâ fuiſſe. Erat illa tunc temporis, & jam antea, ſatis vulgata, quemadmodum ipſe Lupus fatetur (e), & probat exemplo Stephani IV. de quo Anaſtaſius refert, quòd Conſtantini intruſi ordinationes omnes exſufflarit & iterarit. Profert rurſus ex Sigeberto exemplum Joannis XII. qui ordinatos à Leone VIII. reordinavit. Addi potuit Nicolaus I. qui Bulgaros à Photianis Epiſcopis aut Presbyteris confirmatos, confirmari denuò juſſit. Eodem igitur errore imbuti fuiſſe Stephanus ac Sergius cenſendi ſunt. Quare cum hic error in eorum judicio includeretur, adverſus Romanam fidem pronunciaſſe nullâ ratione negari poſſunt.

(e) Lup. tom. 3. pag. 213.

ARTICULUS IV.

Quartum argumentum à quibuſdam Auxilii teſtimoniis petitum.

SCripſit hiſce temporibus libellos duos Auxilius quidam Presbyter, Francus natione, quos in opere de Ordinationibus primus edidit Joannes Morinus. In his quid de auctoritate Pontificum ſentiret apertè expoſuit. Quare Morini cenſuram non effu-

effugit, quaſi de obedientiâ, quæ ſummo Pontifici debetur, parum conſideratè locutus ſit. An quæ dixit ſat expenderit Auxilius alia quæſtio eſt. An errare neſcios Pontifices putarit ſolùm quæritur. Iſtud verò ſequentia docebunt.

Sic ergo lib. I. cap. 35. *Aliud ſunt Pontificales ſedes, & aliud Præſidentes. Proinde honor & dignitas uniuſcujuſque ſedis regulariter obſervanda ſunt. Præſidentes autem ſi deviaverint, per devia ſequendi non ſunt, hoc eſt ſi contra fidem, vel Catholicam Religionem, agere cœperint, in talibus eos nequaquam ſequi debemus. In his autem quæ ritè dicunt, etiamſi non faciant, libenter eis obedire debemus. Hinc eſt quod botros carpere, & ſpinas cavere debemus.* Eadem repetit lib. 2 cap. 18. & Romanæ ſedi ſpeciatim applicat.

Lib. 2. cap. 12. quærenti adverſario quare Synodo, ad quam vocatus fuerat, ſe non ſtiterit, ita reſpondet: *Si aliquando ad vocem lupi cucurrit ovis, & ego ad Synodum illam occurrere debui. Hic eſt quod Salvator ait, oves Paſtorem ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus, alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. An non ſunt lupi, non ſunt alieni, qui præfatam ordinationem ſubvertentes, fere totam Italiam à pluribus annis veluti paganam abſque Chriſti religione vixiſſe blaſphemant?*

Item cap. 15. *Ergone oblitus es teſtimonia, quibus paulo ſuperiùs declaratum eſt non eſſe iniquis juſſionibus obtemperandum, nec ſiniſtris actibus conſentiendum? Secundùm quod in iiſdem teſtimoniis legitur, Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

Denique cap. 31. *Præterea quod ex eiſdem capitulis objicere voluiſti, ut Eccleſiæ Paſtor non ſit arguendus à fidelibus, niſi in fide erraverit, quis non videat quòd iſto te tuo gladio interficias? Ego quidem neminem*

nem arguere quæro, ſed ſi me quis iterum baptizare voluerit, errat in fide. Ais non? Manifeſtum eſt quia errat, ac per hoc ſine dubio in Spiritu Sancto errat, per quem omnia Eccleſiæ Sacramenta ſanctificantur, & credentes baptiſmate purificantur, ſacriſque ordinibus, per quos ipſa fides percipitur, inſtituuntur. Et revera quicunque in eum blaſphemaverit, niſi pœnitendo ſe correxerit, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Qua de re, ut S. placet Auguſtino blaſphemia in Spiritu S. eſt, quæ non remittetur, neque in hoc ſeculo, neque in futuro, cor impœnitens illius videlicet qui abſque pœnitentiâ in ſuis moritur peccatis. Ergo qui in ſacris Ordinibus, ut ſuprà declaratum eſt, erraverit, niſi ab ejuſmodi errore pœnitendo receſſerit, abſque dubio non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro.

OBSERVATIO XVI.

Concertationes circa ſupremam Pontificum in temporalia poteſtatem invictè probant exiſtimatos illos errori obnoxios.

ARTICULUS I.

Hanc in temporalia poteſtatem Pontifices ſibi multipliciter vindicarunt.

NEmo neſcit jam ab aliquot ſeculis Pontifices ſpirituali poteſtate, quantumvis amplâ, vel infinitâ potiùs, minimè contentos, tem-

poralem etiam in univerſum orbem ſibi arrogaſſe, ita ut Reges ac Imperatores quoſlibet in ordinem cogere, dignitate ſpoliare, folio dejicere, ſubditoſque à juramento fidelitatis abſolvere licere ſibi exiſtimarint. Hoc ſibi jus eſſe quadrupliciter ſignificarunt.

I. Ipſo facto, Reges atque Imperatores ſuis decretis exauctorando. Exempla quærenti dabit afſatim Bellarminus de Pont. lib. 5. cap. 8. ne reliquos nunc dicam.

II. Prohibendo, idque ſub anathematis interminatione, ne quis exauctoratos ejuſmodi Principes pro legitimis habeat, illis pareat, eorumve partes ſectetur.

III. Præcipiendo in genere ut ſi quis Regum, aut Principum Pontificias leges aut privilegia violet, dignitate ſuâ ſtatim excidat. Sic habetur in duobus celeberrimis privilegiis, quæ Gregorius I. Monaſterio Sammedardenſi, & Xenodochio Auguſtodunenſi, conceſſiſſe exiſtimatur. Prioris illius verba hæc ſunt. *Si quis Regum, Antiſtitum, Judicum, & quarumcunque ſecularium perſonarum hujus Apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violaverint, & cujuſcunque dignitatis, vel ſublimitatis ſit, honore ſuo privetur.* Poſterius ita ſonat. *Si quis Regum, Sacerdotum, Judicum, perſonarumque ſecularium hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens contra eam venire tentaverit, poteſtatis ſuæ, honoriſque dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetratâ iniquitate cognoſcat.*

Non me latet duo hæc privilegia à J. Launoio ſuppoſititia cenſeri, & plurimis argumentis oſtendi. Sed id mea parum refert. Primùm quoniam poſterius ſaltem Gregorius VII. laudavit, & pro defenſione ſuâ adhibuit, deinde quoniam etſi illa Pariſienſes non admittant, at certè Monarchici, quibuſcum

cum ſolis nunc diſputo, ea non agnoſcunt tantùm, ſed deprædicant, & pro virili parte tuentur.

Addi his poteſt privilegium à Gregorio IV. Monaſterio Floriacenſi conceſſum, quod exhibet Baluzius Miſcellaneorum libro II. & à ſequentibus Pontificibus confirmatum eſſe admonet in præfatione, *ſicut*, inquit, *videre eſt in Bibliothecâ Floriacenſi pag.* 240. *&* 242. In eo iſta habentur. *Si quis verò Regum, Sacerdotum. Judicum, atque ſecularium perſonarum, hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetratâ iniquitate cognoſcat.* Quæ ſunt ipſiſſima Auguſtodunenſis privilegii, de quo tantopere litigatur, verba.

IV. Denique ſuum iſtud jus eſſe, & ad ſe pertinere, Pontifices non ſemel pronunciarunt. Sic Joannes XXII. *Extra. Si fratrum.* Vacantis imperii adminiſtrationem Romanæ Sedi vindicat, ſtricto in eos omnes anathemate, qui alium eo tempore ſuperiorem agnoſcerent. Majus aliquid auſus eſt Clemens V. frequenti etenim Concilio definivit jusjurandum illud, quod recens electus Imperator Romano Præſuli præſtat, juramentum fidelitatis eſſe cenſendum. Extat ejus conſtitutio Clement lib. 2. tit. 9. *Auctoritate*, inquit, *Apoſtolicâ, de fratrum noſtrorum conſilio declaramus illa juramenta prædicta fidelitatis exiſtere, & cenſeri debere*

Gregoriani Dictatûs Canon XII. ſic habet. *Quòd Papæ liceat Imperatores deponere.* Extremus ſic. *Quòd Pontifex a fidelitate iniquorum ſubjectos poteſt abſolvere.* Innocentii III. Conſtitutio, *Solitæ* hoc titulo prænotatur. *Imperium non præeſt Sacerdotio, ſed ſubeſt.* Illi verò qua Innocentius IV. Fridericum Imperio exuit, hoc præfigitur lemma. *Papa Imperatorem deponere poteſt ex cauſis legitimis.*

Sed iſtos omnes longo poſt ſe intervallo reliquit Bonifacius VIII. *Extra Unum ſanctum*, qua hanc omnium omnino mortalium adverſus Romanum Pontificem ſubjectionem ac dependentiam ad ſalutem conſequendam neceſſariam eſſe definivit. *Porrò*, inquit, *ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Quæ quidem, fateor, ſeorſim ſumpta ambiguitate non parvâ laborare videntur, nec enim primâ fronte ſatis apparet de qua ſubjectione intelligi illa debeant, de ſpirituali, an de temporali? Sed ambiguitatem omnem removet etiam perfunctoria præcedentium conſideratio. In iis enim Bonifacius argumenta exponit, quibus evincere conatur utramque ſibi poteſtatem competere. Obſerventur præ cæteris hæc pauca. *In hac (*Eccleſiâ*) ejuſque poteſtate, duos eſſe gladios, ſpiritualem videlicet, & temporalem, Evangelicis dictis inſtruimur. Nam dicentibus Apoſtolis,* Ecce duo gladii hîc, *in Eccleſiâ ſcilicet, cùm Apoſtoli loquerentur, non reſpondit Dominus nimis eſſe, ſed ſatis. Certè qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, malè verbum attendit Domini proferentis,* Converte gladium tuum in vaginam. *Uterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis, ſed is quidem pro Eccleſiâ, ille verò ab Eccleſiâ exercendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum & militum, ſed ad nutum, & patientiam Sacerdotis.*

Similia habet ad finem uſque. Ac proinde cum ex iſtis id Bonifacius colligat, quod definit, eo ipſo manifeſtum eſt de utraque illum ſubjectione intelligendum, quandoquidem quis ſit concluſionis ſenſus non aliunde certius dignoſcitur quàm ex præmiſſis. Sed etiamſi aliqua dubitandi eâ de re anſa remaneret, amoveretur illa penitus alterâ, quam idem

idem ille Bonifacius ſcripſit ad Philippum Pulchrum epiſtolâ, in qua hæc erant; *Scire te volumus, quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes.* Et poſt pauca. *Aliud autem credentes hæreticos reputamus.* Aperta iſta, & nulli tergiverſationi, nullis cavillis obnoxia.

ARTICULUS II.

Iſtis non obſtantibus hanc Romanorum Pontificum poteſtatem innumeri non agnoverunt.

NEmo igitur dubitare potuit quin ſummam in temporalia poteſtatem ſibi Pontifices arrogarent. Ac proinde quotquot hanc illi denegarunt eo ipſo oſtenderunt ignotam ſibi eorum infallibilitatem eſſe. Atqui negarunt illam plurimi, iique celeberrimi ſuorum temporum Doctores atque Præſules. Congeſſerunt eorum teſtimonia Launoius, Dupinus, & quod mirum, ipſe Lupus ad canonem XII. Dictatûs Gregoriani, unde peti à quovis poſſunt. Ego eos duntaxat proferam, qui ſupremam hanc in temporalia poteſtatem ita abjecerunt, ut ignotam ſibi eſſe infallibilitatem ſimul apertè profiterentur.

Strinxit in Henricum IV. Imperatorem excommunicationis primùm, tum depoſitionis ſententiam Gregorius VII. qui ante Pontificatum Hildebrandus dicebatur. Inſurrexerunt hac de causâ in illum Cardinalium plerique, atque in iis Benno, cujus hæc ſunt. *Non abſurdum*, inquit, *exiſtimavi, majorum noſtrorum nomina, atque dignitates memoriæ commendare, qui Hildebrandum reliquerunt, cujus intolerabiles & graviſſimos errores publicè deteſtati nunquam ad eum reverſi ſunt.* Et quibuſdam interjectis. *In deſcriptione ejuſdem excommunicatio-*

nis ea interjecruit, in quibus manifeſtè a fide Catholicâ erravit.

Virdunenſis Epiſcopus in Epiſtolâ quadam ad Epiſcopos & Principes Romani Imperii, quæ habetur in Catalogo teſtium veritatis, ſic ait: *Hildebrandus qui dicitur caput jam eſt cauda Eccleſiæ, qui fundamentum jam detrimentum. Hic diſpergit qui dicebatur congregare. Hic Eccleſiam odit qui dicebatur diligere. Jam uſque ad omnimodam hæreſim infirmat qui dicebatur Eccleſiam ſanctam confirmare.*

Sigebertus Gemblacenſis in Chronico ad annum 1088. *Nimirum (ut pace omnium bonorum dixerim) hæc ſola novitas (non dicam hæreſis) necdum in mundo emerſerat, ut Sacerdotes illius qui dixit Regi, Apoſtata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum quòd malis Regibus nullam debeant ſubjectionem, & licet ei Sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec perjuri dicantur, qui contra Regem ſenſerint, imò qui Regi paruerit pro excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit à noxâ injuſtitiæ & perjurii abſolvatur.*

Henrico IV. adhærentes excommunicati ſunt, & in his Leodienſes, adverſus quos Robertum Flandriæ Comitem datis literis animavit Paſchalis II. Conqueſta eſt publicè de his literis Leodienſis Eccleſia, & querelas ſuas evulgavit, in quibus ſic ait. *Si jurat homo, jubet Deus ut reddat Domino juramentum ſuum. Hoc nec ignorant illi quòd Regnum & Sacerdotium ſcindentes novello ſchiſmate, & novellis (ut quibuſdam placet) traditionibus illos qui Regi perjurant ſe à culpa perjurii abſolvere promittunt, non attendentes quòd Ezechiel ex ore Dei dicat de Sedechiâ, qui perjuravit Domino ſuo Regi Nabuchodonozor. Qui ſolvit,* inquit, *pactum, numquid effugiet?* Et

Et poſt pauca. *Maledictum excommunicationis D. Paſchaſius nobis improperat, ſed illud ante omnia timemus, quod Spiritus S. per os Pſalmiſtæ dicit,* Maledicti omnes qui declinant à mandatis tuis. *Maledictum excommunicationis, quod ex novellâ traditione Hildebrandus, Odardus, & iſte tertius indiſcretè protulerunt, omnino abjicimus, & priores ſanctos Patres uſque nunc veneramur, & tenemus, qui dictante Spiritu S. non animi motu in majoribus & minoribus poteſtatibus graviter delinquentibus quædam diſſimulaverunt, quædam correxerunt, quædam toleraverunt.*

Ludovicum Bavarum Imperatorem depoſuit quoque Joannes XXII. Sed Concilium Ludovicus appellavit, & in Apologiâ, quam habemus, contendit jure ſe ad Concilium, utpote ſuperius provocaſſe. *Videtur*, inquit, *quod Papa tenetur requirere Concilium Epiſcoporum, quod verum eſt ubi de fide agitur, & tunc Synodus major eſt quàm Papa* 15. *diſt. ſicut ſancti mei, dicit gloſſa ordinaria quòd Papa, ubi de fide agitur, habet ſuperiorem in terris, à quo poteſt judicari, & per conſequens ad ipſum appellari. Probatur etiam notanter per illud quod legitur & notatur* 40. diſt. c. *Si Papa ubi expreſsè definitur, quod Papa à nemine judicari poteſt, niſi deviat à fide Catholicâ. Ergo ſi Papa deviat à fide habet ſuperiorem in terris, à quo poteſt judicari, & per conſequens ad ipſum appellari. Hoc etiam patet per hoc quod dicit Auguſtinus in epiſt. ad Glorium & Eleuzium, & reliquos Donatiſtas, ubi de Concilio Papæ & Collegii Cardinalium ſcribit Dominus ſic. Num eis dici poſſit, & adhuc juſtiſſimè dici, Ecce putas illos Epiſcopos qui Romæ judicarunt non bonos fuiſſe. Reſtabat adhuc univerſalis Eccleſiæ plenarium judicium, ubi etiam cum ipſis Judicibus cauſa poſſit agitari, ut ſi malè judicaſſe convicti eſſent, eorum*

ſententiæ ſolverentur. Hæc Auguſtinus, ex quibus & aliis plurimæ auctoritatis, quæ brevitatis causâ dimittuntur evidenter patet quòd Concilium univerſale Eccleſiæ Catholicæ, ubi de jure divino, aut de fide agitur majus & ſuperius eſt Concilio Papæ & Cardinalium, & ipſum ſolvit, & tollit, ſi ipſi repugnant.

Qui hæc dicit, & Pontificum judicia in iis quæ fidem & jus divinum ſpectant, à Concilio corrigi debere concludit, is apertiſſimè profitetur poſſe Pontifices malè cenſere.

OBSERVATIO XVII.

Duo Privilegia Henrico IV. Imperatori conceſſa ita excepta ſunt, ut pateat Pontifices non fuiſſe tunc exiſtimatos errare neſcios.

ARTICULUS I.

De Privilegio circa electionem Pontificis à Nicolao II. dato.

Sec. XI. PRivilegium quoddam Henrico Imperatori ejus nominis IV. conceſſerat Nicolaus II. juxta quod non poterat abſque illius conſenſu Romanus Præſul eligi. Hoc privilegio nixus Henricus Gregorium VII. ſe inconſulto electum in Concilio Brixinenſi depoſuerat, & Guibertum Antipapam creaverat. Inde ſchiſma. Anſelmus Lucenſis tunc Epiſ-

Epiſcopus poſtea Pontifex Alexander II. pro Gregorio adverſus Guibertum, ejuſque protectorem Henricum, calamum ſtrinxit. Ubi verò ad deſumptam ex illo privilegio objectionem devenit, palàm oſtendit ignotam ſibi eſſe Romani Pontificis infallibilitatem. Præmiſſis enim tribus aliis ſolutionibus hanc quarto & ultimo loco ſubjungit. *Ut tandem*, inquit, *invincibili gladio feriamus, præfatus Nicolaus, unus ſcilicet Patriarcha, cum quolibet Epiſcoporum Concilio, non potuit abrumpere, imò nec mutare, non obviantia fidei decreta ſanctorum quinque Patriarcharum, ſcilicet Romani, Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani, Conſtantinopolitani, & ut ex numero præfatis Synodis appoſito colligi poteſt, ſanctorum Patrum numero præfatis Synodis appoſito colligi poteſt, ſanctorum Patrum numero ducentorum quinquaginta, & ampliùs.* Et quibuſdam in eam ſententiam interjectis tandem concludit. *His itaque decurſis patet præfatum decretum nullius eſſe momenti, nec unquam aliquid virium habuiſſe. Hæc dicens non præjudico beatæ memoriæ Papæ Nicolao, nec quicquam ejus honori derogo, Patrum ſententias Dei Spiritu conditas ſequendo. Homo quippe fuit, eique ut contra fas ageret ſurripi potuit. Nec mirum hoc eidem contigiſſe, cum quidam ipſius deceſſor inveniatur decreviſſe, & meliori uſus conſilio poſtea immutaſſe. Siquidem Bonifacius II. legitur ex decreto conſtituiſſe Vigilium Diaconum ſibi in Pontificatu ſuccedere. Quod quia Romano Clero viſum eſt Canonibus adverſari, præſente Clero ab eodem ſuppoſitum eſt igni ante confeſſionem B. Petri Apoſtoli. Et certè præfatus Nicolaus ſi tot Patrum ſententias in unum collectas vidiſſet, eas ſuo decreto tam concorditer adverſari perpendiſſet.*

Hæc ille, in quibus multa obſervanda. I. Non putare Anſelmum eandem eſſe Romani Præſulis

ſolius vel cum aliis Epiſcopis, poteſtatem, quæ ſit illius cum reliquis quatuor Patriarchis conſentientis. II. Exiſtimari Anſelmo Nicolai decretum prorſus irritum, idque defectu poteſtatis. III. Exiſtimari iniquum, utpote contra jus faſque editum. IV. Imputari ignorantiæ, quòd ſcilicet Nicolaus neſciret adverſari illud tot Patrum ſententiis. V. Non videri mirum, quòd Nicolao, utpote homini, contra jus, faſque ſurripi potuerit. Clara ea omnia, atque ejuſmodi, ut cum opinione de ſummâ, & errare neſciâ, Pontificis poteſtate apertè pugnent.

Ejuſdem ſententiæ fuit Deſiderius Abbas Caſſinenſis, poſtea Pontifex Victor III. cujus de hoc ipſo argumento diſputationem cum Hoſtienſi Epiſcopo, aliiſque nonnullis Henrico adhærentibus, refert in Caſſinenſi Chronico Leo Hoſtienſis (a). *Cum ille*, inquit, *ei privilegium Nicolai Papæ, quod cum Hildebrando Archidiacono, & centum viginti quinque Epiſcopis fecerat, oſtendiſſet, ut nunquam Papa in Romanâ Eccleſiâ abſque conſenſu Imperatoris fieret, quod ſi fieret, ſciret ſe non pro Papâ habendum eſſe, atque anathematizandum. Unde Deſiderius tam illum, quàm omnes qui eum adjuvabant, palàm convicit. Dixit enim neque Papam, neque Epiſcopum aliquem, neque Archidiaconum, neque Cardinalem, ſed nec ullum hominem juſtè hoc facere potuiſſe. Apoſtolica enim Sedes Domina noſtra eſt, non ancilla, nec alicui ſubdita, ſed omnibus eſt prælata, & ideo nullâ ratione poſſe conſtare, ut eam aliquis quaſi famulam vendat. Quòd ſi hoc à Nicolao Papâ factum eſt, injuſtè proculdubio, & ſtultiſſimè factum eſt, nec pro humanâ ſtultitiâ poteſt, aut debet amittere ſuam dignitatem Eccleſia, nec unquam debet à nobis hoc aliquatenus conſentiri.*

(a) *Lib. 3. cap. 50.*

Fate-

Fatetur Lupus (b) nodoſa eſſe hæc teſtimonia. (b) *Lup. tom. 5. pag. 676.* Duo autem reponit, quorum neutrum argumentum noſtrum attingit. Ait primùm Papalis electionis formam eſſe rem indifferentem, & ex rationibus mutabilem, & nec ad Chriſtianum dogma, nec ad generalem Chriſtiani populi diſciplinam pertinere. Addit ſecundò non Nicolaum, aut ejus Synodum, ſed Anſelmum potiùs, & Deſiderium erraſſe. Eſſet, fateor, his locus, ſi non ex Nicolai decreto directè argumentaremur. Non omnino abſurdè ſic Lupus reſponderet. Nos verò non factum ipſum, ſed ſolum Anſelmi & Deſiderii de hoc facto judicium, urgemus, ut colligamus, non quidem erraſſe revera Nicolaum, ſed tantùm erraſſe Anſelmo & Deſiderio viſum. Hanc illis mentem fuiſſe relata ipſorum verba clarè evincunt, & Lupi reſponſa non impediunt.

Agebatur, inquit, de re indifferente, & ex rationibus mutabili. Eſto. Sed aliter Anſelmus & Deſiderius exiſtimabant, ut patet I. ex eo quòd injuſtè, quòd ſtultiſſimè, quòd contra jus faſque feciſſe Nicolaum velint, quod dici certè non poterat, ſi res à Nicolai arbitrio pendebat. Patet rurſus ex eo quòd negent iſtud ab ullo hominum, ſive Papâ, ſive Epiſcopo, ſive alio quocunque fieri juſtè potuiſſe. Patet III. eò quòd dicant Nicolai decretum nullius eſſe momenti, & nihil unquam virium habuiſſe. Quî dici iſtud potuit, ſi agebatur de re Pontificis poteſtati ſubjectâ? Patet IV. eo quod convelli hoc decreto Eccleſiæ libertatem putent, quam eſſe juris divini Adverſarii nunquam negabunt. Patet denique eo quòd expertè negent poſſe Eccleſiam amittere ſuam dignitatem per humanam ſtultitiam, id eſt per decretum Nicolai ſtultiſſimè factum. Quare quicquid ſit de re ipſâ, Anſelmus certè & Deſiderius putarunt Ni-

colaum erraſſe, & non in Eccleſiaſticum, ſed in divinum jus decreto ſuo peccaſſe, quod mihi hac in parte ſufficit. An enim illi errarint alia quæſtio eſt.

ARTICULUS II.

De privilegio à Paſchale II. eidem conceſſo circa inveſtituras.

Sec. XII. SImile eidem Henrico privilegium indulſit aliquanto pòſt Paſchalis II. *Quod* ſcilicet, verba ſunt Petri Diaconi, Leonis Hoſtienſis Continuatoris (a), *ulteriùs non inquietaret Imperatorem, neque ejus imperium, de inveſtiturâ Epiſcopatuum & Abbatiarum, & de injuriâ ſibi illatâ, & ſuis in perſonâ & bonis Imperatoris aliquod malum ſibi, vel alicui perſonæ non redderet pro hac causâ, & penitùs in perſonâ Imperatoris anathema ponat, ut condecet eidem Imperatori, & ejus Imperio, & privilegio ſuo ſub anathemate confirmat Epiſcopos & Abbates liberè electos aſſenſu Imperatoris ſine Simoniâ, quos idem Imperator annulo & virgâ inveſtiat, & Epiſcopus inveſtitus liberè conſecrationem accipiat ab Archiepiſcopo, ad quem pertinuerit. Si quis verò à populo, & à Clero eligatur, niſi ab Imperatore inveſtiatur, à nemine conſecretur.* Addit privilegium iſtud Paſchalis jure jurando confirmatum, quin & aliquanto pòſt Pontificem Miſſam celebrantem hoſtiam in duas partes diviſiſſe, & earum alterâ ſumptâ, alterâ Cæſari traditâ dixiſſe, *Sicut pars iſta vivifici corporis diviſa eſt, ita diviſus ſit à regno Chriſti quicunque pactum iſtud dirumpere tentaverit.*

(a) Lib. 4. cap. 40.

Ve-

Verùm iſta peſſimè paſſim excepta ſunt. Exiſtimatus eſt à multis per hoc privilegium in hæreſim lapſus Paſchalis. Quo jure nunc non inquiro, ſed ita certè nec pauci, nec incelebres putarunt. Horum numero Viennenſis Concilii Patres ſub Guidone Metropolitâ, Romanæ Sedis Legato, & aliquanto pòſt in Pontificem electo, congregati, quique ſequentia ad Paſchalem ipſum ſcripſerunt. *Igitur dictante S. Spiritu inveſtituram omnem de manu laicâ hæreſim eſſe judicavimus, ſcriptum illud, quod Rex à veſtrâ ſimplicitate extorſit damnavimus.* Et quibuſdam interjectis. *Illud autem cum debitâ reverentiâ veſtræ ſuggerimus pietati, quòd ſi nobiſcum in his ſteteritis, ſi hoc, ſicut rogamus, confirmaveritis, ſi deinceps ab illius crudeliſſimi Tyranni, & nunciorum ejus, literis, locutione, muneribus abſtinueritis, unanimiter vos, ſicut decet, habebitis filios & fideles. Si verò, quod minimè credimus, aliam viam aggredi cœperitis, & noſtræ paternitatis aſſertiones prædictas roborare nolueritis, propitius ſit nobis Deus, quia nos à veſtrâ ſubjectione & obedientiâ repelletis.*

Vehementior non parùm fuit Goffridus Vindocinenſis, qui ſequentia ad ipſum Paſchalem ſcripſit (b). *Cum laicam inveſtituram, quæ ſecundum traditiones ſanctorum Patrum hæreſis comprobatur, Eccleſia non contradicit, ſed præcipit, cum corrumpitur ipſa muneribus, cum ſeculari poteſtati ſubjicitur, fides, caſtitas, & libertas ei ſimul aufertur; & quæ vitam non hab t, non immeritò mortua creditur: Hujus mortis auctorem vel noviſſimum Eccleſiæ memb um credere, etiamſi Paſtor videatur, errare eſt. Huic errori quicunque inhæſerit, merebitur ab ipſâ vitæ radice præcidi. Super his autem ſi quis aliter ſenſerit, non eſt Catholicus. Manifeſtetur, & veritatis argumento probabitur eſſe hæreticus. Tolerandus quidem eſt Paſtor, ut Canones dicunt, pro reprobis* mo-

(b) Goff. lib. 1. epiſt. 7.

moribus. Si verò exorbitaverit à fide, jam non eſt Paſtor, ſed Adverſarius, à quolibet peccatore, tantùm Catholico, deteſtandus. Hæc ille, quibus deſcriptis ſubjungit Lupus (c). *Affirmat Pontificem eſſe lapſum in hæreſim, Eccleſiæ fidem, & cum caſtitate libertatem ab illo everſam, amiſſam Papalem poteſtatem, imò & Chriſtianam communionem, ideoque ipſum ſine pœnitentiâ, & Synodali auctoritate, non poſſe erigi ac reparari.*

(c) Lup. tom. 3. cap. 345.

Similia ad illum ſcripſit Bruno Signinus Epiſcopus (d), vir magni nominis, & poſt mortem, ſi qua Caſſinenſi Chronico fides, miraculis clarus. *Conſtitutio tua*, inquit, *quæ de Apoſtolico fonte manavit, omnes illos Clericos damnat, & à fidelium communione ſeparat, quicunque de manu Laici inveſtituram ſuſcipiunt, & quicunque eis manum imponunt. Ea namque Conſtitutio tua & Apoſtolorum ſancta eſt, Catholica eſt, cui quicunque contradicit Catholicus non eſt. Illi enim ſunt Catholici, qui Catholicæ Eccleſiæ fidei & doctrinæ obſtinato animo contradicunt.* Et quibuſdam interjectis. *Hanc igitur tuam, & Apoſtolicam Conſtitutionem, Pater venerabilis, iterum confirma, hanc in tua Eccleſia, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt, palàm & cunctis auditoribus prædica. Hanc hæreſim, quam tu ipſe hæreſim eſſe ſæpè dixiſti, Apoſtolicâ auctoritate damna, & mox videbis totam Eccleſiam tibi eſſe placatam.*

(d) apud Bar. ann. 1111.

Similia præſens præſenti dixit juxta Chronicon Caſſinenſe (e). *Apoſtoli*, inquit, *omnes illos damnant, & à fidelium communione ſegregant, quicunque per ſecularem poteſtatem Eccleſiam obtinent; Laici enim, quamvis religioſi ſint, nullam tamen diſponendi Eccleſiam habent facultatem. Hæc namque Conſtitutio Apoſtolorum ſancta eſt, cui quicunque contradicit Catholicus non eſt: omnis autem qui hære-* ſim

(e) lib. 4. cap. 41.

ſim defendit hæreticus eſt: nemo autem hanc non eſſe hæreſim dicere poteſt, quam ſancta & Apoſtolica Eccleſia in multis Conciliis hæreſim nominavit, & ſimul cum ſuis auctoribus damnavit & excommunicavit. Eadem etiam ad Petrum Portuenſem Epiſcopum ſcripſit, quæ repetere neceſſe non eſt.

Iſti igitur, Viennenſes, inquam, Patres, Goffridus Vindocinenſis, & Bruno Signinus exiſtimarunt in hæreſim lapſum per decretum ſuum Paſchalem, eoque ipſo apertiſſimè oſtenderunt quantum abeſſent ab agnoſcendâ illius poteſtate errare neſciâ. Nec multum ab eorum mente abſcedebat Joannes Lugdunenſis Primas, qui ad Darinbertum Senonenſem hac de re ſcribens ſic ait (f). *Licet exteriores inveſtituras per Laicos factas non ſatis propriè hæreſis nomine cenſeamus, ſentire tamen, ac defendere fieri debere indubitata hæreſis eſt.* Apertè in rem noſtram. Qui enim præcipit ut Laici inveſtiant, is debere iſtud fieri expreſſè docet. Hæreticus ergo juxta Joannem Paſchalis qui iſtud juſſit.

(f) epiſt. inter Ivonianas 237.

Sed quicquid ſit de hæreſi omnes omnino ne Paſchali quidem excepto, exiſtimabant conceſſum ab illo privilegium, pravum eſſe, iniquum, quidam etiam apud Urſpergenſem ſacrilegum. Quare Paſchalis convocatâ numeroſâ Synodo ejus ſe judicio ſubmiſit, removeri etiam à Pontificatu conſenſit, & ut id ipſum innueret mitram & mantum depoſuit. Narrat hoc Gotfridus Viterbienſis his verbis:

Tunc ait, ô Patres, à Cæſare ſcripta notate.
Et quodcumque placet ſuper his decreta parate.
Me quoque Pontificem non fore juſſa date.
Peccatis mala veſtra meis veniſſe notavi.
Officiis me deſtitui dignum reputavi.
Me quoque depoſui ne pereatis, ait.

Hæc

Hæc ait, & mitram rejicit, mantumque relinquit.
Ordinet Eccleſia ſine me quicquid placet, inquit.
Moreque Pontificis judicet ipſa ſibi.

Feci, inquit referentibus aliis, *ut homo, quia pulvis ſum & cinis. Fateor me malè egiſſe. Sed rogo vos omnes, Orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum ſcriptum, quod in tentoriis factum eſt, quod pro pravitate ſuâ pravilegium dicitur, condemno ſub perpetuo anathemate.* Tum Bruno Signinus. *Gratias agamus omnipotenti Deo, qui Dominum Papam Paſchalem, qui præſenti Concilio præſidet, audimus proprio ore damnantem illud privilegium quod pravitatem & hæreſim continebat.* Reclamavit adverſus illud de hæreſi Conſtantinus Cajetanus. *Scriptum*, inquit, *quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, ſed hæreſis non fuit.* Univerſa verò Synodus Gerardi Engoliſmenſis ore ſic pronunciavit. *Privilegium illud quod non eſt privilegium, ſed pravilegium, pro liberatione captivorum, & Eccleſiæ à Domino Papâ Paſchali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc ſancto Concilio cum eodem Domino Papâ congregati, canonicâ cenſurâ, & Eccleſiaſticâ auctoritate, judicio S. Spiritûs damnamus, & irritum eſſe judicamus, atque omnino caſſamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat, penitùs excommunicamus. Quod ideo damnatum eſt, quòd in eo privilegio continebatur, quòd electus canonicè à Clero, & populo, à nemine conſecretur, niſi priùs à Rege inveſtiatur, quod eſt contra Spiritum S. & canonicam inſtitutionem.*

Sic nemo tunc erat qui privilegium iſtud defenderet, nemo qui erraſſe id concedendo Paſchalem dubitaret. Noli enim dicere rem fuiſſe diſciplinæ. Erat, fateor, ſed non eſſe putabatur. Imo Paſchalis ipſe, ut illi omnes exprobrant, laicam inveſtituram

turam hæreſim eſſe definiverat. Quicquid ergo ſit de re ipſâ, erraſſe circa jus divinum exiſtimatus eſt, quod erat demonſtrandum.

OBSERVATIO XVIII.

Adverſus Celeſtini V. de abdicatione decretum multi reclamarunt.

Mortuo Nicolao V. electus eſt Petrus Moronus Monachus Benedictinus, qui Celeſtini nomen aſſumpſit. Bonus vir iſte, ſed inexpertus, brevi ſenſit ſe tanto oneri ferendo prorſus imparem. Cogitavit ergo de abdicando Pontificatu, ſed neſciens utrum liceret, publicas primùm preces decrevit, tum re ad Cardinales delatâ, iiſque conſentientibus poſſe id fieri, decretum eâ de re condidit, de quo Bonifacius VIII. (a). *Quoniam aliqui curioſi diſceptantes de iis quæ non multum expediunt, & plura ſapere quàm oporteat (contra doctrinam Apoſtoli) temerè appetentes, in dubitationem ſollicitam an Romanus Pontifex (maximè cum ſe inſufficientem agnoſcit ad regendam univerſalem Eccleſiam, & ſummi Pontificatûs onera ſupportanda) renunciare valeat Papatui, ejuſque oneri & honori: deducere minùs providè videbatur. Celeſtinus Papa V. prædeceſſor noſter (dum ejuſdem Eccleſiæ regimini præſidebat) volens ſuper hoc hæſitationis cujuſlibet materiam amputare, deliberatione habitâ cum ſuis fratribus Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, (de quorum numero tunc eramus) de noſtro, & ipſorum omnium concordi conſilio & aſſenſu auctoritate Apoſtolicâ ſtatuit & decrevit Roma-*

Sec. XIV.

(a) *Sext. Decr. lib. 1. tit. 7.*

manum Pontificem poſſe liberè reſignare. Nos igitur ne ſtatutum hujuſmodi per temporis curſum oblivioni dari, aut dubitationem eandem in recidivam diſceptationem ulteriùs deduci contingat, ipſum inter conſtitutiones alias ad perpetuam rei memoriam de fratrum noſtrorum conſilio duximus redigendum.

Atqui non benè ita decreviſſe Celeſtinum multi putarunt. Patet hoc ex actis inter Bonifacium & Philippum Pulchrum coram Clemente V. expenſis, ex quibus hæc profert Rubeus in ſuo Bonifacio (b). *Cum vero hac Pariſiis inaudirentur, quæri & examinari cœptum eſt ſuper ingreſſu illegitimo dicti Bonifacii, videlicet an teneret dicti Celeſtini renunciatio, vel non? Conſuluntur plures Doctores, & in Theologiâ Magiſtri, qui viderunt in materiâ diligenter, & determinarunt eorum plurimi & magni Celeſtinum renunciare non potuiſſe, conſtitutionemque ſuam in contrarium priùs editam non tenuiſſe, nec eum id (quia contra Deum eſſet, & ejus Evangelium, & omnem rationem) nullatenus ſtatuere potuiſſe.*

(b) *Lib. 1. cap. 15.*

Hîc duo obſervanda. I. Non de ipsâ tantùm renunciatione verba fieri, ſed etiam de Conſtitutione, quæ renunciationem præceſſit, quæque licitam illam eſſe definivit. II. Multos viros doctiſſimos, re diligenter expensâ, Lutetiæ Pariſiorum cenſuiſſe illam Evangelio & rationi adverſari. Iſti igitur non dubitabant, quin decernens ex cathedrâ Pontifex errare poſſet.

Porrò non ſolis Pariſienſibus ſic viſum. Eadem quoque Italorum ſententia fuit. Sic enim apud eundem Rubeum (c) Anonymus, & ni fallor ineditus, Scriptor vitæ Celeſtini; *Multi homines*, inquit, *Celeſtino dicebant ut ſe Papam faceret reclamare, quia quod fecerat, de jure non poterat, & omnes pro illo erant, & hæc audire cupiebant.* Similiter Mapheus Vegius in ejuſdem Celeſtini vitâ, eodem Ru-

(c) *Rub. Bonif. lib. 2. cap. 7.*

Rubeo referente. *Plurimi hortabantur eum ut ſe evidenter Pontificem appellaret, quandoquidem abdicatio illa quam fecerat nihil jure conſtaret.*

Nec eſt quod dicas nimium iſtos ſcrupuloſos, ac meticuloſos fuiſſe, qui in re planâ & facili hærerent. Habebant illi argumenta, nec pauca, nec contemnenda, quæ collegit, & diluere tentavit, præter alios, Joannes Pariſienſis in Tractatu de poteſtate Regiâ & Papali, edito per Goldaſcum ac Richerium, unum præprimis non parum urgens, quòd ſcilicet ſolerent illorum temporum Pontifices in ipſâ fidei profeſſione enthroniſticâ vovere ſe nunquam abdicaturos. Sic enim aiebant (d). *Profiteor tibi B. Petre Apoſtolorum Princeps ... ſanctæque tuæ Eccleſiæ, quam hodie tuo præſidio regendam ſuſcipio, quòd quamdiu in hac miſerâ vitâ conſtitutus fuero, ipſam non deſeram, non relinquam, non abnegabo, non abdicabo aliquatenus, nec ex quacunque causâ, cujuſcunque metûs, vel periculi occaſione dimittam, nec me ſegregabo ab ipſâ. Atque hinc præſertim,* inquit Garnerius (e), *argumentum ſuppetebat Bonifacii octavi hoſtibus, cur S. Cæleſtini abdicationem illegitimam jactarent, quippe factam contra ſolemnem promiſſionem Deo Eccleſiæque factam.*

(d) Diur. pag. 26. 27.

(e) Diur. p. 171.

OBSERVATIO XIX.

Controverſia circa paupertatem Franciſcanorum dupliciter oſtendit Pontificem non fuiſſe exiſtimatum errare neſcium.

Sec. XIV. ORta eſt exeunte XIII. ſeculo lis ingens, & ſequente præſertim efferbuit, circa paupertatem Franciſcanorum, quam ut componerent Pontifices non mediocriter ſudarunt. Definierunt illam, ſed dupliciter, & merè contradictoriè. Quælibet verò earum definitionum adverſarios ſuos habuit, atque adeo ignotæ tunc temporis Pontificiæ infallibilitatis teſtes. Sed præſtat utrumque illud ſeparatim, & diverſis articulis tractare.

ARTICULUS I.

Sed ex deceſſoribus ſuis infallibilitatem Joannes XXII. eique adhærentes neſciebant.

COntroverſiæ, de qua loquimur, occaſio hæc fuit. Franciſcani eximiæ, numeriſque omnibus abſolutæ, paupertatis gloriam avidiſſimè captantes, nihil ſe poſſidere jactabant. Ipſa quoque, quibus veſcebantur, edulia ſua eſſe negabant, eorumque uſum duntaxat, non dominium ſibi conceſſum, ſibi privatim ſingulis, ſive communiter omni-

omnibus dictitabant. Multi contrà hoc ut abſurdum ridebant. Variè hinc rixæ, quas ut componeret Nicolaus IV. Decretalem condidit hoc initio; *Exiit qui ſeminat*, quæ habetur ſexto Decretalium, tit. *de verborum ſignificatione*. In eâ multa pronunciat in hanc ſententiam diſertiſſima, iſtud cumprimis, eximiam iſtam paupertatem, quæ rerum omnium proprietatem excludit, laudabilem eſſe, ac meritoriam, & à Chriſto, quà doctrinâ, quà exemplo firmatam. *Porrò*, inquit, *cum ipſa regula expreſsè contineat, quòd fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſitque declaratum per eundem prædeceſſorem noſtrum Gregorium nonum, & nonnullos alios, hoc ſervari debere tam in ſpeciali, quam etiam in communi, quam ſic arctam abdicationem venenoſis obtrectationibus aliquorum inſenſata damnaverit aſtutia, ne fratrum eorumdem perfectionis claritas in talium imperitis ſermonibus laceretur, dicimus quòd abdicatio proprietatis hujuſmodi omnium rerum, non tam in ſpeciali, quàm etiam in communi propter Deum, meritoria eſt, & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmavit, quamque primi fundatores militantis Eccleſiæ (prout ab ipſo fonte traxerant) volentes perfectè vivere per doctrinæ & vitæ exempla in eos derivarunt.*

Hæc ille, in quibus duo dicit. I. Hanc expropriationem eſſe ſanctam & meritoriam. II. Fuiſſe illam Chriſti verbo doctam, & exemplo firmatam. Porrò ad calcem conſtitutionis multa habet, quibus innuit addidiſſe ſe illi quamcunque vim potuit. Dicit omnia ſibi multâ cum maturitate diſcuſſa. *Eaque de causâ*, inquit, *illa omnia ſuprà ſcripta per nos ſtatuta, ordinata, conceſſa, diſpoſita, decreta, declarata etiam, & ſuppleta, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine approbavimus, confirmamus,*

& volumus exiſtere perpetuæ firmitatis, in virtute obedientiæ diſtrictè præcipientes, quòd hæc conſtitutio, ſicut cæteræ conſtitutiones, vel decretales epiſtolæ, legatur in ſcholis. Quid quod ſub excommunicationis pœna prohibet non tantùm ne contraria doceantur, ſed ne hæc ipſa Conſtitutio gloſſis, & commentariis, niſi fortè Grammaticalibus, illuſtretur, ſed ſicut prolata eſt, ſic fideliter exponatur ad literam.

Porrò in hac definitione conſentientes habuit ſex alios partim deceſſores, partim ſucceſſores, quorum dicta referre nihil attinet. Fruſtra tamen & ipſe, & alii fuere. Nam aliquanto pòſt Joannes XXII. Minoritis infenſus plurimas Conſtitutiones evulgavit, in quibus id ipſum quod Nicolaus docuerat, prolixè confutat, ac tandem hæreticum pronunciat. Paucas ego duntaxat periodos ex Conſtitutione, *Cum inter*, iſthic deſcribam. *Cum*, inquit, *inter nonnullos viros Scholaſticos ſæpè contingat in dubium revocari, utrum pertinaciter affirmare Redemptorem noſtrum, ac Dominum, Jeſum Chriſtum, ejuſque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua, nec in communi etiam, hæreticum ſit cenſendum, diverſa, & adverſa etiam ſentientibus circa illud: Nos huic concertationi finem imponere cupientes, aſſertionem hujuſmodi pertinacem, cum Scriptura ſacra, quæ in pleriſque locis ipſos nonnullos habuiſſe aſſerit, contradicat expreſſè, ipſamque Scripturam ſacram, per quam utique fidei orthodoxæ probantur articuli, quoad præmiſſa fermentum apertè ſupponat continere mendacii, ac per conſequens quantum in eâ eſt ejus in totum fidem evacuans, fidem Catholicam reddat, ejus probationem adimens, dubiam & incertam deinceps erroneam fore cenſendam, & hæreticam, de fratrum noſtrorum conſilio hoc perpetuo declaramus edicto. Rurſus in poſterum pertinaciter affirmare, quòd Redemptori*

demptori

demptori noſtro prædicto, ejuſque Apoſtolis, iis, quæ ipſos habuiſſe Scriptura ſacra teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi competiiſſe, nec ulla vendendi, ſeu donandi, jus habuerint, aut ex ipſis alia acquirendi, quæ tamen ipſos de præmiſſis feciſſe Scriptura ſacra teſtatur, ſeu ipſos potuiſſe facere ſupponit expreſsè, cum talis aſſertio ipſorum uſum & geſta evidenter includat in præmiſſis non juſta, quod utique de uſu, geſtis, ſeu factis Redemptoris noſtri Dei Filii ſentire nefas eſt, ſacræ Scripturæ contrarium, & doctrinæ Catholicæ inimicum; aſſertionem iſtam pertinacem de fratrum noſtrorum conſilio deinceps erroneam fore cenſendam meritò, ac hæreticam declaramus.

Hæc ille, in quibus Nicolao in multis apertè contradicit, ſed in hoc apertiſſimè, quod cum Nicolaus docuiſſet Chriſto obſervatam eximiam illam paupertatem, quæ quorumvis, etiam eorum, quæ uſu conſumuntur, qualia edulia, & pecuniæ, proprietatem excludit, Joannes huic deceſſoris ſui aſſertioni hæreſeos notam inurat. Quomodo igitur illum, quomodo ſex alios idem docentes, infallibiles putare potuit?

ARTICULUS II.

Expenditur reſponſum Bellarmini.

QUid ad hæc Bellarminus? Negat diſſentire Nicolaum & Joannem, eo quòd neuter univerſaliter loquatur, & ut Nicolaus agnoſcit Chriſtum nonnunquam habuiſſe aliquid proprii, ſic Joannes non neget illum aliquando omni proprietate caruiſſe.

Sed ut quod de Nicolao Bellarminus dicit verum

eſt, ſic quod de Joanne falſiſſimum. Negabat iſte unquam contigiſſe ut Chriſtus, eorum ſaltem quæ conſumebat, dominio & proprietate careret. Primùm enim diſertiſſima hæc ſunt. *Quæ quidem aſſertio continet multa falſa, cum neque Chriſtum expropriationem prædictam omnis juris in cujuſcunque rei proprietate, & in ejus uſu in ſe ſervaſſe, nec eam impoſuiſſe Apoſtolis, neque ſub voto ab ipſis fuiſſe receptam, Evangelica, ſeu Apoſtolica doceat hiſtoria, ſed contrarium evidentiùs manifeſtat.* Expendatur illud, *cujuſcunque*, quod univerſaliſſimè negat Chriſtum eorum, quibus uſus eſt proprietatem abjeciſſe, quodque proinde Bellarminum hoc ipſum negantem, vel malæ fidei, vel quod malim, incogitantiæ convincit.

Deinde quomodo potuit Joannes exiſtimare Chriſtum quandoque caruiſſe dominio eorum, quæ conſumebat, quandoquidem millies negat in iis dominium ſeparari poſſe à jure utendi? Audiatur ipſe Bellarminus (a). *Joannes*, inquit, *reſpondet non poſſe ſeparari uſum à dominio in ejuſmodi rebus, dominari enim eſt poſſe rem deſtruere. Proinde impoſſibile eſt poſſe rem deſtruere utendo, ut panem comedendo, & non eſſe dominum illius rei.*

(a) *Bell. de Pont. lib.* 4. *cap.* 14.

Quid quòd eò uſque Joannes progreditur, ut dicat, & frequenter inculcet, uſum à jure ſeparatum eſſe non juſtum. *Præterea*, inquit, *ſi ſimpliciter uſus denudatus ab omni jure haberi poſſet ab aliquo, conſtat, quòd actus utendi hujuſmodi eſſet reputandus non juſtus, cum ille uſus fuerit, cui jus non competebat utendi: uſus autem non juſtus ad perfectionis ſtatum nequaquam pertinet, nec perfectioni aliquid adjicit, ſed ſibi repugnare potiùs noſcitur manifeſtè.*

Ad hæc ſententiam quam confutat hæreticam pronuntiat, & in quo ſita ſit, quam illi imputat, hæ-

reſis

reſis apertè indicat. Sic enim in concluſione extravagantis, *Quia quorumdam. Nos itaque ne fabricatores mendaciorum... cum auſu arreptando, ac petulantiâ improbâ auſi defendere publicè fuerint, damnatam per conſtitutionem prædictam hæreſim, ac etiam probare videlicet quòd Chriſtus, & ejus Apoſtoli in iis, quæ habuiſſe leguntur, tantùm habuerint abſque jure aliquo ſimplicem uſum facti, ex quo (ſi verum eſſet) ſequeretur uſum Chriſti fuiſſe non juſtum, quod profectò blaſphemiam continet, & eſt Catholicæ fidei inimicum, cum hoc de pertinaci animoſitate, ac erroneâ non ſit dubium proceſſiſſe, omnes & ſingulos, qui verbo ac ſcripto, vel alium, ſeu alios talia publicè præſumpſerunt, ipſos quoque qui eos docuerunt, in talibus, & ut præmiſſa facerent, in damnatam incidiſſe hæreſim, ac ut hæreticos evitandos fore de fratrum noſtrorum conſilio declaramus.* Vides ut in eo hæreſim locet, quòd Chriſtus & Apoſtoli habuerint abſque jure aliquo ſimplicem uſum facti, unde ſequatur uſum illum non fuiſſe juſtum. Id ergo hæreticum exiſtimavit quod illi Bellarminus imputat, habuiſſe ſcilicet quandoque Chriſtum uſum abſque dominio.

Quid quod exiſtimavit Joannes habuiſſe Chriſtum ut hominem ab ipſo conceptionis momento jus & dominium in omnes creaturas, & nec renunciaſſe, nec renunciare illi juri potuiſſe. Docet hoc in Conſtitutione, *Quia vir reprobus*, quam integram exhibet, & confutat Okam in opere nonaginta dierum. *Præmiſſa*, inquit, *ſcilicet regnum, & univerſale dominium, habuit Jeſus in quantum Deus ab æterno, eo ipſo quia Deus Pater genuit eum, & in quantum homo ex tempore, ſcilicet ab inſtanti conceptionis ſuæ ex Dei datione, ut patet ex prædictis. Et ſi velit* (Michael Cæſenas) *dicere quod illi regno & dominio renunciavit expreſsè, oſtendat*

dat illud ſi ſciat, quod tamen, ut credimus, per ſacram Scripturam non poterit : imo contrarium ſacra Scriptura exponit expreſsè, quæ ſupponit cum non longè à paſſione ſuâ dixiſſe, Vos vocatis me Magiſter, & domine, & benè dicitis..... *Ex quibus evidenter apparet ipſum regno & dominio non renunciaſſe prædictis: imò videtur quòd nec potuerit renunciare; & ſi feciſſet, contra ordinationem Patris feciſſet &c.* Iſta, fateor, non definit, ſed ut ut ſit ea docens ſatis oſtendit quantum abſit ab eâ mente, quam illi Bellarminus affingit. Ut ut ſit, definitio aperta eſt, & eludi non poteſt.

ARTICULUS III.

Oſtenditur id ipſum aliis argumentis.

NOn tantùm contraria iis quæ Nicolaus pronunciaverat, definiendo, ſed aliter etiam oſtendit manifeſtè Joannes non exiſtimare ſe Nicolaum errare neſcium. Cum enim Nicolai Decretalem illi ſubinde & identidem Michael Cæſenas objiceret, ſic reſpondit Conſtitutione, *Quia vir reprobus. Si autem velit iſte hæreticus, quòd dicta Conſtitutio*, Exiit, *diffinierit quòd Fratres Minores in rebus uſu conſumptibilibus habeant ſimplicem uſum facti, dicimus quòd diffinivit impoſſibile, & per conſequens diffinitio de jure non teneret. Cum enim ſit impoſſibile in rebus uſu conſumptibilibus uſum juris, vel facti habere à dominio ſeparatum, cum hoc rationi obviet, & juri repugnet, ſtatutum à quocunque factum in contrarium non tenet. Item in hoc quod dicit, quòd dicta Conſtitutio fuit per univerſalem Eccleſiam approbata, dicimus quòd quantum ad hoc,*

ſci

ſcilicet quòd Fratres Minores in rebus uſu conſumptibilibus habeant uſum facti, nunquam fuit per univerſalem Eccleſiam approbata. Dicimus etiam quòd non fuit in Viennenſi Concilio confirmata. Nec hoc poterit per Conſtitutionem aliquam, vel aliter, approbare: imò nec de fratrum conſilio fuit promulgata.

Hæc ſatis oſtendunt non dubitaſſe Joannem quin Nicolaus ſolus, & abſque Cardinalium conſenſu, errare poſſet, quod tamen Adverſarii nunquam admittent, quippe qui infallibilitatem, non Cardinalibus, aut eorum ſuffragiis, ſed ipſi Pontificis perſonæ ac dignitati annexam putant. Ad hæc in eadem Conſtitutione verſus finem hæc habet: *Item impugnat adhuc iſte hæreticus conſtitutionem prædictam falsò imponens ei quòd dicit quòd ſummus Pontifex in his quæ ad fidem & mores pertinent, poteſt ſuorum prædeceſſorum diffinitiones & dicta revocare, & contrarium ſtatuere, prout decrevit ſtatuendum. Apertè juxta morem ſuum mentitur iſte hæreticus ſupradictus. Conſtitutio enim illa hoc non dicit, nec de hoc facit aliquam mentionem ut patere poteſt cuilibet intuenti: imò expreſsè negat quòd dicere Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe in his quæ habuerunt niſi ſimplicem uſum facti, nec ad fidem pertinet, nec ad mores, ut in §. Præterea patet, in quo ſic dicit:* Præterea dicant nobis aſſertores hujuſmodi ubi legunt quòd ad fidem vel mores pertineat Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe in his quæ habuerunt niſi ſimplicem uſum facti. Profectò directè hoc ad fidem non pertinet, cum de hoc articulus non ſit aliquis, nec ſub quo valeat comprehendi, ut patet ex ſymbolis, in quibus articuli fidei continentur. Nec etiam reductivè, quaſi hoc ſacra Sciptura contineat, quo negato tota ſacra Scriptura redditur dubia, & per conſequens articuli fidei, qui habent per Scripturam ſacram prædicari, reddantur dubii & incerti. Hoc enim in Scripturâ ſacrâ non poterit, ſed contrarium

reperiri. *Ex quibus concludit dicens:* Unde non poſſunt ex prædictis concludere, niſi falsò quin contra ordinata per ſummos Pontifices circa talia liceat ſucceſſoribus aliquid ordinare: quia Nicolaus III. præfatus expreſsè in ſuâ declaratione inſeruit, ut ſuperiùs pleniùs continetur.

Vides quo ſenſu nolit ſucceſſores adverſus deceſſorum de fide ſtatuta pronunciare, ſi ſcilicet ea ſint verè de fide, & vel ſymbolis, vel Scripturâ expreſsè contineantur, qualia ſi non ſint, ut non eſſe quæ Nicolaus ſanxerat, contendit, nihil juxta illum impedit quin corrigantur.

Sed quæ tunc temporis eſſet Romanæ Curiæ circa infallibilitatem Pontificis ſententia, clariùs aperuit Jacobus Fornerius Cardinalis, qui aliquanto pòſt Joanni ſucceſſit, & Benedictus XII. dictus eſt. Hic in diſputatione quam cum Fratricellis Avenione habuit, quamque Bzovius ad ann. 1335. refert, animi ſui ſenſa apertiſſimè expoſuit. Sic enim habent diſputationis illius acta. *Tertiò affirmabant quòd in his quæ pertinent ad fidem & mores quidquid eſt determinatum ſemel per ſummum Pontificem, non poteſt per alium revocari. Talis autem eſt aſſertio Nicolai Papæ de Chriſti & Apoſtolorum paupertate. Reſpondebat Cardinalis negando aſſertionem, & præſuppoſitam propoſitionem. Nam Petrum, qui non ambulabat rectè ad veritatem Evangelii, reprehendit & correxit Paulus.* Tum plurima profert exempla errorum in quos Pontifices lapſi ſunt, ac tandem concludit. *Et ſic patet quòd illud quod circa fidem & mores non uſquequaque adamuſſim determinatum fuit per unum Pontificem, vel Concilium, potuit, & poteſt per alium perſpectâ meliùs veritate corrigi & emendari. Ideo non eſt mirandum ſi Joannes XXII. diligenti deliberatione cum multis peritis in Theologiâ, & in utroque jure habitâ, ſeu revocaverit, ſeu declaraverit ea quæ Nico-*

co-

colaus de Chriſti & Apoſtolorum paupertate incidenter narraverat, non autem decreverat. Ita tunc reſpondebant ipſi Cardinales, ii ipſi qui deinde Pontifices eligebantur.

ARTICULUS IV.

Definitioni Joannis non omnes acquieverunt.

VIdimus quid de Nicolao, & Joannes, & ejus Cardinales exiſtimarent. Nunc videndum quid de Joanne ipſo alii ſentirent. Primùm Michael Cæſenas Franciſcanorum Generalis, & Gul. Okam illum apertè hæreticum proclamarunt. Collegit Melchior Goldaſtus nonnulla eorum ſcripta, in quibus Joannis errores ac hæreſes indicant, exaggerant, confutant, & quidem omnes in ipſis conſtitutionibus contentas, ne quis de perſonalibus erroribus intelligendos illos putet. Iſtis verò adhærebant Franciſcanorum plerique, quorum nonnulli carceres, quidam etiam vivicomburium paſſi ſunt, eoque ipſo manifeſtiſſimè oſtenderunt quàm parum Joannem errare neſcium putarent.

Teſtatur etiam Joannes Vitoduranus eorum temporum ſcriptor Franciſcanus, cujus fragmenta quædam Hottingerus edidit (a), teſtatur, inquam, Lutetiæ fuiſſe Joannis in hoc apice adverſarios. Nam de generali Capitulo in eâ civitate congregato verba faciens hæc ait. *Cum autem fratres Pariſiis convenissent, totam civitatem commotam, & nimis turbatam repererunt. Innotuerat enim ei Papæ intentio malitioſa, & timebat quòd fratres perculſi, & perterriti per iram Papæ contra eos ferociter ſævientem a propoſito ſancto reſilirent, & paupertatem Chriſti unà cum*

(a) *Hott. Hiſt. Eccleſ. ſec.* 14. *p. m.* 741.

cum Papâ à primordio Eccleſiæ præconizatam, & per omnes Eccleſias ſolenniter prædicatam abnegarent, & ſic conſequenter fidei Orthodoxæ nexus rumperetur in perpetuum integer conſervandus. Cum verò fratres diverſarum linguarum de diverſis nationibus illic in multitudine copioſâ congregati verbum Dei propoſituri conſurgerent, & loca eminentiora conſcenderent, tam Clerus, quàm vulgus, attentis auribus auſcultabat, an aſſertio paupertatis Chriſti, vel ejus abnegatio de ipſorum faucibus procederet. Intelligens autem omnis multitudo, & audiens ipſos conformiter valenterque Chriſti paupertatem eructare, repleti ſunt gaudio indicibili, dicentes, Benedictus ſit Deus, qui fidem, extra quam non eſt ſalus, ut timebamus, jam ſubruendam, & in ejus quodammodo articulo famoſiſſimo ſubvertendam tam miſericorditer non ſolùm conſervavit, verùm excellentiſſimè magnificavit, ita ut dubitatione pertimeſcendâ ſalubriter effugatâ, ſolida & ſana perſeveret. Penſemus, & diligenter conſideremus quantum periculum Eccleſiæ incubuiſſet, ſi fides in profeſſione ſacratiſſimæ paupertatis Chriſti occubuiſſet. Si enim hæc lucerna extincta & ſuppreſſa fuiſſet, quid aliud niſi tenebræ denſiſſimæ remanſiſſent, ibi, ut putabatur Petri navicula naufragari ſuſpicabatur &c.

Sed en tibi graviora. In Concilio Romano, quod ad deponendum Joannem convocavit Ludovicus Bavarus Imp. una ex cauſis depoſitionis fuit hæc adverſus Franciſcanos definitio. Sanè ipſius ſententiæ, quam Bzovius ad annum 1328. refert, articulus 18. ſic habet. *De paupertate Chriſti & Apoſtolorum, non ex ſenſu Catholico definitionem evulgarit, ſed inter hæreticos notorios propter eam opinionem ſe rejecerit, adeoque ſe ipſum in ipſe lapſus Pontificatu maximo privum fecerit.* Vide ut non de privatis ſenſibus, ſed de publicis

blicis definitionibus Patres loquantur, & dicant notorias illis hæreſes adſtrui. Iſti igitur ſaltem non putabant illum errare neſcium.

Quid autem diu poſtea de hac Joannis definitione Romæ putaretur, aperit Platina in illius Pontificis vitâ, his verbis. *Statim edictum propoſuit, quo eos declaravit pertinaces & hæreticos, qui affirmarent Chriſtum, ejuſque Diſcipulos nihil privatim habuiſſe. Quod certè non multum cum ſacrâ Scripturâ convenit, quæ multis in locis teſtatur Chriſtum, ejuſque Diſcipulos, ac veros imitatores, nihil proprii habuiſſe.*

Imò ipſe Binius in iſtius Pontificis vitâ ſic dicit. *Edidit 20. Conſtitutiones, quas Extravagantes vocant, quarum unica illa quæ incipit,* Ad conditorem, *contra Nicolai IV. aliorumque prædeceſſorum ſuorum ſententiam, in materiâ ad fidem non pertinente, malè definivit, in rebus uſu conſumptibilibus ipſum jus utendi à dominio earumdem rerum diſtingui non poſſe, adeoque ipſos Fratres Minores in his rebus verum dominium habere.* Quod malè definiiſſe Joannem fatetur, benè habet. Quod verò neget rem ad fidem pertinuiſſe ex ſuprà dictis confutatur.

OB-

OBSERVATIO XX.

Veteres multa dixerunt cum opinione eorum qui Pontificem errare neſcium putant apertiſſimè pugnantia.

Superſunt adhuc non pauca Veterum teſtimonia, quibus ignotam ſibi fuiſſe hanc Romani Præſulis poteſtatem errare neſciam manifeſtè demonſtrant. Ea quoniam variis occaſionibus prolata ſunt, nec poſſunt facilè ad certum aliquod doctrinæ vel diſciplinæ caput revocari, hoc loco quaſi per ſaturam congeſta exhibebo.

I. Narrat nonnihil Tertullianus, quot ſat apertè innuit, ne ipſos quidem Romanos Pontifices dubitaſſe quin errare ipſi, ac decipi facilè poſſent. Verba facit de eorum aliquo, quem non nominat, & quem eruditorum alii Zephirinum, alii Victorem eſſe volunt, & de eo, quiſquis ſit, hæc dicit (a). *Nam idem* (Praxeas) *tunc Epiſcopum Romanum agnoſcentem jam prophetias Montani, Priſcæ, & Maximillæ, & ex eâ agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis & Eccleſiis eorum adſeverando, & præceſſorum ejus auctoritates defendendo, coegit & literas pacis revocare jam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare.* Vides ut iſte, quicunque ſit, errorem ſuum corrigat, eoque ipſo agnoſcat, procul proinde ſit ab eâ ſententiâ, quæ nulli eum errori obnoxiam docet.

(a) *Tert. cont. Prax. cap.* 1.

Nec

Nec eſt quod cum Baronio dicas non priùs Romanam Eccleſiam conſueviſſe pacis literas cuiquam dare, quàm orthodoxam fidei confeſſionem accepiſſet, qualem cum Montanus, Priſca, & Maximilla edidiſſent, potuerit quidem Romanus Præſul in facto decipi, orthodoxos illos ratus, qui intus hæretici eſſent, ſed non in jure, id tanquam Catholicum approbando, quod hæreticum eſſe comperiatur. Valeret iſtud, ſi nihil aliud Tertullianus diceret, quàm fuiſſe datas hæreticis illis pacificas literas. Sed amplius aliquid dicit. Ait agnitas Romano Epiſcopo Montani prophetias. Hæ verò, qualeſcunque demum eſſent, modò non veræ, non poterant abſque errore, & quidem juris, agnoſci.

Non eſſe autem mentitum Tertullianum, quod etſi non dicat, ſubinnuere videtur Baronius, ſic oſtendit Rigaltius (b). *Neque eſt quod ſuſpicemur Tertullianum, virum graviſſimum, etſi tunc Montani partibus addictum, in hiſtoriâ tam recenti, tamque manifeſtâ, inque opere quod adverſus Praxeam hæreticum pro fidei Catholicæ articulo inter præcipuos nobili componebat, mentiri voluiſſe, cum præſertim mendacio ſplendido, ac ſtatim facilè confutando, pretium nullum.*

(b) *Rig. in h. l.*

II. Ambroſius, vel ſub Ambroſii nomine latens ſcriptor vetus, diſputans de lotione pedum, quæ in ipſius Eccleſiâ uſurpabatur, in Romanâ omittebatur, hæc ait (c). *Non ignoramus quòd Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus ſequimur, & formam.* Et quibuſdam interjectis. *Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam; ſed mea officia ipſe commendem. In omnibus cupio ſequi Romanam Eccleſiam, ſed tamen & nos homines ſenſum habemus. Ideo quod alibi rectiùs ſervatur, & nos rectè cuſtodimus. Ipſum ſequimur*

(c) *Ambr. de Sacr. lib. 3. cap. 1.*

Apoſtolum Petrum, ipſius inhæremus devotioni. Ad hoc Eccleſia Romana quid reſpondet? Utique ipſe auctor eſt nobis hujus aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui Sacerdos fuit Eccleſiæ Romanæ. Ipſe Petrus ait, Domine, non ſolùm pedes, ſed etiam manus, & caput. Vide ut velle ſe dicat Romanam Eccleſiam ſequi, modò illa Petrum ſequatur, nec deſerere illam dubitet, quoties ab eâ Petrus deſeretur, ut deſeri hac in parte contendit. Qui hæc dicit, an videtur illam errare neſciam exiſtimare?

III. Vidimus ſuprà quæ de Liberio Hieronymus dixit, unde colligere potuimus quæ fuerit illius circa iſtud argumentum ſententia. Alia ſuppetunt quibus id ipſum in apertâ luce locatur. Primùm enim Romanæ Eccleſiæ auctoritatem ſibi opponentibus hæc ait (d). *Nec altera Romanæ urbis Eccleſia, altera totius orbis æſtimanda eſt. Et Gallia, & Britannia, & Africa, & Perſis, & Oriens, & India, omnes barbaræ nationes unum Chriſtum adorant, unam obſervant regulam veritatis. Si auctoritas quæratur, orbis major eſt urbe. Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tarſis, ejuſdem meriti, ejuſdem & ſacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.* Et paulò pòſt. *Sed dicis, Quomodo Romæ ad teſtimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers urbis conſuetudinem? Quid paucitatem de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas?*

(d) *Hier. epiſt. 85. ad Evag.*

Alibi fortiùs adhuc loquitur, & Romam expertè Babylonem appellat. *Cum*, inquit (e), *in Babylone verſarer, & purata meretricis eſſem colonus.* Et paulò pòſt de illius Eccleſiæ Clericis agens; *Pharizæorum conclamavit Senatus, ut nullus Scriba, vel*

(e) *Idem præf. ad lib. Didymi de Sp. S.*

vel fictus, ſed omnis quaſi indicto ſibi prælio doctrinarum adverſum me imperitiæ factio conjuravit.

Aliud addam Lupo jam obſervatum, & ipſius verbis repræſentabo. *Ex his*, inquit (f), *intelliges S. Hieronymi ad Oceanum literas, quæ demonſtrare ſtudent quempiam ex uno ante, & alio poſt baptiſmum conjugio non fieri irregularem. Famoſa olim fuit iſta quæſtio. Et quidem Romana Eccleſia conſtantiſſimè cenſuit, & ſemper docuit partem affirmativam. At verò S. Hieronymus ex pleno pectore favit negantibus, ideoque & ſcripſit:* Conſurgit mihi Caiana hæreſis, atque olim emortua vipera contritum caput levat, quæ non ex parte, ut antè conſueverat, ſed totum Chriſti ſubruit Sacramentum. Dicit enim eſſe aliqua peccata, quæ Chriſtus non poſſit purgare ſanguine ſuo, & tam profundas ſcelerum priſtinorum inhærere corporibus cicatrices, ut illius medicinâ attenuari non queant. *Per peccati cicatricem intelligit genitalis matrimonii vinculum, & ex iſto poſtea natam irregularitatem. Et qui hæc per baptiſmum cenſebant non auferri, accuſat de Caianâ hæreſi. Memento loqui liberi oris Hieronymum. Certè iſtam ejus ſententiam meritò notavit Rufinus, & ille non ſcivit ſe purgare. Rectè enim ſcribit ſanctus Papa Innocentius; Baptiſmo ſola peccata ſolvuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur.* Hæc Lupus. Ego uter rectè ſenſerit, Innocentiusne an Hieronymus, non quæro. Hoc duntaxat ſcire velim, an qui Romanam Eccleſiam accuſat de reſuſcitatâ hæreſi Caianâ infallibilem illam cenſeat?

(f) *Lupi in Tert. de praſc. pag. 549.*

IV. Ex Auguſtino in ſuperioribus non pauca deſcripſimus, nunc unum addemus, nondum, niſi me memoria fallit, indicatum. Adverſus Urbicum quendam diſputat volentem ut ad exemplum Romanæ Eccleſiæ omnes ſabbatho jejunarent, id-

que ab Apoſtolo Petro inſtitutum affirmantem. *Petrus*, aiebat ille (g), *Apoſtolorum caput, cœli janitor, & Eccleſiæ fundamentum, extincto Simone, qui fuerat Diaboli nonniſi jejunio vincendi figura, id ipſum Romanos edocuit, quorum fides annunciatur univerſo orbi terrarum.*

(g) Aug. epiſt. 86. ad Caſul.

Sed reponit Auguſtinus non magis poſſe Romanos reliquis ſabbatho prandentibus Petri auctoritatem opponere, quàm reliqui poſſent cæterorum Apoſtolorum inſtituta Romanis objicere. *Nunquid ergo*, inquit, *cæteri Apoſtoli prandere Chriſtianos contra Petrum docuerunt in univerſo orbe terrarum? Sicut itaque inter ſe vixerunt concorditer Petrus & condiſcipuli ejus, ſic inter ſe concorditer vivant ſabbatho prandentes, quos plantaverunt condiſcipuli ejus?*

Tum quibuſdam interjectis, in quibus docet quàm incerta ac dubia ſit tota illa de Petro Sabbathi jejunium in memoriam debellati Simonis inſtituente traditio, hæc addit obſervatione digniſſima. *Quod ſi reſpondetur hoc docuiſſe Jacobum Hieroſolymis, Epheſi Joannem, cæteroſque aliis locis, quod docuit Romæ Petrus, id eſt ut ſabbatho jejunetur, ſed ab hac doctrinâ cæteras deviaſſe, atque in eâ Romam ſtetiſſe, & è contrario refertur Occidentis potiùs aliqua loca, in quibus Roma eſt, non ſervaſſe, quod Apoſtoli tradiderunt, Orientis verò terras, unde cœpit ipſum Evangelium prædicari, in eo quod ab omnibus cum ipſo Petro Apoſtolis traditum eſt, ne ſabbatho jejunetur, ſine aliquâ varietate manſiſſe? Interminabilis eſt iſta contentio, generans lites, non finiens quæſtiones.*

Mitto quod Orientis Eccleſiis favere magis videtur, dum monet ab illis cœpiſſe Evangelium prædicari. Gravius ac disertius eſt quod ait interminabilem fore quæſtionem ſi quis roget num exiſti-

manda

manda potiùs ſit Romana Eccleſia quæ ſibi Petrus tradiderat adulteraſſe, an potiùs reliquæ, quæ ab aliis Apoſtolis acceperant immutaſſe ac corrupiſſe. Abſurdiſſimè profectò, ſi credidit Romanam Eccleſiam infallibilitatis privilegio gaudere, reliquas errori obnoxias eſſe. In hac enim hypotheſi nihil facilius quàm quæſtionem illam terminare, quam Auguſtinus interminabilem pronunciat. Præſtò erat reſponſum, præſumi illos debere majorum inſtituta corrupiſſe, quibus contingere hoc ipſum facilè poterat, quales juxta Adverſarios erant Orientales omnes ſabbatho prandentes; nihil autem ſimile de iis ſuſpicandum, quibus perpetuæ atque immotæ firmitatis privilegium competeret, quales eſſe Romanos iidem Adverſarii volunt. Ingerebat ſe hæc reſponſio cuivis non cæco. Non vidit tamen eam Auguſtinus, qui cæcus profectò non fuit. Litem eſſe interminabilem pronunciavit, qua ſtantibus Adverſariorum placitis terminatu facilior nulla unquam fuit. Non exiſtimavit igitur Romanam Eccleſiam infallibilitatis prærogativâ donatam à Deo fuiſſe.

Idem ille glorirantibus Pelagianis abſolutum à Zoſimo Celeſtium dupliciter reſpondet (h). Contendit primò deceptum à Celeſtio Zoſimum, tum addit: *Sed ſi quod abſit, ita tunc fuiſſet de Celeſtio & Pelagio in Romanâ Eccleſiâ judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipſis, & cum ipſis, Papa Innocentius damnaverat, approbanda & tenenda pronunciarentur, ex hoc potiùs eſſet prævaricationis nota Romanis Clericis inurenda.* Qui Romanum Pontificem cum ſuo Clero errare nunquam potuiſſe crederet, ſic profectò non loqueretur.

(h) *Aug. lib. 2. ad Bonif. cap. 3.*

V. Afri Epiſcopi ſcribentes ad Celeſtinum Pontificem in causâ Apiarii Siccenſis, & nolle ſe deinceps pati profitentes, ut à ſuo judicio ad Roma-

num provocetur, hoc præ cæteris ſe defendunt, quòd incredibile videatur plura & præſentiora Romano Præſuli, quàm toti Concilio auxilia dari. *Niſi fortè*, inquiunt, *quiſquam eſt qui credat uni cuilibet noſtrûm poſſe Deum inſpirare juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare.* Agebatur de diſciplinâ, fateor; ſed qui ſic univerſaliter pronunciant ſatis oſtendunt nullam à ſe exceptionem admitti.

VI. Non alia erat Gennadii Maſſilienſis ſententia, cum in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum de quadam epiſtolâ Julio I. Romano Pontifici aſfictâ verba faciens hæc habet (i). *Julius Urbis Epiſcopus ſcripſit ad Dionyſium quendam de Incarnatione Domini epiſtolam unam, quæ illo quidem tempore utilis viſa eſt adverſus eos qui ita duas per Incarnationem aſſerebant in Chriſto perſonas, ſicut & naturas, nunc autem pernicioſa probatur, fomentum enim eſt Eutychianæ & Tymotheanæ impietatis.* Hæc ille, in quibus hallucinatum eſſe Gennadium eam epiſtolam Julio tribuentem, quæ non illius, ſed hæreſiarchæ Apollinaris fuit, oſtendit ex Leontio & Evagrio Baronius. Sed nec oſtendit, nec oſtendere potuit, infallibilem illum Gennadio viſum fuiſſe, cui merè Eutychianam Epiſtolam adſcribebat.

(i) *Genn. de ſcript. Eccleſ. cap.* 2.

VII. Non putabant quoque Pontificem extra errandi periculum conſtitutum Trullani Patres, dum multa prohibuerunt, quæ & ab Eccleſiâ Romanâ obſervari, & ab ejus Pontifice præcipi atque defendi, probè noverant. Miſſis etenim reliquis alibi fortè expendendis canone LV. juſſerunt ut in ipsâ Romanâ Eccleſiâ, ſi quis inveniretur ſabbato jejunans, Clericus deponeretur, Laicus ſegregaretur. Omnes ergo Laici Romani ſegregandi, omnes Clerici, ne Papâ quidem excepto, deponendi. Nullus enim tunc erat, qui ſabbato non jejunaret.

VIII.

VIII. Nec aliter ſentiebant Orientales illi Monachi & Epiſcopi, de quibus ex Gulielmo Bibliothecario Chriſt. Lupus (k), qui cum increbuiſſet rumor velle Hadrianum omnia Nicolai I. deceſſoris ſui acta reſcindere, *ab ejus ut Apoſtatici, non ut Apoſtolici Epiſcopi, communione ſe retraxerunt.*

(k) *Lup. in Concil. tom. 2. p. 1254.*

IX. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus vehementer dubitabat utrum Romani rectè docerent, dum non poſſe ſine crimine commatrem à compatre duci contendebant, & eâ de re Nothelmum Archiepiſcopum Dorovernienſem, & Duddonem Abbatem conſuluit epiſtolis, quas exhibet Baronius ad ann. 734. *Præterea*, inquit, *de uno peccato commiſſo veſtrum conſilium audire deſidero, quod cuidam homini in matrimonio concedendo neſciens commiſi, quod hoc modo contigit. Homo quidam (ſicut multi ſolent alter alterius filium de ſacri baptiſmatis fonte elevantes) adoptavit ſibi in filium, cujus matrem poſtea viduatam marito duxit uxorem, quod Romani peccatum cenſent, ita ut in talibus divortia facere præcipiant, affirmant & regnantibus Chriſtianis Imperatoribus illius matrimonii ſcelus capitali ſententiâ mulctandum, vel peregrinatione perpetuâ delendum. Ut ſi hoc in Catholicorum Patrum decretis vel canonibus, vel etiam in ſacro eloquio pro tam magno peccato computatum eſſe inveneritis, indicare mihi curetis, ut & ego intelligendo cognoſcam, cujus authoritas ſit in illo judicio, quia nullatenus intelligere poſſum quare in uno loco ſpiritualis propinquitas in conjunctione carnali copulata grande peccatum ſit, quando omnes in ſacro baptiſmate Chriſti & Eccleſiæ filii, & filiæ, fratres & ſorores eſſe comprobemur.* Hæc ille, quæ nunquam profectò ſcripſiſſet, ſi de infallibilitate, vel Romani Pontificis, vel Romanæ Eccleſiæ, certus fuiſſet.

X. Hadrianum Pontificem nequaquam errare neſcium putabat Carolus Calvus, dum hæc ad il-

lum ſcribebat: *Hoc hortamentum, quod in literis ex nomine veſtro ab Actardo Epiſcopo nobis delatis invenimus, ſcilicet ut omnia quæ à ſede Apoſtolicâ nobis veniunt humili ſemper debeamus intentione recipere, non ſolùm, ut præmiſimus, Evangelicæ veritati, ſed etiam decretis ſanctorum invenitur adverſum.* Et quibuſdam interjectis. *Quis igitur hanc univerſam legem infernus evomuit? Quis tartarus de ſuis abditis & tenebroſis cuniculis eructavit? Contra quam literis ſacris oſtenſa nobis eſt via quam ſequamur, appoſita forma cui imprimimur.* Item aliquanto pòſt. *Nolite igitur, ut præmiſimus, ex veſtro nomine, vel Apoſtolicæ ſedis authoritate, viſiones, vel excommunicationum intentationes contra ſacrarum Scripturarum tramitem, prædicationemque majorum, & ſacrarum legum, ſanctorumque Canonum conſtitutiones nobis de cætero ſcribi cujuſcunque inſtinctu permittere, quia ſcitis & ſcimus totum eſſe irritum, quicquid ab eorum fuerit conſtitutione diverſum.* Tandem ſic concludit. *Quod ex Apoſtolicæ ſedis nomine ſecundum ſanctarum Scripturarum tramitem, prædicationemque majorum, & orthodoxorum decreta ſcribuntur, ſequendum & tenendum non ignoramus, & quod ſecus à quoquam fuerit compilatum, ſive confictum, non ſolùm reſpuendum, ſed & redarguendum eſſe cognoſcimus.*

OB.

OBSERVATIO XXI.

In Veterum ſcriptis nihil occurrit, quod agnitam illis fuiſſe Romani Præſulis poteſtatem errare neſciam evincat.

QUæ hactenus obſervata ſunt manifeſtè oſtendunt ignotam prorſus Veteribus fuiſſe Pontificis poteſtatem errare neſciam. Id verò clariùs adhuc patebit attendenti quàm infirma ſint argumenta quibus contrarium evincere Adverſarii conantur. Ea nos, pleraque ſaltem, & quibus maximè fiditur, expenſum imus.

I.

Romani ante Siricium Epiſcopi.

PRimo hîc loco occurrunt vetuſti ante Siricium Pontifices, quorum nomine epiſtolas non paucas edidit nono ſeculo impoſtor quidam, quem Iſidorum Mercatorem multi putant. In iis certè plurima habentur extollendæ atque ampliandæ Pontificum poteſtati non parum apta, ſi ab iis, quorum nomine inſignita prodierunt, ſcripta verè fuiſſent. Quare qui primi illam defendere aggreſſi ſunt, quædam ex iis teſtimonia protulerunt, & aliter ſentientibus opponere non dubitarunt.

Poterant verò illa impunè tunc temporis laudari, cùm ſuppoſititia eſſe nondum conſtaret. Nunc

poſtquam eas omnes epiſtolas falſitatis convicit diligentiſſimus Blondellus, vix ampliùs à quoquam proferuntur. Acquieverunt ſanè omnes, non docti tantùm, ſed ſemidocti, nec quicquam eſt de quo major hodie conſenſus ſit, quàm de næniarum ejuſmodi νοθείᾳ. Agnoſcunt illam, & profitentur apertè Marca, Labbæus, Lupus, Natalis, Schelſtratius, Pagi, aliique uno verbo omnes. Quare non eſt quod illis expendendis immoremur.

Hoc unum addam, optandum fuiſſe ut eâ de re ſtatim initio conſtitiſſet. Vix enim quicquam eſt quod Romani Pontificis poteſtatem hiſce epiſtolis altiùs extulerit. Quare non eſt Blondello ſuccenſendum, ut faciunt poſt Marcam multi, quòd illarum fabricatorem paulò duriùs exceperit. Nimium illum non fuiſſe facilè agnoſcet quiſquis attendet vix quicquam eſſe unde major acciderit Eccleſiæ calamitas. Certè ipſe Marca paſſim fatetur hiſce epiſtolis imputandam diſciplinæ Eccleſiaſticæ mutationem, quæ novum jus veteri ſubſtituit, omniaque à Pontificis arbitrio ſuſpendit, quæ olim à Canonibus & Conciliis pendebant. Lupus pariter ſuſpicatur à quodam Romanæ Sedis ſtudioſo ea mente fabricatas, ut labantem illius auctoritatem firmaret. Sed iſta aliorſum ſpectant.

II.

Irenæus.

IRenæum nobis multi opponunt, & ex eo hæc potiſſimum proferunt (a). *Sed quoniam omnium Eccleſiarum numerare ſucceſſiones valde longum eſt, maxima & antiquiſſima, & omnibus cognita,*

(a) *Iren. lib.* 3. *cap.* 3.

nitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ Eccleſiæ eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus eos qui præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio.

Hæc Irenæus, in quibus tria ſunt, quæ cauſæ ſuæ favere Adverſarii contendunt. Primum quod ait vir ſanctiſſimus, neceſſe eſſe *ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem omnem Eccleſiam convenire.* Secundum quod aſſerit in eâ *ſemper conſervatam eſſe illam, quæ eſt ab Apoſtolis traditionem.* Tertium denique quod gloriatur confundere ſe omnes hæreticos indicando traditionem, quam Eccleſia Romana habet ab Apoſtolis, à quibus fundata fuit. Hæc igitur nunc expendenda nobis ſunt.

Sed priùs obſervandus Irenæi ſcopus, & proferenda diſputationis ſeries. Confutat ille impuram Gnoſticorum colluviem, qui quanquam inter ſe ſat diſſiderent, in hoc tamen conſpirabant, quòd neſcio quam Thogoniam, & Æonum, quos vocabant, genealogiam hactenus ignotam & inauditam docerent. Hanc quoties Orthodoxi ex Scripturis ſacris confutare aggrediebantur, reſpondebant Gnoſtici non ex Scripturâ, ſed ex traditione hauriendam veritatem. *Cum*, inquit Irenæus capite præcedenti, *ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non rectè habeant atque ſint ex auctoritate, & quia variè ſint dictæ, & quia non poſſit ex illis inveniri veritas ab his qui neſciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, ſed per vivam vocem.*

Scri-

Scripturam ergo repudiantes, & ſolam traditionem admittentes hæretici iſti, traditione confutandi erant. Ex illâ igitur argumenta ſua deſumit, non ſponte, ſed Adverſariorum importunitate coactus Irenæus, & hoc primum fundamentum jacit, negari nequaquam poſſe, quin ſi intima & recondita mentis arcana quibuſdam tantùm revelare Apoſtoli voluiſſent, hoc præcipuè depoſitum illis crediidiſſent, quibus quas fundabant Eccleſias regendas & [administrandas committebant. *Etenim*, inquit, *ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipſas Eccleſias committebant. Valde enim perfectos & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum locum magiſterii tradentes, quibus emendatè agentibus fieret magna utilitas, lapſis autem ſumma calamitas.*

Inde colligit non aliunde certiùs ſciri poſſe, quid Apoſtoli vivâ voce docuerint, quàm vel ex iis, quos Eccleſiarum regimini præfecerunt, vel quoniam hi omnes interierant, proximis iſtorum ſucceſſoribus. Cumque iſtos omnes latuiſſe profana hæc Gnoſticorum myſteria compertum eſſet, vel eo ipſo ſatis conſtare aſſerit, ab Apoſtolis illa nequaquam manere, atque adeo vana prorſus & commentitia eſſe. *Traditionem*, inquit, *Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in Eccleſiâ adeſt perſpicere omnibus qui vera velint audire, & habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur.*

Ut autem evincat id quod aſſumſit, nihil ſcilicet eorum quæ Gnoſtici docebant creditum ab illis eſſe, quibus Apoſtoli Eccleſiarum quas plantaverant re-

regimen tradidere, non aggreditur eas omnes Eccleſias luſtrare, eo quòd longum id eſſet, nec videretur id admodum neceſſarium, ſed ſufficere aſſerit ſi obſervetur quid Eccleſia Romana credat, quam tribus de cauſis præ cæteris deligit, quòd ſit maxima, quòd antiquiſſima, utpote à duobus Apoſtolis Petro & Paulo fundata, quòd denique omnibus nota. Poſtremum autem iſtud inde probat, quòd Romam ſeriùs ocyùs proficiſci, ac proinde Romanæ Eccleſiæ cœtibus intereſſe neceſſe ſit omnes cujuſcunque regionis Chriſtianos, *propter potentiorem principalitatem*, hoc eſt occaſione imperii; cujus cum fixa ibi ſedes jampridem eſſet, vix ullus erat quem non aliquando emergentia negotia eò pertraherent.

Hunc eſſe verum & genuinum Irenæi ſenſum ut faciliùs perſpicias, hoc cumprimis obſerves velim, Eccleſiam, de qua locutus eſt, interpretari Irenæum per *eos qui ſunt undique fideles*, ut oſtendat non loqui ſe de Eccleſiâ collectim ſumptâ, aut de Eccleſiæ Præfectis ſolis, ſed de quibuſcunque fidelibus, quorum vix ullus eſſet, quem ſuborientia negotia Romam proficiſci non cogerent. Malè ergo hanc *potentiorem principalitatem* ipſius Pontificis eſſe Adverſarii volunt; quam Imperatoris fuiſſe manifeſtum eſt.

Sic evaneſcit prima illa objectio, quam ex his verbis Adverſarii deducunt. Sed nec ſecunda admodum urget. Ait, fateor, Irenæus in Eccleſiâ Romanâ conſervatam ſemper fuiſſe illam quæ eſt ab Apoſtolis traditionem. Sed primùm non ait conſervandam illam ſemper in poſterum eſſe, & nullâ unquam ex parte obſcurandam. Prius illud facile fuit. Quo enim pacto intra tam breve ſpatium, quale illud eſt, quod ab exceſſu Petri & Pauli ad id tempus quo Irenæus ſcribebat, fluxit, & juxta Baronii

ronii Chronologiam ſeculum non excedit, corrumpi Romanæ Eccleſiæ fides ita potuiſſet, ut ſi ab Apoſtolis omnia Gnoſticorum ſomnia vel portenta potiùs, edocta fuiſſet, ea omnia tunc temporis neſciret, & è diametro repugnantia crederet? Sanè extremæ iſtæ mutationes non aliter poſſunt, ſi poſſunt, quàm longiſſimo temporis tractu invaleſcere, Sed quanquam abſurdum eſſet exiſtimare Gnoſticiſmum ibi tam citò extinctum fuiſſe, non ſequitur fieri nequaquam poſſe ut poſt ſexdecim ſeculorum decurſum illius Eccleſiæ fides fuerit ullâ ex parte interpolata.

Sed nihil meâ quidem ſententiâ diligentiori obſervatione dignum hîc eſt, quàm quòd hanc Romanæ Eccleſiæ in retinendâ traditione conſtantiam, non Chriſti promiſſis, non divinæ manutenentiæ, non perpetuæ Spiritûs S. directioni, & aſſiſtentiæ, ut ab Adverſariis fieri ſolet, hîc Irenæus tribuat, ſed quotidiano advenarum hinc inde affluentium concurſui. *In qua*, inquit, *ſemper ab his qui ſunt undique conſervata eſt quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Rectè profectò. Vix enim fieri poterat ut ibi fides mutaretur, quò ſingulis diebus innumeri Chriſtiani confluebant, qui ſi qua innovatio facta eſſet, ſaltem inſignis, & quales eſſe debuerunt, quæ Gnoſtociſmum ſemel admiſſum expuliſſent, non poterant ad ipſum non obſervare, & novatorum conatibus non obſiſtere. Nihil igitur iſthic in gratiam infallibilitatis illius, quam Adverſarii Pontifici aſſignant, quæque non ab externis iſtis circumſtantiis, quæ variari facilè poſſunt, ſed ab interno Spiritûs S. afflatu, ſi qua illis fides, unicè pendet.

Sanè ſupernaturalem iſtam infallibilitatem etiamſi agnoviſſet Irenæus, nunquam tamen Gnoſticis, qui illam nulli admittebant, objeciſſet. Id ergo

dun-

duntaxat opponit, quod negare nemo ſanus poterat, quodque, ut diximus, Adverſariorum cauſam non juvat. Finge etenim ſtatim ab exceſſu Petri & Pauli relictâ Româ Epheſum vel Antiochiam migraſſe Romanos Imperatores, ut Byzantium migravit aliquanto pòſt Conſtantinus, id ipſum quod de Eccleſiâ Romanâ dicit nunc Irenæus, de Epheſinâ vel Antiochenâ dicere cum non minori veritatis ſpecie tunc potuiſſet. Non minùs difficile tunc fuiſſet alterutram illam Eccleſiam à duobus Apoſtolis fundatam, unam à Petro & Paulo, alteram à Paulo & Joanne, & propter ibi fixam Imperii ſedem quotidiano advenarum concurſu univerſæ Eccleſiæ aſpectui expoſitam & patentem, priſcam fidem mutaſſe, & abjecto Gnoſticiſmo illam quæ Orthodoxorum tunc erat, doctrinam imbibiſſe. Valuiſſet igitur in hac ſuppoſitione Irenæi argumentum, nec ullam tamen infallibilitatem Antiocheno aut Epheſino Præſuli ideo tribuiſſet.

Sed nihil profectò neceſſe eſt ut hîc quicquam fingamus. Non enim ſolam Romanam Eccleſiam Gnoſticis Irenæus opponit. Smyrnenſem quoque & Epheſinam hoc eodem capite non ſecus ac illam laudat. Sic enim poſtquam de Romanâ verba fecit. *Polycarpus autem non ſolùm ab Apoſtolis edoctus, & converſatus cum multis ex eis qui Dominum noſtrum viderunt, ſed etiam ab Apoſtolis in Aſiâ in eâ quæ eſt Smyrnis Eccleſiâ conſtitutus Epiſcopus, quem & nos vidimus in primâ noſtrâ ætate, multum enim perſeveraverat, & valde ſenex glorioſiſſimè & nobiliſſimè martyrium faciens exivit de hac vitâ. Hic docuit ſemper quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ Eccleſia tradidit, & ſola ſunt vera. Et teſtimonium his perhibent quæ ſunt in Aſiâ Eccleſiæ omnes, & qui uſque adhuc ſucceſſerunt Polycarpo, qui vir multo majoris auctoritatis eſt teſtis, quam Valentinus & Marcion,*

&

& reliqui qui ſunt perverſa ſententia, &c. Et quibuſdam adhuc de Polycarpo interjectis hæc ſub finem capitis addit. *Sed & quæ eſt Epheſi Eccleſia à Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos uſque ad Trajani tempora, teſtis eſt verus Apoſtolorum traditionis.* Vides ut Epheſinam & Smyrnenſem Eccleſiam, non minùs quàm Romanam, Adverſariis ſuis opponat. Vides ut in utraque converſatam fuiſſe priſcam traditionem aſſerat, & adulterari non potuiſſe iiſdem argumentis evincat. Non eſt igitur quod attributam ab illo fuiſſe plenam & abſolutam Romanæ Eccleſiæ infallibilitatem putes, niſi eodem privilegio donatas quoque Smyrnenſem & Epheſinam velis.

Hoc quoque inde colligas velim, quòd cum Gnoſticos Smyrnenſis & Epheſinæ Eccleſiæ teſtimonio confundere ſe poſſe vel eo ipſo Irenæus teſtetur, quòd illud iis opponat, nihil profectò inde colligere Adverſarii poſſint, quòd Romanæ Eccleſiæ teſtimonio eoſdem illos hæreticos confundi Irenæus dicat.

Denique longè aliud eſt Eccleſiam aliquam non potuiſſe doctrinam ſemel ab Apoſtolis traditam in univerſum abjicere, aliud ejus Epiſcopum non poſſe in cujuſcunque quæſtionis definitione hallucinari. Prius illud multa facere poſſunt, ex quibus poſterius non ſequatur. Quare quicquid circa illud Irenæus dicat, non poteſt iſtud inde firmà ratione colligi. Nihil igitur habet tantopere decantatus hic Irenæi locus, quod vel Adverſariorum ſententiam adſtruat, vel noſtræ ullâ ex parte adverſetur.

III.

Cyprianus.

OPponitur nobis in hac cauſâ Cyprianus, & ex ejus operibus quædam laudantur, quæ ſpernere fortè poſſemus, quandoquidem, ut alibi vidimus, etiam acerrimi Pontificiæ infalibilitatis defenſores diſertè profitentur agnitam illam ſancto Martyri non fuiſſe, idque ipſum invictè nos ſuo loco demonſtravimus. Sed ne tanti viri auctoritatem defugiſſe videamur, age in hanc quoque arenam deſcendamus.

Hæc primùm ex epiſtolâ ad Cornelium (a) proferuntur. *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundum magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſum Sacerdotum collegium quidquam moveret, nemo poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, judicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret, nemo diſcidio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens ſeorſim foris hæreſim novam conderet, niſi ſi ita eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis, ac perditæ mentis, ut putet ſine Dei judicio fieri Sacerdotem, cum Dominus in Evangelio ſuo dicat,* Nonne duo paſſeres aſſe væneunt, & neuter eorum cadit in terram ſine Patris voluntate.

(a) *Cyp. epiſt.* 55. *ed. Priori.*

Sed fruſtra hæc opponuntur. Unus enim ille Sacerdos, de quo ſanctiſſimus Martyr, Roma-

nus Pontifex profectò non eſt, ſed cujuſcunque Eccleſiæ Epiſcopus, ipſeque adeo Cyprianus. De ſe enim loquitur oppoſitè ad Feliciſſimum, qui lugendum in Eccleſiâ Carthaginenſi ſchiſma fecerat. Patet hoc luce meridianâ clariùs totius epiſtolæ contextum legenti, nominatim ſequentia perpendenti, ubi laudes ipſe ſuas, ſed modeſtè, ſed invitus proſequitur. Patet iis verbis quæ deſcripſimus, ubi eos carpit, qui poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, judicium ſibi in Epiſcopos arrogant, quibus electionem ſuam deſcribi quis non videt? Nominatim autem id clamant ultima, quæ non fieri ſine judicio Dei Sacerdotem docent. Vidit hoc Rigaltius, & agnovit notis in hunc locum. *Hoc*, inquit, *tantùm ſibi vult, uniuſcujuſque Eccleſiæ, quæ univerſalis illius portio eſt, unum eſſe debere Epiſcopum Sacerdotem, qui ſit Eccleſiæ ſuæ Sacerdos ad tempus, & ad tempus Judex vice Chriſti.* Nihil ergo iſthic de Pontifice. Nihil de indeficienti ejus judicio.

Eadem eſt alterius loci nobis objecti ratio. Deſumitur ille ex epiſtolâ ad Pupianum. *Inde*, inquit, *ſchiſmata, & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperbâ quorundam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus judicatur.* Unus ille Epiſcopus, quivis eſt, modò legitimus, & ritè electus Epiſcopus, ut vel cæci viderent, ſi totam epiſtolam legere poſſent. Obſerventur duntaxat hæc immediatè ſequentia, in quibus de ſe ipſo loqui Cyprianum manifeſtum eſt. *Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem ſuam præpoſitos & Sacerdotes vocare, ac niſi apud te purgati fuerimus, & ſententiâ tuâ abſoluti, ecce jam ſex*

an-

annos nec fraternitas habuerit Epiſcopum , nec plebs præpoſitum, nec grex Paſtorem , nec Chriſtus Antiſtitem , nec Deus Sacerdotem. Qui illi ſex anni, niſi ii qui ab electione Cypriani effluxerant? *Quum igitur*, inquit Pamelius in hunc locum, *hanc epiſtolam ſcripſit, ſex annis Epiſcopatum egerat.*

Tertius Cypriani locus quem Adverſarii proferunt, habetur initio ferè libri de unitate Eccleſiæ. Et habet ille quidem nonnulla Adverſariorum cauſæ, præſertim circa primatum Pontificis non obſcurè faventia, prout in quibuſdam editionibus legitur. Sed nihil profectò habet quod cum aliquo colore opponi nobis poſſit, prout illum, & vetuſtiores editiones, Spirenſis, vetus innominata, Remboldus, Gryphius, Gravius, Morellius, & codices manuſcripti ferè omnes exhibent, quemadmodum & Rigaltius agnoſcit, & fusè oſtendit Rever. Oxonienſis. Sic ille ante Manutium habebat. *Loquitur Dominus ad Petrum :* Ego tibi dico, *inquit*, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris ſuper terram erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolveris ſuper terram erunt ſoluta & in cœlis. *Super unum ædificavit Eccleſiam, & quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat , & dicat*, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum S. Si cujus remiſeritis peccata, remittuntur illi, ſi cujus tenueritis, tenebuntur. *Tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur. Quam unam Eccleſiam etiam in Cantico Canti-*

corum Spiritus S. ex perſonâ Domini deſignat, & dicit: Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. *Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit in Eccleſiâ ſe eſſe contendit? Quando & B. Apoſtolus Paulus hoc doceat, & Sacramentum unitatis oſtendat, dicens,* Unum corpus, &c.

Hæc duntaxat Cyprianus. Quæ verò in Manutiana editione adduntur, *Super unum illum ædificat Eccleſiam ſuam. Unam cathedram conſtituit. Primatus Petro datur. Qui cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſiâ ſe eſſe confidit?* Illa, inquam, inſititia ſunt, & talia eſſe vel inde colligit Rigaltius, quòd propoſito neutiquam conveniant. *Etenim*, inquit, *neque hìc, neque in ſequentibus de primatu, aut principatu Petri agitur, ſed de unitate Eccleſiæ. Immò deſtruit unitatem primatus, nam qui unus eſt, is non primus, neque poſtremus, ſed ſolus eſt.*

I V.

Ambroſius.

AMbroſium multi nobis opponunt, hæc præſertim ex oratione de obitu Satyri fratris. *Advocavit ad ſe Epiſcopum, nec ullam veram putavit, niſi veræ fidei gratiam, percontatuſque ex eo eſt, utrumnam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Romanâ Eccleſiâ conveniret.* Ibi innuere videtur Ambroſius non poſſe eſſe conſenſum cum Epiſcopis Catholicis, niſi ſit cum Eccleſiâ Romanâ. Sed facile negotium. Satyrus vi tempeſtatis in Sardiniam de-

delatus baptizari cupit. Sed quoniam non ignorat inſulam illam Luciferiano ſchiſmate infectam eſſe, priùs quàm ad baptiſmum accedat, ſcire vult, num is à quo tingendus eſt Epiſcopus ſchiſmaticus ſit, an Catholicus? Ut hoc ſciat, non quærit ſimpliciter ab illo an communionem cum Catholicis colat. Si hoc unum Satyrus quæſiviſſet, reſponſum proculdubio habuiſſet ita eſſe. Luciferiani etenim, ut reliqui hæretici ac ſchiſmatici, Catholicos ſuos dicebant, reliquos omnes hæreticorum & ſchiſmaticorum nomine infamabant. Ne ergo hoc pacto deluderetur ſapienter quærit Satyrus an cum Romanâ Eccleſiâ, quam ſciebat à Luciferi ſchiſmate alieniſſimam eſſe, erat enim ipſe Romanus, Epiſcopus ille communicaret. Hinc verò nihil aliud certè ſequitur, quàm exiſtimaſſe Satyrum Romanam illius temporis Eccleſiam ſchiſmatis expertem fuiſſe, quod ſanè nemo negabit.

Citatur quoque ſermo de fide Petri. Poſſemus nos teſtimonium iſtud rejicere, eo quòd ſermones iſtos, nominatim eum ipſum, qui nobis hac in parte objicitur, non eſſe certum Ambroſii fœtum, agnoſcant Eraſmus ac Bellarminus. Sed nihil ſanè neceſſe eſt eò confugere. In eo etenim loco de Pontifice nihil prorſus habetur. De Petro tantùm iſta dicuntur. *Fidelior factus eſt poſtquam fidem ſe perdidiſſe deflevit, atque adeo majorem gratiam reperit, quam amiſit. Tanquam enim bonus Paſtor tuendum gregem accepit, ut qui ſibi antè infirmus fuerat fieret omnibus firmamentum; & qui ipſe interrogationis tentatione nutaverat, cæteros fidei ſtabilitate fundaret. Denique pro ſoliditate devotionis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus*, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. *Petra enim dicitur eo quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile to-*

totius operis Chriſtiani compagem molemque contineat. In iis verò nihil eſt quod Pontificiæ infallibilitati vel in ſpeciem faveat.

V.

Hieronymus.

SOlet in hac controverſiâ Hieronymus præ cæteris opponi. Sic Bellarminus. *Hieronymus in epiſtolâ ad Damaſum de nomine Hypoſtaſis, poſtquam dixerat,* Super iſtam petram ædificatam Eccleſiam ſcio, *ſubjungit,* Obſecro mihi literis tuis, ſive tacendarum, ſive dicendarum trium hypoſtaſeon detur auctoritas. Non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis. *Ubi aſſerit, ſe tutò ſequuturum ſententiam Pontificis, quia novit ſuper illum Eccleſiam eſſe fundatam, nec poſſe fieri ut Eccleſia fundamentum cadat.*

Sed ſuppetunt non pauca quæ reponam. Primùm nemo neſcit quantopere ingenio ſuo indulgere Hieronymus ſoleat. Fatetur ipſe alicubi (a) rhetoricatum ſe quandoque fuiſſe, & in modum declamatorium paulullum luſiſſe. Obſervarunt præterea nonnulli nimium illum perſæpè eſſe, ut cum virginitatis impugnatores inſectans matrimonio fuit iniquior. Admonent ſolere illum propoſito ſervire. Ac proinde etiamſi id ipſum hac in parte contigiſſe illi diceretur, & obtinendi id quod petit cupiditate abreptus plura quàm par eſſet Damaſo detuliſſe putaretur, nihil profectò eſſet quo offendi quiſquam deberet.

(a) *adv. Helvid*

Sanè non ex iis quæ Patribus aliquando excidunt de

de eorum mente judicari vult Lirinenſis, ſed ex iis quæ frequenter, conſtanter, perſeveranter docuiſſe comperiuntur. Atqui non fuiſſe in tuendâ Pontificis infallibilitate conſtantem Hieronymum non ſolùm inde patet, quod in tantâ librorum, quos ſcripſit, multitudine nihil ſimile dixerit, ſed ex eo quoque quòd contraria non ſemel docuerit, quemadmodum nos in ſuperioribus planum fecimus.

Sed nihil neceſſe eſt eò confugere. Suppetunt alia quæ manifeſtè oſtendunt tantam non eſſe, quanta vulgò exiſtimatur, iſtius teſtimonii vim & efficaciam. Obſervanda cumprimis quæſtionis, circa quam Damaſum Hieronymus conſulit, naturâ. Agebatur, non de ipsâ fide, non de ipſis, quæ fides amplectitur, dogmatibus, eorumque vel veritate, vel falſitate. Agebatur unicè de vocibus, num ſcilicet tres Sacroſanctæ Trinitatis perſonæ dicendæ eſſent totidem *hypoſtaſes*, & utrum vox iſta *perſonam* an potiùs *eſſentiam* ipſam, vel *ſubſtantiam* deſignaret. Exiſtimabat Hieronymus veram iſtius vocis ſignificationem eſſe ut cum eſſentiâ paria faceret. Orientales contrà Monachi perſonam hoc vocabulo deſignari putabant, quare Hieronymum urgebant ut tres hypoſtaſes confiteretur, & ni pareret, communionem illi negabant. Quid hîc Hieronymus? Ad Damaſum confugit, ut ſciat, non quo pacto ſentiendum ſibi ſit, ſed quo ſit pacto loquendum. Ad Damaſum, inquam, Occidentis caput, quem ſi ſecum ſentire ſemel patuiſſet, ſpes erat ut ab eâ quam patiebatur perſecutione ſe liberaret.

Præterea licet Hieronymus ſat demiſsè loquatur, minus tamen Damaſo defert, quam deferre primâ fronte videtur, & ne ipſam quidem loquendi legem ab eo vult accipere. Præſcribit illi quid reſpondere debeat, & ni ſecum ſentiat, non obſcu-

rè ſignificat tranſiturum illum in Arii caſtra, & ejus hæreſi acceſſurum. Notentur iſta. *Condatur nova poſt Nicænam fides, & ſimilibus verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi.* Iſta rurſus. *Si ita eſt, cur ab Ario parietibus ſeparamur, perfidiâ copulati? Jungatur cum beatitudine tuâ Urſicinus, cum Ambroſio ſocietur Auxentius. Abſit hoc à Romanâ fide, ſacrilegium tantum populorum corda non hauriant. Sufficiat nobis dicere unam ſubſtantiam, tres perſonas ſubſiſtentes, perfectas, æquales, coæternas.* Ac proinde quod ait, *Diſcernite, ſi placet, obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis*, vel urbanitatis eſt, vel ironiæ nonnihil admixtum habet.

Ad hæc nihil ampliùs Damaſo Romano, quàm Petro Alexandrino tribuit. Sic enim de eâdem iſtâ perſecutione ad Marcum Celedenſem verba faciens, *Si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc eſt cum Damaſo, Petroque condemnent.* Et in hac ipsâ epiſtolâ: *Ideo hîc Collegas tuos Ægyptios Confeſſores ſequor.* Rurſus in eadem ad Marcum ait ſe fidem ſuam ſcriptis conſignatam Cyrillo tradidiſſe, addens alienum à Chriſto eſſe qui ſic non credit. Ergone Petrum Alexandrinum, ergone Cyrillum, errare neſcios putabat?

Sed nec illud prætereundum mihi videtur, quòd in hac ipsâ epiſtolâ Damaſo denunciet nullum ſe primum, niſi Chriſtum ſequi, idque ſolum quærere, ut cum Damaſo communione ſocietur. Quid ſibi hoc vult, niſi optare illum ut ſecum Damaſus ſentiat, cæterùm neminem in terris eſſe, quem ut ſupremum fidei ſuæ magiſtrum colat, & has ſoli ſe Chriſto partes relinquere profiteatur?

VI.

V I.

Innocentius I.

HÆc ex Innocentii I. reſponſoriâ ad Africanos epiſtolâ profert Eugenius Lombardus. *Patres olim non humanâ ſed divinâ decrevere ſententiâ, ut quidquid in disjunctis remotisque provinciis ageretur, non priùs ducerent definiendum, quam ad illius ſedis notitiam perveniret, ubi totâ ejus auctoritate, juxta quæ fuerit pronunciatio, confirmaretur.*

Sed miror virum doctum non advertiſſe iſta cauſæ ſuæ obeſſe magis, quàm favere. Innocentius etenim hanc quam ſedi ſuæ vindicat, prærogativam, non ab inſtitutione Chriſti derivat, ut facere debuit, ſi de infallibilitate loquebatur, ſed à Patrum decretis. *Patres olim*, inquit, *non humanâ, ſed divinâ decrevere ſententiâ.* Agit ergo de re quam inſtituere Patres potuerunt, qualia quidem ſunt quæ ad externam Eccleſiæ diſciplinam ſpectant, ſed qualis eſſe non poteſt de rebus fidei abſque ullo erroris periculo decernendi poteſtas ſumma, quam vel ipſe Chriſtus dedit, vel nemo habet.

Nec eſt quod dicas Innocentium divinam, non humanam, vocare hanc, de qua loquitur, Patrum ſententiam. Eſt hæc conſueta Patrum locutio. Solent illi quosvis Eccleſiaſticos Canones Spiritui Sancto tribuere. Sic Leo I. epiſt. 53. ad Anatolium. *Et illa Nicanorum canonum per Spiritum verè Sanctum ordinata conditio in aliqua unquam ſit parte ſolubilis.* Et in epiſt. 84. ad Anaſtaſium memorat, *ſan-*

ſanctorum Patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos. Ita illi piè præſumebant. Inde verò non ſequitur de aliis quàm Patrum decretis Innocentium intelligendum.

VII.

Auguſtinus.

STare pro nobis hac in parte Auguſtinum multa jam in præcedentibus prolata clarè oſtendunt. Ex illo nihilominus nonnulla nobis opponuntur. Laudat primùm Bellarminus hæc ex Pſalmo contra partem Donati. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsâ Petri ſede. Et in ordine illo Patrum quis qui ſucceſſit videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperba inferorum portæ.*

Reſpondent quidam ex noſtris petram illam, de qua Auguſtinus, non eſſe ſedem Petri, de qua in verbis immediatè præcedentibus loquebatur, ſed vitem, de qua paulò antè. Sic enim habet locus integer. *Venite, fratres, ſi vultis, ut inſeramini in vite. Dolor eſt cum vos videmus præciſos ita jacere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsâ Petri ſede. Et in ordine illo Patrum quis qui ſucceſſit videte. Ipſa eſt petra quam non vincunt ſuperba inferorum portæ.*

Sed quamvis ejuſmodi trajectiones in Patrum ſcriptis frequentes ſint, malo ego aliter reſpondere. Hoc ergo obſervari cumprimis velim, non jubere Auguſtinum ut numerentur Sacerdotes in ſede Petri, ſed *à ſede Petri.* Qui ſic loquitur, is profectò vult ut à Petri ſede numerandi initium du-

ducatur, & ad alia, quæcunque demum ea ſint, progreſſus fiat. Ac proinde ſic ſupplenda ſunt Auguſtini verba. *Numerate Sacerdotes incipiendo ab ipsâ Petri ſede.* Manifeſtum hoc, & negari certè non poteſt. Quid ergo hæc Petri Sedes? Non certè Petrus, qui in ſede eſſe cenſetur, ac proinde aliud quid à ſuâ ſede eſſe ſupponitur. Erit ergo hæc Petri ſedes Romana Eccleſia. Nec hoc Adverſarii negabunt. Jam ſi à Romanâ Eccleſiâ numerandi initium faciendum eſt, ad alias procul-dubio progrediendum. Ordo igitur ille Patrum ſibi invicem ſuccedentium, de quo verſu ſequente, non eſt ſolorum Pontificum, ſed omnium omnino totius orbis Epiſcoporum ſucceſſio, ac proinde petra, de qua Auguſtinus, non erit ſola Romana Eccleſia, ſed Romana cum reliquis conjunctim ſumpta, ſive univerſalis Eccleſia, cui hoc nomen ſæpè Auguſtinus tribuit.

Ne de his, quæ diximus, dubites, obſerva dupliciter ab Auguſtino exponi illa Chriſti verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Intelligit ille per petram, modò Petrum ipſum, modò Chriſtum, quem Petrus confeſſus eſt. Eſt quidem poſterior iſta ſolemnis apud Auguſtinum explicatio. Sed nec prior illa ab eo rejicitur. Teſtem ipſum dabo (a). *In hoc libro*, (contra epiſtolam Donati) *dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quòd in illo tanquam in petrâ fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſii, ubi de gallo gallinaceo ait,* Hoc ipſa petra Eccleſia canente culpam diluit. *Sed ſcio me poſtea ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe quod à Domino dictum eſt,* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, *ut ſuper hunc intelligatur, quem confeſſus eſt Petrus dicens*, Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi, *ac ſi Petrus ab hac petrâ appellatus per-*

(a) *Retract. lib. 1. cap. 21.*

perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur, & accepit claves regni cœlorum. Non enim dictum eſt illi, Tu es petra, ſed tu es Petrus, *Petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior eligat Lector.* Vides ut ſi non ſemper, ſi non ſæpiſſimè, at certè aliquando per petram Petrum intellexerit Auguſtinus.

Sed hoc quoque certiſſimum quoties Petrum intelligit, toties illum non in ſe, & abſolutè ſpectare, ſed ut typum & figuram Eccleſiæ univerſalis. Patet hoc ex innumeris locis, ſed ex hoc præſertim (d). *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam?* Cum ergo Auguſtino petra ſemper ſit, vel Chriſtus ipſe, vel Eccleſia univerſalis, nunquam Romana ſola, quis non inde colligat petram, de qua in Pſalmo contra Donatum, cum non ſit Chriſtùs, de quo nulla ibi mentio, univerſam Eccleſiam eſſe, non Romanam ſolam? Quomodo autem Auguſtinus intelligat univerſam Eccleſiam non vinci inferorum portis alibi exponetur. Nunc de ſolo Pontifice agimus.

(d) *Aug. epiſt.* 165.

In gratiam iſtius aliud permulti laudant Auguſtini teſtimonium, id ſcilicet quod ex ſermone II. de verbis Apoſtoli deſumitur, & ſic habet. *Redarguite contradicentes* (Pelagianos), *& reſiſtentes ad nos perducite. Jam enim de hac causâ duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt. Utinam aliquando finiatur error.* Urgent id quod reſcriptis Romanis finitam eſſe Pelagii cauſam Auguſtinus

dicit,

dicit, atque inde colligunt certum eſſe Pontificis judicium.

Ego verò etiamſi judicium Pontificis in fidei cauſis ultimum eſſet, & finem diſputationibus imponeret, negarem inde concludi certum id eſſe. Exiſtimamus nos ſanè Oecumenici Concilii judicium ultimum eſſe, eo quòd nullum aliud in terris detur tribunal ad quod provocari ab illo queat. Negamus tamen certum id eſſe. Potuit pariter Auguſtinus exiſtimare nihil agendum ſupereſſe poſt Romani Pontificis ſententiam, etiamſi infallibilitatem illam nequaquam exiſtimaret.

Sed revera non putavit Auguſtinus Pontificis judicio finiri quamlibet cauſam, ut ex iis quæ alibi obſervata ſunt liquidò conſtat. Nihil ergo prohibet quominus illud, *Cauſa finita eſt*, ſic capiatur, non ut ſit præcedentium exegeſis, ſed ut aliud quid à jam dictis diverſum deſignet, id ſcilicet quod notat Proſper, de quo poſtmodum, poſt Zoſimi ſententiam toto orbe damnatam fuiſſe hæreſim Pelagianam, quoniam ſcilicet acceptis Zoſimi literis omnes omnium regionum Epiſcopi errorem illum in ſuis quique ſedibus anathemate percuſſerunt.

VIII.

VIII.

Proſper.

Ex Proſpero hæc laudant Adverſarii. *Concilio apud Carthaginem habito CCXIV. Epiſcoporum ad Papam Zoſimum ſynodalia decreta perlata, quibus probatis per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt* (a). In quibus innuere videtur Proſper Zoſimi judicium in cauſâ fuiſſe cur toto orbe damnaretur Pelagius. Sed obſervat primùm Blondellus verba illa, *per totum mundum*, poſſe non minùs commodè ad præcedentia retrahi, quàm ſequentibus annecti, & quod Proſper ait ex æquo fluere, ſive intelligamus acta ſynodalia per totum orbem probata fuiſſe, ſive putemus probatis illis à Zoſimo damnatum eſſe per totum terrarum orbem Pelagium. Jam ſi priorem illum ſenſum ſequamur, nihil hîc erit quod nobis vel in ſpeciem adverſetur.

(a) Proſp. Chron. ann. 419.

Verùm eſto. Demus Adverſariis illam eſſe Proſperi mentem quam volunt, & hoc illum ſignificare, poſtquam Zoſimus Africanorum Conciliorum ſtatuta approbavit damnatum ubique terrarum fuiſſe Pelagii errorem. Quid inde colligetur? Hoc ad ſummum, eos qui de damnando Pelagio non cogitabant, Zoſimi literis excitatos, vel ſi vis auctoritate commotos, ad pronunciandum in hæreſim iſtam anathema inſurrexiſſe. Id verò nequaquam infert exiſtimamatum cuiquam infallibile fuiſſe Zoſimi judicium

cium, nec video quo pacto unum ex alio colligatur. Quid enim? Nullane eſt eorum omnium qui errare poſſunt auctoritas? Paucorum ſanè illa eſſet, ſi nonniſi ad infallibiles pertineret.

Suſpicatur doctiſſ. Dallæus aliud quid à Proſpero his verbis ſubinnui obſervatione non indignum. Vidimus nos jam ſuprà ut Pelagio & Celeſtio Zoſimus non parum initio faverit, & fuiſſe illorum ſententiam ab Afris Epiſcopis immeritò damnatam exiſtimaverit. His nequaquam turbati Afri plenarium totius Africæ Concilium Carthagine habuerunt, ubi Pelagium de novo damnarunt, & à Zoſimo impetrarunt ut illum ipſe damnaret. Non dubitat ergo Dallæus quin antequam ſententiæ ab Afris latæ Zoſimus aſſentiretur plurimi nutarent, & quid facto opus eſſet ambigerent, ſed viſa Afrorum firmitate, & Zoſimi conſenſione, anathemata ſua in iſtum hæreſiarcham omnes incunctanter ſtrinxerint; atque id ipſum eſſe exiſtimat, quod & Auguſtinus loco jam ſuprà expenſo, & Proſper iſto ſignificant. Id verò ſi non omnino certum, ſaltem admodum probabile, eſſe nemo negabit.

IX.

IX.

Concilium Epheſinum I.

EPheſino Concilio valde gloriatur Eſtrix. *Auctoritate*, inquit, *Celeſtini factum eſt ut non ſolum Epheſi convenerint illi, ſed & Neſtorium, & Neſtorii errores condemnandos ſibi duxerint, ita ut in ipſâ ſententiâ auctoritatem Celeſtini appellarent.* Coacti per ſacros Canones, & epiſtolam ſanctiſſimi Patris noſtri Celeſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, lachrymis ſubinde perfuſi, ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſariò venimus. *Vide ut eodem numero & ſacros Canones, & Epiſtolam Celeſtini habent. His bellè congruit vox illa, qua Celeſtino*, Cuſtodi fidei, *Patres illi ſimul omnes acclamarunt. Iſtud itidem, quod pro totâ Synodo Celeſtini Legatis palam profeſſus eſt Firmus Cæſareæ Epiſcopus.* Apoſtolica & ſancta ſedes Celeſtini per literas.... etiam antè de præſenti negotio ſententiam regulamque præſcripſit, quam & nos ſecuti... formam illam executioni mandavimus, canonicum, Apoſtolicumque judicium in illum proferentes. *Iſtud denique Theodori Ancyrani*, Juſtam eſſe ſanctæ Synodi ſententiam demonſtravit univerſorum Deus per literas Celeſtini. *Hoc ille totius Synodi nomine approbans Philippi Legati orationem, qua & Synodi ſanctum caput Celeſtinum, & totius fidei caput B. Apoſtolorum Petrum nuncupat.*

Sed ego nihil iſthic video ex quo Celeſtini infallibilitas colligi queat. Non colligitur certè ex eo quòd coactos ſe Epiſcopi dicant Epiſtolâ Celeſtini.

Quidni

Quidni etenim vim iſtam Celeſtini argumentis & rationibus tribuemus? Non ex eo quòd eodem loco Patres habeant ſacros Canones, & Celeſtini epiſtolam, nam & miſcentur ſæpè quæ non ejuſdem ſunt generis, & ſacris Canonibus falſum ſubeſſe nullâ ratione poſſe Patres non dicunt. Non ex eo quòd Celeſtinus fidei cuſtos dicatur, nullus enim eſt fidelis Dei Miniſter, nullus orthodoxus Doctor, cui non elogium iſtud competat. Non ex eo quòd Firmus dicat regulam à Celeſtino præſcriptam; aliud enim eſt epiſtolam Celeſtini eſſe regulam, aliud eſſe regulam infallibilem. Prius illud Firmus dicit, poſterius non dicit. Non ex eo quòd Theodorus Ancyranus ait, demonſtraſſe Deum per epiſtolam Celeſtini juſtam eſſe Synodi ſententiam, nihil enim prohibet ne iſtud Celeſtini argumentis tribuatur. Non denique ex eo quòd Celeſtinus dicatur Synodi caput; Eſt enim quilibet Synodi præſes illius caput, nec ideo tamen infallibilis continuò putatur quiſquis Synodis præeſt.

X.

Cyrillus Alexandrinus.

EX Cyrillo multi multa proferunt, quæ cum in iſtius Scriptoris operibus non extent, Thomæ Aquinatis, qui primus illa laudavit, fide atque auctoritate nituntur. Sed ſuppoſititia hæc omnia eſſe fusè & accuratè pro more demonſtravit Joannes Launoius epiſtolarum parte I.

Ex veris tamen illius operibus hæc profert Eugenius Lombardus. *Quamvis hæc ita ſe habeant, non priùs tamen Neſtorii communionem confidenter deſerere auſi fuimus, quàm hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hîc ſentias declarare, quo liquidò nobis conſtet communicarene nos cum Neſtorio oporteat, an verò liberè eidem denunciare neminem cum eo communicare, qui ejuſmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat.* Cyr. epiſt. ad Celeſt.

Sed in iſtis nihil quod ad præſentem quæſtionem ſpectet. Non dubitat Cyrillus an ſit hæreticus Neſtorius. Certum hoc illi & exploratum. Dubitat tantùm an debeat ejus communioni abrenunciare, & Celeſtinum eâ de re conſulit. Quid iſtud habet cum infallibilitate commune? Nonne id ipſum quærere ab alio quocunque Cyrillus potuit?

X I.

Theodoretus.

MIrum eſt Theodoretum nobis opponi, qui Epheſino Concilio, quod Romana Eccleſia non approbabat duntaxat, ſed toti Eccleſiæ pro virili parte commendabat, tamdiu reſtitit, quemadmodum in ſuperioribus ſatis patuit. Hæc tamen ex ejus ad Leonem I. Epiſtolâ Eugenius Lombardus profert. *Eſt enim ipſa ſedes Romana ampliſſima, ſplendidiſſima, & orbi præſidet. Præterea ipſa principatum Imperatorium profudit, ac nomen ſuum,*

ſuum, id eſt Romanum, cum iis, qui in ditione ejus ſunt, communicavit. Fides verò præcipuè eam ornat. Teſtis eſt Paulus, qui clariſſimâ voce ait: Fides veſtra annunciatur in univerſo mundo, &c. Ego verò ſuffragium ſedis Apoſtolicæ expecto, & ſupplex oro, atque obſecro ſanctitatem veſtram, ut ea me tribunal juſtum veſtrum ac rectum appellantem defendat ac protegat, jubeatque ut ad vos accurram, & doctrinam meam veſtigiis Apoſtolicis inſiſtentem oſtendam. Veſtram ſententiam expecto. Quòd ſi ſententiæ eorum qui condemnarunt acquieſcere juſſeritis, acquieſcam, nulli deinceps futurus moleſtus. Quin potiùs expectabo incorruptum Dei & Salvatoris noſtri tribunal.

Sed aut ego vehementer fallor, aut hæc Theodoreti verba contrarium ejus quod Lombardus contendit manifeſtè demonſtrant. Dupliciter, ut omnes norunt, admitti poſſunt Eccleſiaſtica judicia, internâ perſuaſione, & externâ reverentiâ, ita ut adverſus illa, etiamſi iniquiſſima putentur, non reclametur. Poſteriore iſthac ratione acquieſcere ſe velle Epheſino judicio, ſi ita Leo ſuadeat, profitetur Theodoretus. *Nulli*, inquit, *deinceps moleſtus ero, quin potiùs expectabo incorruptum Dei & Salvatoris noſtri tribunal.* An hoc eſt de ejus infallibilitate eſſe perſuaſum?

Hæc quoque ex epiſtola ad Renatum Presbyterum idem Eugenius profert. *Quamobrem deprecor te ut ſanctiſſimo Archiepiſcopo* (Leoni) *ſuadeas, ut Apoſtolicâ auctoritate utatur, jubeatque ad veſtrum Concilium adire. Tenet enim ſancta iſta ſedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum, cum propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris expers manſit, nec ullus unquam qui contrarium ſentiret in eâ ſedit; quin potiùs Apoſtolicam gratiam puram cuſto-*

ſtodivit. Quare quæ ab iſto veſtro tribunali, proficiſcentur, qualiacunque erunt, judicii veſtri integritate confiſi amplectemur.

In hoc teſtimonio duo ſunt. Unum quod negat Theodoretus hæreſi infectam fuiſſe Romanam ſedem, alterum quòd amplexurum ſe pollicetur quicquid ſibi Leo præſcripſerit. Sed prius illud nobis non adverſatur, aliud enim eſt nondum hæreſi inquinatam fuiſſe Romanam ſedem, aliud nunquam inquinandam. Poſterius, de quo ſolo diſputamus, nec aſſerit Theodoretus, nec ex priori, quod ait, ſequitur. Alterum verò quod ſpectat, quo id ſenſu Theodoretus intelligat, ſuperius teſtimonium ſatis aperit.

XII.

Leo I.

OPponit nobis Leonem Bellarminus. *Leo*, inquit, *ſermone tertio de aſſumptione ſuâ ad Pontificatum. Specialis*, inquit, *cura Petri a Domino ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſic futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris conferatur.*

Sed hîc de Pontifice ne verbulum quidem occurrit. De ſolo Petro Leo loquitur, & quod obſer-

ſervatione digniſſimum, de Petro relatè ad reliquos Apoſtolos, quos Pontifici ſubjicere, ne Bellarminus quidem auderet. Manifeſtum hoc ſi totum Leonis teſtimonium proferatur. Id ſic habet. *Inſtante autem paſſione ſuâ Dominus, quæ Diſcipulorum turbatura erat conſtantiam, Simoni inquit*, Simon, ecce Satanas expoſtulavit vos ut cribraret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos, ut non intretis in tentationem. *Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebat. Quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis a Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris conferatur.*

Vides ut de Pontifice, & reliquis, ſive Epiſcopis, ſive fidelibus, nihil de Petro & Apoſtolis duntaxat Leo loquatur. Fruſtra ergo hæc nobis opponuntur, & quæſtionem nequaquam tangunt.

XIII.

Petrus Chryſologus.

Petrum Ravennatem, vulgò Chryſologum, idem nobis Bellarminus opponit in epiſtolâ ad Eutychetem dicentem, *Hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ à Beatiſſimo Papâ Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quia B. Petrus, qui in propriâ ſede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.*

Sed nihil iſthic valde efficax. At Chryſologus Petrum adhuc Romæ vivere, & præſidere, eo quòd doctrina, quam illi Eccleſiæ tradidit, pura adhuc & incorrupta tunc temporis ſervaretur, vel potiùs puram & incorruptam ſervari Chryſologus exiſtimaret. Sed non ait id ipſum in finem uſque duraturum, multo minùs fieri non poſſe quin ita ſemper haberet.

XIV.

Concilium Chalcedonenſe.

Chalcedonenſem Synodum Canus, Eſtrix, Eugenius Lombardus, aliique non pauci laudant. Citant primùm nonnulla, quæ in ejus Synodi actis

actis non extant, ſed proferunt illa Thomæ Aquinatis fide. Verùm ſubleſtam eſſe hac in parte Thomæ fidem, vel nullam ſaltem ejus auctoritatem, oſtendit Launoius epiſtolarum parte I. pag. 57.

Actione ſecundâ, inquit Canus, *cum eſſet lecta Epiſtola Leonis Patres clamaverunt, Anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus eſt.* Rectè. Eſt enim epiſtola illa præclara profectò, & cui vix ſimilem alium reperire eſt illius ſeculi fœtum. Sed aliud eſt epiſtolam eſſe orthodoxam, eſſe præclaram, eſſe quavis laude digniſſimam, aliud eſſe infallibilis veritatis. Concilium prius illud innuit, poſterius nec innuit, nec ſupponit.

Quod addit Eſtrix, huic epiſtolæ ut certiſſimæ fidei regulæ Patres ſubſcripſiſſe, partim verum eſt, partim falſum. Verum quidem eſt ſubſcripſiſſe illi epiſtolæ Concilii Patres, ſed habuiſſe illam pro certiſſimâ fidei regulâ falſum. Non enim niſi poſt accuratum & diligens examen, & poſtquam fuit à Theodoreto ſolidiſſimè defenſa & vindicata adverſus Palæſtinos, & Illyricianos Epiſcopos, qui tria in illâ capita notabant, partim Neſtorium, partim Eutychetem redolentia, admitti potuit, quemadmodum act. II. videre eſt.

Hoc quoque ex act. III. citat Canus. *Et cum Leo Dioſcorum condemnaſſet, Synodus ait, Sanctiſſimus Archiepiſcopus magnæ Romæ, unà cum ter beatiſſimo qui eſt petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille qui eſt recta fidei fundamentum, nudavit eum Epiſcopatûs dignitate.* Sed nec iſta ſatis accuratè referuntur, nec fuerunt à totâ Synodo, ſed à Legatis Leonis dicta. Sic enim illi. *Unde ſanctiſſimus ac beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ Ro-*

ma Leo per nos , & per præſentem ſanctam Synodum , unà cum ter beatiſſimo , & omni laude digno , B. Petro Apoſtolo , qui eſt petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ , & recta fidei fundamentum , nudavit Diſcorum , tam Epiſcopatûs dignitate , quàm etiam ab omni Sacerdotali alienavit miniſterio. Ubi vides omnes illos titulos , petræ, crepidinis Eccleſiæ, fundamenti fidei , non Leoni, ſed Petro tribui.

Redeo ad Ægidium Eſtrix , qui Synodum iſtam nondum dimittit. *Poſt hæc* , inquit, *admiſſi Epiſcopi Ægyptii ſuam exhibuerunt confeſſionem fidei , in qua quia nulla extabat Eutychetis condemnatio , unâ totius Concilii voce clamatum ſic eſt.* Epiſtolæ Leonis ſubſcribant. Conſentiant epiſtolæ Leonis. Qui non conſentit epiſtolæ Leonis , hæreticus eſt. *Potuit illa Synodus oſtendere exquiſitiùs Leonis Papæ epiſtolam Lydii inſtar lapidis ſibi eſſe , ad quem exploranda eſſet fides?*

Sed iſtis nihil inanius. Ut hoc pateat obſerva primùm examinatam jam fuiſſe Leonis epiſtolam , & approbatam , ac proinde ſi regula poſthac ea haberetur , id non tam Leonis auctoritati , quàm Concilii approbationi tribuendum. Obſerva ſecundò Ægyptios iſtos Epiſcopos , utpote Dioſcori Patriarchæ Alexandrini jam damnati ſuffraganeos , fuiſſe de Eutychianiſmo jam ab initio ſuſpectos , ſed ſuſpicionem iſtam vehementer auxiſſe porrecto libello quodam , de quo Lupus (a). *Ipſo* , inquit , *ante hanc actionem die tredecim Ægyptianæ Diœceſeos Epiſcopi Marciano Auguſto exhibuerunt ſua fidei libellum, haud dubiè ab ipſo degradato Pharaone* (Dioſcoro) *compoſitum , dolis plenum & machinationibus* , *ideo-*

(a) *Lup. tom. 1. pag. 937.*

ideoque ipſum Princeps ad Synodum remiſit. S. Marci Evangeliſtæ primi Epiſcopi Alexandrini, nec non & ſucceſſorum ejus Petri Martyris, Athanaſii, Theophili, Cyrilli, item Nicæni, & Epheſini Concilii fidem profitebatur libellus, anathematizans Arii, Eunomii, Manichæi, Neſtorii, & quorumvis aliorum hæreſes, etiam illam quæ Domini carnem de cœlo, & non per ſanctam Virginem veniſſe adfirmat. Et omnem hujus fidei poſſeſſionem admitti poſtulavit ad plenam Epiſcopalem communionem. Verùm, inquit Lupus, *dolus non erat ſatis aptè fucatus.* Quare nihil mirum, ſi ut hanc Ægyptiorum fraudem in apertum reliqui protraherent, petierunt ut Leonis epiſtolæ, qua illorum hæreſis jugulabatur, ſubſcriberent. Sic variis ſymbolis ſubſcribere coacti ſunt variis temporibus hæretici, quanquam illa ſymbola ab uno aut altero Epiſcopo conſcripta fuiſſent, quibus non errandi privilegium nemo adſcribebat.

Pergit Eſtrix. *Definitio fidei ſic erat concepta in Chalcedonenſi Concilio, ut parum liquidò videretur excludere Eutychetis pariter & Neſtorii errorem. Deerant illa quæ habebat Leonis Papæ epiſtola, Chriſtus ex duabus naturis inconfuſè, inconvertibiliter, indiviſè; non ſunt paſſi Leonis Legati: minati ſunt ſe Romam redire niſi infererentur illa. Variis varia altercatis, tandem una vox omnium audita eſt, ut Leo ſic credimus. Qui contradicunt Eutychiani ſunt. Leo rectè expoſuit. Definitioni verò ita inſerta eſt clauſula illa, ut & hoc exprimeretur, Leonis epiſtolam eſſe magni illius Petri confeſſioni congruentem, & communem quandam columnam adverſus perversè ſentientes.*

Sed non ſatis accuratè hæc narrat Eſtrix. Non ideo rejiciebatur formula, quòd deeſſent Leonis verba,

verba, ſed ideo quòd alia adeſſent Eutychianiſmum olentia. Dicebat definitio Chriſtum eſſe *ex duabus naturis*, qui erat ipſiſſimus Dioſcori ſenſus. Reliqui volebant ut diceretur, non *ex duabus naturis*, ut volebat Dioſcorus, & cum Dioſcoro non ſatis circumſpectus Eſtrix, ſed *in duabus naturis*, quod Dioſcorus ſummopere averſabatur. Sic enim ille. *Quod ex duabus naturis eſt ſuſcipio.* Orta hac de re contentio ingens. Erant qui definitionem, prout concepta erat, ſtare volebant, & adverſantes Neſtorianiſmi inſimulabant, reliqui illam horrebant ut Eutycheti & Dioſcoro faventem. Incaluere animi, & metuendum ſchiſma videbatur, cum Marcianus Imp. præcepit ut ex ſingulis magnis Diœceſibus inſignes quidam Epiſcopi deligerentur, qui formulam quandam duabus illis hæreſibus ex æquo adverſam conſignarent. Factum hoc, & conſentientibus delegatis iſtis ut diceretur Chriſtus eſſe *in duabus naturis* agnoſcendus, id ipſum univerſæ poſtea Synodo placuit. Res ita & in actis, & apud Chriſt. Lupum narratur. In his verò pro Pontificiâ infallibilitate nihil apparet.

X V.

Agatho.

AGathonem Pontificem plurimi laudant hæc ad Synodum ſextam ſcribentem: *Hæc eſt vera fidei regula, quam & in proſperis & in adverſis vivaciter tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus unquam depra-*

pravata ſuccubuit, quia dictum eſt Petro, Simon, Simon, ecce Satanas &c. Ego autem rogavi pro te &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt agnitum.

Sed tria reponit J. Launoius. Primùm aliud eſſe Apoſtolicam Chriſti Eccleſiam, aliud Romanum Pontificem, & quod de illâ Agatho dicit, malè in iſtam transferri. II. Agathonem tractare quæſtionem facti, non juris, dicereque nunquam erraſſe Apoſtolicam Eccleſiam, non autem non poſſe errare. III. Agathonem indefinitè ſcribere prædeceſſores ſuos confirmaſſe fratres ſuos, non univerſaliter factum id à prædeceſſoribus ſuis omnibus, nullo excepto. Oſtendit deinde verè iſtud dici non potuiſſe prolatis exemplis Vigilii, Honorii, Liberii, à quibus confirmati fratres dici non poſſunt.

Ipſe quin etiam Duvallius Pontificiæ infallibilitatis defenſor acerrimus, agnoſcit depromptum ex hoc Agathonis teſtimonio argumentum non ſatis ſtringere, eo quòd neget quidem Agatho ſedem Apoſtolicam & Romanam unquam à vero deflexiſſe, ſed expreſsè non dicat eam non poſſe à vero deflectere. Duvall. de poteſt. Pont. part. 2. quæſt. 1.

Ulteriùs progreditur Chriſt. Lupus, cujus verba deſcribere non pigebit. Sic igitur ille (a). *Eadem viâ ambularunt Monothelitæ. Quot enim literis, quot legationibus, quot doloſis machinis conati ſunt circumſcribere Honorium Pontificem? Et tandem licet non in ipſum ſuum errorem, tamen in aliquam illius ſpeciem circumſcripſerunt. Ejus tunc nomen tanquam incomparabile ſpolium, ubique circumtulerunt, & arie-*

(a) Lup. tom. 4. pag.

arietarunt totum Orientem. Et hæc eſt cauſa ex qua ipſum damnari à ſextâ Synodo permiſit ſanctus Papa Agathon ; ut nempe Monothelitis Papalis numinis fulcrum auferret. Damnari permiſit, non Romanam Eccleſiam, aut Romanæ Eccleſiæ lapſum, ſed lapſum iſtius duntaxat perſonæ. Et hinc in dogmaticâ qua ſextam Synodum inſtruxit, epiſtolâ adfirmat, non Romanos Epiſcopos, ſed Romanam Eccleſiam ab Apoſtolicâ traditione in hæreticas novitates nunquam declinaſſe, & juxta divinam, quæ Petri fidem edixi non defecturam, & ab ipſâ ſemper ſtabili fratres omni tempore confirmandos, pollicitationem, declinare non poſſe. Supponit aliud eſſe Romanum Epiſcopum, aliud Romanam Eccleſiam, & iſtius lapſu hanc non labi. Supponit in Honorio, non Cathedram fuiſſe lapſam, ſed ſolam perſonam, ſi tamen lapſam.

Lupo ergo judice tantum abeſt ut infallibilitatem Pontificis Agatho adſtruat, ut contra lapſum Honorium agnoſcat, & damnari permittat. An autem Eccleſia illa Apoſtolica, quam labi poſſe Agatho nolit, ſit Romana, ut vult Lupus, vel univerſalis, ut mavult Launoius, parum refert. De eo etenim nos non agimus.

Fruſtra igitur ſunt Canus & Eſtrix, qui lectam & approbatam à ſextâ Synodo epiſtolam iſtam glorientur. Primùm enim nonniſi poſt accuratum examen admiſſa eſt, ut jam ſupra monui, quo ipſo ſatis patet non dubitatum quin poſſet malè habere. Ad hæc probata quidem illa fuit in iis quæ adverſus Monothelitas rectè docebat, in reliquis, nec probata, nec diſcuſſa. Denique etſi in omnibus probata fuiſſet, nihil inde Adverſariorum cauſæ accederet, quandoquidem nihil ea habet quod Pontificiam infallibilitatem adſtruat.

Hæc ſunt quæ ex ſeptem primis æræ Chriſtianæ ſecu-

ſeculis Adverſarii proferunt, quæ cum nullatenus evincant vel ab uno ex Veteribus exiſtimatum fuiſſe Romanum Pontificem errare neſcium, nihil neceſſe eſt expendendis iis quæ ex ſequentibus ſeculis laudantur immorari. Parum enim refert utrum unus aut alter hoc illi privilegium tandem aliquando conceſſerit, reliquis præſertim reclamantibus, ut reclamaſſe pleroſque ex ſuperioribus abundè patet.

FINIS.

Digitized by Google